6,

DECII JUNII

# JUVENALIS

*ET*

# *A. PERSII FLACCI*

# SATIRÆ.

*Notis noviſſimis ac perpetuâ interpretatione illuſtravit JOSEPHUS JUVENCIUS.*

Cum appendice de Diis & Heroïbus poëticis, ad Poëtarum intelligentiam neceſſariâ.

*Nova Editio prioribus longè emendatior.*



*PARISIIS,*

Apud J. BARBOU, via Mathurinenſium.

*M DCC LXXI.*




T. 124202

# DECII JUNII
# *JUVENALIS*
# VITA.

*Ejus Satiræ quales, & quo anno scriptæ.*

DECIUS JUNIUS JUVENALIS, Italus fuit; patriam habuit Aquinum, urbem ejusdem Italiæ, ut patet e tertia Satira. Obscuro fuisse loco natum indicat Martialis, describens eumdem potentiorum limina obeuntem salutandi causâ, quod solebant clientes & humilioris fortunæ cives. Ad aliquas tamen opes evasisse argumento est, quod cohortis præfectura fuerit ipsi mandata, cùm in Pentapolim Lybiæ ablegatus est, opera Paridis pantomimi & scurræ, Domitiano gratiosi, quem, satiricis versibus, ut Satira III dixi, carpserat. Hinc patet scriptam ab eo Satiram tertiam sub Domitiano: quo demortuo, & rescissis a Senatu ejus actis, revocatis etiam quos exsulare jusserat, in Italiam rediit Juvenalis. Duas ultimas Satiras in exsilio suo Africano videtur scripsisse: alias aliis temporibus, pleraque sub Trajano: quod affirmari de prima certò potest, cùm in ea de exsilio Marii Prisci meminerit, quem, coram Trajano jam tertium annum imperante, ab Afris fuisse accusa-

tum conſtat, cauſam contra eum agente Plinio, qui rem totam diſertè narrat in ſuis Epiſtolis, Libro II, Epiſtola XI. Sub eodem Trajano conſcriptas meritò dixeris ſecundam, quartam, ſextam, octavam, & undecimam. In ſecunda quippe & quarta vocat Domitianum adulterum tragico pollutum ſtupro, eumdem Calvum Neronem appellat, Lamiarum percuſſorem cerdonibus timendum, &c. Quis autem hæc potuiſſe ſcribi Domitiano vivo putet? Porrò Nervæ imperium brevius fuit, quàm ut ſpatii ſatis haberet Juvenalis ad redeundum ex Africa, & iſtas Satiras ſcribendas: ita ſcriptas oportuit, imperante Trajano, qui Nervam proximè excepit.

In ſexta Satira mentionem facit vaſorum in quibus eſſent cælati vultus imperatoris, cum titulo & cognomento Dacici, & Germanici. At in nullo vetere monumento, vel nummo, nullo antiquo ſcriptore Domitianus legitur cognominatus fuiſſe Dacicus, ut teſtatur Joſ. Scaliger. Trajanum Dio ſcribit, victis Dacis, Dacici cognomen accepiſſe: quem etiam Germanicum appellant inſcriptiones antiquæ non paucæ. Denique in eadem Satira Juvenalis non obſcurè innuit expeditionem Trajani in Parthos & Armenios, ac memorabilem terræ motum quo tota prope Antiochia, non ſine graviſſimo ipſius Trajani periculo, concuſſa eſt, ut non immeritò Lipſius exiſtimavit. In Satira octava de Mario Priſco meminit, quem ſub Trajano condemnatum diximus: meminit

etiam Prætoris Celsi quem, Trajano imperante, Prætorem factum refert Plinius Epist. 5, Lib. VI.

Satiram XIII, post Imperatoris Adriani, qui Trajano successit, annum tertium fuisse compositam dubitari non potest, cùm Calvinus ad quem est scripta, dicatur sexaginta jam annos vixisse, & esse natus Fonteïo Consule : is enim consulatum gessit anno Neronis quinto ; a quo si numeres annos sexaginta, incides in annum Adriani tertium.

In Satiris X & XI, senem se testatur esse, qualis nonnisi sub Trajano, aut ipso etiam Adriano exstitisse potuit. Quo tempore apparet complures ex aliis Satiris fuisse compositas ; cùm nullus reperiatur ex iis scriptoribus, qui, Domitiano imperante, floruerunt, a quo Juvenalis nomen fuerit proditum, quod tamen, si exiissent ejus Satiræ, celebrari potissimùm debuerat.

Neque obest iis quæ diximus, quòd Juvenalis quædam referat sub Nerone gesta, quasi nunc, nuper, aut dum ipse scriberet fuissent facta, verbi gratiâ, cùm Satira I, quam probavi non fuisse compositam ante Trajani tempora, de Tigellino loquitur tanquam superstite, de Christianis in arena mori, & tædarum instar lucere per noctem jussis, quod sub Nerone contigisse perspicuum est. Rursum, quòd Satirâ VIII, pariter editâ sub Trajano, videatur alloqui Plautum Rubellium, qui tamen ante annos 40, exsilio damnatus a Nerone ac mori jussus erat. Id enim solenne Satiricis vatibus est, ut exempla sumant a mor-

tuis, quò minus habeant invidiæ, tametsi eadem a vivis & præsentibus non rarò petant.

Ex istis omnibus conjici videtur posse Juvenalem circa Neronis initia natum Aquini, Romam venisse, ibi litteris operam & eloquentiæ dedisse: cùm Paridem versibus amaris pupugisset, relegatum fuisse in Lybiam, natum annos admodum triginta. Post Domitiani cædem Romam rediisse quadragenarium: circa secundum aut tertium Trajani annum se ad scribendas Satiras aut in lucem edendas seriò accinxisse; annos deinde viginti ac fortasse plures vivendo expleviisse.

Ingenio fuit acri, elato, vehementi: ingenio respondet stylus, sublimis, eloquens, incitatus, plenus iræ & contentionis, copiosus, illuminatus, & oratorio propior: cùm Horatianus Satirarum stylus propior quotidiano sermoni sit, festivus & jocosus magis, quàm acer & serius: in quo tamen sunt qui putent Horatium Juvenali præferendum. Viderint eruditi. Ego id esse statuo inter utrumque discriminis, quod inter aulicum elegantem, & vehementem e schola oratorem intercedit.

Quod ipsius mores attinet, fuisse probos apparet ex eo, quo improbos ubique insectatur, ardore atque impetu. Ignoscendum Ethnico si vitiorum fœdas imagines objecit, quas ab oculis adolescentum removere studuimus, ut impunè ac tutò vates egregius legi posset.

# DECII JUNII
# JUVENALIS
## *SATIRA PRIMA.*

### ARGUMENTUM ET SYNOPSIS.

*Causas exponit cur Satiras aggrediatur scribere. Primam hanc affert, quòd velit parem gratiam referre ineptis vatibus, quorum audire carmina quotidie cogitur, cùm æquè commodè ac illi possit scribere. Secundam petit a vitiis Romanæ urbis, quæ dissimulare jam, & animo æquo ferre nequit. Ea congerit in acervum, & enumerat obiter, nempe nimias hominum vilissimorum opes & potentiam, delatorum improbitatem, judiciorum corruptelas, veneficia, adulteria, ludendi cachoëtes, epularum sumptus, divitum in clientes acerbitatem & parcimoniam, &c. Ad extremum se candidè ac simpliciter scripturum profitetur, nullius adductum odio, nullius metu deterritum: daturum se tamen operam ut vivos ac superstites non infectetur.*

Semper ego auditor tantùm? numquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theseïde Codri?

*Itane semper audiam ineptos vates? Non scribam ipse aliquid vicissim, quod ex me audiant, cùm toties meas aures Codrus obtruderit recitandâ ad ravim usque suâ Theseïde?*

1. *Reponam.* Reponere est idem, ac *vicem referre, remetiri beneficium.* Numquamne illis parem gratiam referam? non ero illis semel molestus, qui me toties vexarunt?

2. *Theseïde.* Poëmate, cu-

Impunè ergo mihi recitaverit ille togatas,
Hic elegos? impunè diem consumpserit ingens
Telephus? aut summi plenâ jam margine libri
Scriptus & in tergo, nec dum finitus, Orestes?
Nota magis nulli domus est sua, quàm mihi lucus
Martis, & Æoliis vicinum rupibus antrum

*Ergone inultam ferant, quam exhibuêre mihi molestiam, dum lectitat mihi alius comœdias Latinas, alius elegias? Non pœnas diei malè mihi ereptæ dabit prolixi scriptor Telephi, aut Orestis, qui volumen totum a fronte ac tergo, nec dum absolutus, implet? Nemo suas ædes melius novit, quàm ego Martis lucum, & antrum officinamque Vulcani, prope insulas Æolias sitam. Personant*

jus erat argumentum res aliqua insignis a Thesco gesta. Is Ægei regis Athenarum filius fuit. Vide appendicem c. XVI.

*Codri.* Inepti poëtæ.

3. *Impune.* Inultus.

*Togatas.* Sic appellantur Comœdiæ Latinæ, in quibus actores induti erant togâ, quæ vestis Romanorum propria; ut pallium, Græcorum.

4. *Elegos.* Versus elegus, sive elegia, est carmen alternis Hexametris & Pentametris constans. Sic appellatur a voce græca ἐλέω *miseror*, quia inventum est id genus carminis primùm ad res flebiles canendas. Vide Horatium de Arte poëtica, versu 77.

5. *Telephus.* Rex Mysorum, & Herculis filius. Cùm Græcos ad bellum Trojanum proficiscentes prohibere conaretur, ne per Mysiam iter tenderent, ab Achille vulneratus est.

6. *Orestes.* Agamemnonis & Clytemnestræ filius. Orestis patrem Ægystus, Clytemnestræ plus æquo dilectus, interfecerat; cúmque ipsum Orestem tollere de medio pararet, id sentiens Electra Orestis soror, eumdem clam ad Strophium Phocensium principem, qui Agamemnonis sororem duxerat, ablegavit. Post annos 12 quàm in Phocide moratus fuisset, Argos rediit ignotus, & velut ab ipso Strophio missus, ut Orestis obitum nuntiaret. Introrsus ad Clytemnestram, eamdem cum Ægisto, consciâ Electrâ, interfecit. Quod facinus tamen expiare coactus fuit ad aram Dianæ Tauricæ. Amicum habuit Pyladem, omnium periculorum socium. De Oreste insignes exstant tragœdiæ duæ Poëtarum Græcorum Euripidis & Sophoclis.

7. *Lucus Martis.* Lucus Marti sacer.

8. *Æoliis rupibus.* Insulæ sunt septem, non procul a Peloro Siciliæ promontorio, nempe Lipara, Hiera, Stron-

Vulcani. Quid agant venti ; quas torqueat umbras
Æacus ; unde alius furtivæ devehat aurum
Pelliculæ : quantas jaculetur Monychus ornos ;
Frontonis platani, convulsaque marmora clamant
Semper, & assiduo ruptæ lectore columnæ.
Exspectes eadem a summo, minimoque poëta.
Et nos ergo manum ferulæ subduximus : & nos
Consilium dedimus Syllæ, privatus ut altum

*Frontonis horti, & columnis marmoreis fultæ porticus penè dissiliunt & convelluntur vocibus poëtarum sua carmina legentium, in quibus ventorum vim, & tempestates ab iis excitatas, describunt, pœnas umbris ab Æaco irrogatas : quâ ex regione nescio quis asportet in patriam vellus aureum furto sublatum : quàm proceras arbores Monychus gigas in adversarios torqueat instar jaculorum. Hæc omnia docti pariter indoctique vates crepant. Atqui ego etiam scholas frequentavi olim, & fictas, exercitationis gratiâ, causas egi, cùm Syllam hortarer, ut, omissis reipublicæ curis,*

gyle, Didyme, Ericusa, Phœnicusa, & Evonymus. Æoliæ vocatæ sunt propterea quòd Æolus in iis regnabat Troiæ temporibus. In Sicilia verò est mons Ætna ignes eructans, ubi poëtæ Vulcani officinas ponunt : quas sibi notissimas ait esse luvenilis, eò quòd plerique tunc vates in Ætneis incendiis describendis sudarent.

9. *Vulcani.* Jovis & Junonis filii. Vide append. c. IV.

10. *Æacus.* Jovis filius, Æginæ insulæ rex, pater Telamonis & Pelei. Ob equitatis famam delectus a Jove qui mortuorum in inferis cautos cum Minoe, & Rhadamantho cognosceret, ac meritas criminibus pœnas irrogaret.

*Unde alius, &c.* Jasonis filius. Vide append. c. XVIII.

11. *Monychus.* Centauri fortissimi nomen est. De Centauris vide app. c. XVI.

12. *Frontonis* Julius Fronto, civis Romanus dives & eruditorum patronus, suas libenter ædes poëtis recitantibus commodabat.

13 *Lectore.* Ita legebant suos versus illi recitatores, ut gestum sæpe vocemque intenderent.

16. *Syllæ.* De illo dubitatum est, inquit Sallustius, fortiorne an felicior fuerit. Missus a Mario in Africam, Jugurtham vicit : Mithridatem in Asia fugientem compescuit : Cinnæ dominationem fregit ; Marium denique ipsum urbe expulit, in qua Dictator factus, ita remp. op-

Dormiret. Stulta est clementia, cùm tot ubique
Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ.
Cur tamen hoc libeat potiùs decurrere campo,
Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus:
Si vacat, & placidi rationem admittitis, edam.
Patricios omnes opibus cùm provocet unus,
Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat:
Cùm pars Niliacæ plebis, cùm verna Canopi

*in otio privatus degeret. Quidni ergo scribam, aut cur parcam papyro, quam tot quotidie vates imperiti malè consumunt? Quod si quis tamen rogaverit, cur hoc satirico scribendi genere delecter, in quo Lucilius tamquam in patente Circo exspatiatus est: dicam sanè, si vobis audire vacat, & si æquis auribus dicentem accipitis. Omnino difficile est a scribenda Satira temperare, cùm hunc tonsorem intueor, qui mihi juveni barbam radebat, pervenisse ad eas opes, ut cum patricio quolibet contendat:*

pressit, ut nemo illo invito nec bona, nec patriam, nec vitam retinere posset. Postremò, rep. constitutâ, dictaturam depositit, ac privatus Puteolos, quæ est urbs Italiæ, prope Neapolim, fecessit, ubi pediculari morbo consumptus est, anno ab urbe condita 676.

*Ut altum dormiret.* Altum dormire, est *somno*, ut aiunt, *profundo indulgere: dormire in utramque aurem.*

20. *Auruncæ.* Latii civitas fuit, patria Lucilii; qui primus Satiram Latinam scripsit, natus anno ab urbe condita 552.

*Equos flexit.* Ducitur hæc Metaphora a Circo, in quo currus agitantur, & circa metam flectuntur.

22. *Patricios.* Cùm primùm remp. Romulus constituit, elegit ex omni civitate viros centum ætate ac prudentiâ insignes, qui eam gubernarent: illosque senatores, sive Patres appellavit. Eorumdem filii dicti sunt Patricii.

*Provocet.* Lacessat, ac certare opibus cum iis velit. Significatur autem Cinnamus tonsor, qui censum equestrem adeptus, ac subinde judicio damnatus, exulavit in Sicilia.

23. *Gravis juveni barba.* Molestum est juvenibus barbæ fruticantis onus.

*Sonabat barba.* Cùm tonderetur. Solent tonsores numerosum quemdam strepitum forficibus edere.

24. *Niliacæ.* Nilus Ægypti fluvius.

*Canopi.* Canopus Ægypti urbs clara, prope ultimum Nili ostium.

Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas, 25
Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat majoris pondera gemmæ;
Difficile est satiram non scribere. Nam quis iniquæ
Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat se,
Causidici nova cùm veniat lectica Mathonis 30
Plena ipso; post hunc magni delator amici,

*cùm Crispinus ex Ægyptiorum mancipiorum fæce emersus, purpureas lacernas molliter in humerum rejiciat, exertamque protendens manum, jactet digitos annulis levioribus ex auro, quales æstate gestat, micantes, nec majori & graviori gemmæ ferendæ par sit. Age, quis tam sceleratæ flagitia civitatis animo æquo ferat? quis tam omnis sensus expers, ut stylum non expediat, cùm Mathonem Causidicum cernit in eleganti & recenti lectica procedere, ita obesum & saginâ distentum, ut eam solus impleat; ita superbum, ut nullum comitem admittat? cùm paulò pòst subire videt famosum illum delatorem, qui suo amico, viro clarissimo, exitium est machinatus; quique brevi reliquas*

*Verna.* Ita vocatur propriè servus domi ex ancilla natus, hinc vernaculum appellamus quidquid intra domesticos parietes alitur.

25. *Crispinus.* Domitiano gratissimus fuit. Hunc, opinor, in domini gratiam, laudat sæpe Martialis.

*Tyrias.* Tyrus Phæniciæ civitas clarissima, ubi nata & perfecta purpura.

*Lacernas.* Id est, *togas.* Lacerna, vestis erat exterior &. crassior, instar pallii: sed toga comptior, longior, ac decentior, quàm lacerna.

26. *Ventilet.* Eximat illum e digito, & per aërem leviter jactans, ventum faciat.

*Æstivum.* Leviores æstate, hyeme graviores gestabant annulos.

*Lectica.* Ferebatur a servis, interdum sex, & Hexaphorus vocabatur; interdùm octo, & vocabatur Octaphorus.

*Mathonis.* Causidicus dives fuit. Sub Domitiano sæva & publica rabies accusandi fuit: unde magnas opes Causidici colligebant.

31. *Plena ipso.* Potest etiam exponi sic: ut solus fuisse in lectica intelligatur, quò gestaretur commodiùs.

*Delator.* Accusator, præsertim occultus, ita vocatur. Hoc in loco intelligitur M. Regulus, qui hanc artem sub Domitiano, magnâ civium invidiâ, exercuit.

*Magni amici.* Gall. illustre patron.

Et citò rapturus de nobilitate comesa
Quod supereſt, quem Maſſa timet, quem munere palpat
Carus; & a trepido Thymele ſummiſſa Latino.
Quid referam, quantâ ſiccum jecur ardeat irâ,
Cùm populum gregibus comitum premat hic ſpoliator
Pupilli proſtantis? & hic damnatus inani
Judicio (quid enim ſalvis infamia nummis!)
Exſul ab octava Marius bibit, & fruitur dîs

*nobilium a ſe ſpoliatorum exuvias diripiet; quem Bæbius Maſſa formidat; quem delinire muneribus miſſis tentat Carus; ad quem placandum Latinus ſibi malè metuens uxorem ſuam Thymelen clam allegat. Quid de eam quantâ æſtuem iracundiâ, quàm graviter mihi bilem & ſtomachum moveat hic tutor, qui pupillum fortunis exuit, eumque in foro proſtare inter venales ſervos coëgit, interim dum ipſe magnâ clientium & famulorum, quibus ſtipatur, turbâ, viae urbis impedit? aut iſte Marius, qui licèt a judicibus ob Africam compilatam fuerit condemnatus, tamen vanam ac inutilem eorum ſeveritatem ridet? Quis enim de ignominia vehementer laborat, modò ſalva incolumiſque pecunia ſit? immo etiam irrogatas ſibi ab ultoribus Superis pœ-*

34. *Carus.* Delator is quoque fuit, Martiale teſte, ſed minoris notæ ac auctoritatis, quàm Regulus.

*Latino.* Celebri mimo & hiſtrione, quo imprimis delectabatur Domitianus.

37. *At hic damnatus.* Marius priſcus, homo Bœticus in Africam Proconſul miſſus, eam ſpoliaverat; accuſatus repetundarum eſt anno Trajani tertio, ac damnatus, & in exſilium pulſus, ubi lautè & oppiparè vivebat. Afris tamen pecunia, quâ ſpoliati fuerant, minimè reſtituta: ſed partim, ipſi Mario relicta, partim in ærarium illata. Hinc dicit, *Inani judicio*, quod nec Afris profuit, nec valde obfuit Mario.

39. *Ab octava.* Poſt ſolis ortum videlicet, id eſt, ſecunda poſt meridiem, ut in Gallia numeramus. Dies Romanus conſtabat ſemper duodecim horis, quarum prima numerabatur ab ſolis ortu. Non cœnabant ante horam nonam niſi helluones, qualis iſte Marius.

*Fruitur Diis iratis.* Licet hos habeat infenſos ob flagitia, nullum tamen ex eorum ira detrimentum accipit; immo fructum & emolumentum: veſcitur enim lautiùs & intemperantiùs.

Iratis : at tu victrix provincia ploras.
Hæc ego non credam Venusinâ digna lucernâ ?
Hæc ego non agitem ? sed quid magis Heracleas,
Aut Diomedeas, aut mugitum Labyrinthi,
Et mare percussum puero, fabrumque volantem ?
Cùm fas esse putet curam sperare cohortis

*nas apponit lucro, & ab vespera usque in lucem epulis indulgens, calamitatem suam facilè consolatur, te interim lugente, o infelix Africa, & amissas, nec reddendas unquam tibi, licèt causam viceris, pecunias deplorante. Hæc ego flagitia non arbitrabor digna, quæ satiricis versibus agitentur, Horatii more ac stylo ? an satius putabo esse pervagatas illas de Hercule, de Diomede, de Minotauro in Labyrinthi latebris mugiente fabulas, carmine persequi, aut evolantem Dædalum, Icarumve in mare decidentem denarrare ? cùm interea non nemo, qui patrimonium equis*

40. *Provincia.* Sic appellabatur quælibet regio extra Italiam a Romanis domita & imperio adjuncta ; quasi diceres procul victa.

41. *Venusina lucerna.* Horatiana Satira. Horatius natus est Venusii, quæ civitas in finibus Apuliæ & Lucaniæ.

*Lucerna.* Solebant elucubrare suos versus ad lucernam.

42. *Sed quid magis.* Nempe, scribam : Quid juvat, magis & prodest scribere ?

*Heracleas.* De Hercule vide appendicem, c. XV.

43. *Diomedeas* Diomedes rex Ætoliæ in Græcia, Tydei filius, inter Græcorum primores ad Trojam profectus, secundùm Achillem & Ajacem fortissimus habitus est. Equos Rhesi cepit, Palladium ex arce Trojana sustulit, Martem ipsum vulneravit. Confecto bello in Italiam se contulit, domum & libidines uxoris fugiens ; ibi Argyripam urbem condidit. Vid. lib. XI Æneid. vers. 246 & 270, ejus socii dicuntur in aves fuisse conversi, quæ a Græcis *Ἐγωδιοὶ* ; a Latinis, Diomedeæ sive ardeæ, nominantur.

*Labyrinthi.* Labyrinthus, locus est multis viarum ambagibus inflexus.

44. *Puero, &c.* Iratus Minos Cretæ rex Dædalo, eum in labyrinthum conjecit : at ex eo evolvit homo ingeniosissimus, compactis cerâ pennis, atque ita in Sardiniam, deinde in Italiam pervenit. Sed Icarus ejus filius, cùm justò altiùs volaret, liquefactâ calore solis cerâ & solutis alis in maris Ægei partem decidit, quæ ab eo mare Icarium est vocata. Ovid VIII Metam.

45. *Cohortis.* Exercitus Romanus in legiones dividebatur

Qui bona donavit præsepibus, & caret omni
Majorum censu, dum pervolat axe citato
Flaminiam: puer Automedon nam lora tenebat.
Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadrivio? cùm jam sextâ cervice feratur
Hinc atque inde patens, ac nudâ penè cathedrâ,
Et multùm referens de Mæcenate supino

*alendis ligurivit, nihilque jam ex avitis opibus in censu habet, nihilominus confidat se cohortis præfecturam obtinere posse, eo scilicet nomine, quod Imperatoris per viam Flaminiam invecti currum ipse adolescens agitaverit, ut olim Automedon Achilleos equos regebat. Quis non gestiat mediis in compitis exerere calamum, & iis, quæ se osferunt flagitiis, libros ingentes refercire, cùm homo turpissimus, & in obsignandis falsò testamentis exercitatus, qui subjiciendis in locum verarum, & notandis madefactis annuli gemma tabulis adulterinis, lautus ac dives evasit, jam gestetur sublimis in lectica servorum sex humeris im-*

tur, plures, aut pauciores: legio ferè quatuor militum millia; interdum quinque, aut etiam sex continebat. In singulis porrò legionibus erant cohortes decem. Toti legioni præerant per vices Tribuni sex.

46. *Qui bona, &c.* Vel Cornelium Fuscum intelligit, qui puer Neronis auriga fuit, etsi ortus nobili loco, ut nempe iniret gratiam a Nerone, qui aurigas ejusmodi nobiles adamabat, ac suos ipse interdum equos agitabat. Idem Fuscus Domitiani tempore cohortium prætorianarum præfectus, bellum adversùs Dacos gessit, ibique periit. Vel potiùs intelligit Tigillinum hominem impurissimum & egentissimum, qui Neronis beneficio ad magnas opes & cohortis etiam prætorianæ præfecturam evasit.

48. *Flaminiam.* Via Flaminia pertinebat ab urbe usque Ariminum: habuit nomen a C. Flaminio Consule, a quo strata, quique ad lacum Thrasymenum ab Annibale cæsus fuit.

*Automedon.* Achillis auriga fuit. Ponitur pro quolibet auriga insigni.

49. *Ceras.* Scribebant Prisci Romani in tabulis ligneis obductis cerâ, quam stilo ceu graphio ferreo exarabant.

*Quadrivio.* Quadrivium est locus in quo viæ quatuor coëunt.

52. *Mæcenate.* Mæcenas, eques Romanus fuit Augusto carissimus, vir doctus, & doctorum patronus: idem deliciarum & lautitiarum omnium amantior.

Signator falsò, qui se lautum, atque beatum
Exiguis tabulis, & gemma fecerat udâ.
Occurrit matrona potens, quæ molle Calenum
Porrectura viro miscet sitiente rubetam,
Instituitque rudes, melior Locusta, propinquas
Per famam & populum nigros efferre maritos.
Aude aliquid brevibus Gyaris, & carcere dignum,
Si vis esse aliquis: PROBITAS LAUDATUR ET ALGET.
Criminibus debent hortos, prætoria, mensas,

*posita, & ab utroque latere aperta, ipse in ea porrectus ac supinus, ad eum ferè modum quo Mæcenas gestari solebat. En occurrit nobilis mulier, quæ dum mariti sitim vino Caleno restinguere parat, rubetæ virus poculo, quod illi porrigit, admiscet, cognatasque suas nondum istius gnaras artis, ipsa longè veteri Locusta peritior, docet quemadmodum suos viros adhuc venenis notis lividos, conemptis populi spectantis & indignantis rumoribus, ad rogum efferri jubeant. Si vis in aliquo esse inter homines pretio ac numero, id consequeris insigni quodam & palmario scelere; aliquid oportet exsilio dignum & carcere moliaris.* Laudantur viri probi, at egent. *Florent improbi, & suis sceleribus acceptas ferunt villas, ædes in urbe magnificas, mensas exquisitas, argentea pocula prisco arti-*

53. *Signator falsò.* M. Regulus testamentorum captator corruptorque nequissimus.

54. *Exiguis tabulis.* Brevi testamento, in quo V. G. paucis verbis, omnia bona uni relinquantur.

*Gemmâ udâ.* Annulo signatorio salivâ madefacto, ut facilius imprimatur signum ceræ.

55. *Calenum.* Cales, sive Calenum, oppidum erat Campaniæ Italiæ, cujus in agro vinum optimum nascebatur.

56. *Rubetam.* Venenum confectum e rubeta.

57. *Locusta.* Venefica, quæ, imperante Nerone, floruit, pro qualibet venefica ponitur.

58. *Efferre.* Verbum funebre est, significatque *ad rogum deportare, sepelire.*

59. *Gyaris.* Gyarus vel Gyara, est insula exigua in mari Ægeo, una e Sporadibus, in quam Romani reos insignes deportabant. De illa fit mentio in Satira X. Utitur hoc loco Juvenalis numero plurali, per Emphasim.

61. *Prætoria.* Prætorium domus est Prætoris, seu lauta

Argentum vetus, & ſtantem extra pocula caprum.
Quem patitur dormire nurûs corruptor avaræ,
Quem ſponſæ turpes, & prætextatus adulter?
Si natura negat, facit indignatio verſum
Qualemcumque poteſt: quales ego, vel Cluvienus.
Ex quo Deucalion, nimbis tollentibus æquor,
Navigio montem aſcendit, ſorteſque popoſcit,
Paulatimque animâ caluerunt mollia ſaxa,
Quicquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, diſcurſus, noſtri eſt farrago libelli.

*ficio elaborata, & ſignis cælatis aſpera. Quem non impellit ad ſcribendam ſatiram, excitatque pater filii ſui uxorem ad ſcelus pretio pertrahens; ſponſæ amoribus turpiſſimis æſtuantes, pueri adulteriis infames? Si quis poëta natus non eſt, ipſi tamen carmina indignatio ſuggeret, qualia illa cumque ſint, cujuſmodi ſcribuntur a me, vel a Cluvieno. Quidquid moliuntur homines, eorum vota, metus, ira, voluptates, gaudia, concurſationes ac negotia, ex quo tempore Deucalion, augeſcente continuis imbribus mari, ſupra Parnaſſum navi eſt evectus, & Apollinis oraculo conſulto, lapides ab eo projecti ſenſim molleſcere cœperunt: hæc omnia, inquam, huic libello materiam da-*

& ſplendida domus, qualem Prætor habet.

62. *Caprum.* Sculpi ſolebat in poculis caper, animal Baccho inviſum quia vites arrodit. Figuræ porro cælatæ, extra vaſa extant eminentque.

64. *Prætextatus.* Indutus prætextâ. Erat illa veſtis ornata limbo purpureo, quam pueri geſtabant uſque ad annum 17, quo togam virilem ſumebant.

67. *Deucalion.* Promethei filius, Theſſalorum rex, in Græcia. Eo regnante contigit immane diluvium. Deucalione ipſo tantùm, ut poëtæ fingunt, & Pyrrha ejus conjuge, ex omni hominum multitudine, ſervatis. Qui in Parnaſſum montem naviculâ delati, ubi primùm aquæ ſubſederunt, Themidis oraculum conſuluere, quâ ratione poſſet humanum genus reparari: juſſi ſunt magnæ matris oſſa, nimirum terræ lapides, poſt tergum jactare: ſaxa in homines continuò mutata. Ovid. I. Met. m.

68. *Sortes.* Oracula ſic vocantur, vel quia ferè ductis ſortibus edebantur; vel quia ſuam quique ſortem, rei cujuſque eventum, denuntiant.

71. *Farrago.* Propriè eſt acervus farris, & variorum

Et quando uberior vitiorum copia ? quando
Major avaritiæ patuit sinus ? alea quando
Hos animos ? neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulæ, positâ sed luditur arcâ.
Prælia quanta illic dispensatore videbis
Armigero ! Simplexne furor sestertia centum
Perdere ; & horrenti tunicam non reddere servo ?
Quis totidem erexit villas ? quis fercula septem
Secretò cœnavit avus ? nunc sportula primo

*bunt, nullo certo distinctam ordine, amplam certè ac uberem : ecquando enim ætas fuit criminum feracior ? quando major avaritiæ gurges, quando aleæ insania pertinacior & projectior ? Non jam incertis tabulæ aleatoriæ jactibus lusores exponunt crumenas, sed totas in ludum arcas deferunt ; quibus illic animis, quâ contentione certantes videre est ! servo talos & nummos, arma isti ludo idonea, subministrante. Cujus hoc tandem & quàm vesani est furoris, centum sestertia ludendo perdere, & vestem famulo frigore confecto debitam denegare ? Quis majorum nostrorum tot villas ædificavit, quot passim jam extruuntur ? quis eorum in secretis etiam, ac privatis, ubi gulæ indulgetur paulò liberiùs, cœnis, diversi generis dapes septem mensæ apposuit ? clientes suos avi nostri eâdem secum accipiebant mensâ, nunc illis in domûs vestibulo parata est exigua*

leguminum, ut hordei, viciæ, &c. quæ animantibus dantur in pabulum : metaphoricè significat *rerum variarum congeriem*.

74. *Loculis*. Capsulis angustis, & marsupiis.

75. *Casum tabulæ*. Incertum jactum talorum aut tesserarum, in tabulam lusoriam seu alveolum temerè cadentium.

77. *Armigero*. Sic appellat servum, talos, nummosque domino subjicientem ; ad eum ferè modum, quo in pugna domino armiger tela suggerit.

*Sestertia centum*. Hodie (1770) nostrarum librarum 18700.

80. *Sportula*. Propriè est vas vimineum, in quo deponuntur cibi, pecunia, &c. Apud Romanos ea vox vulgò significabat *cibos*, quos clientibus patroni divites largiebantur e sua mensa. Quod cùm patronis subinde molestum & majoris impendii visum fuisset, pro cibis dedère centum nummulos, qui quadrantes dicebantur, quia valebant singuli quartam partem Romani assis, sive tres uncias. Respondent centum quadran-

Limine parva sedet, turbæ rapienda togatæ.
Ille tamen faciem priùs inspicit, & trepidat, ne
Suppositus venias, ac falso nomine poscas :
Agnitus accipies. Jubet a prænone vocari
Ipsos Trojugenas ; nam vexant limen & ipsi
Nobiscum. Da Prætori, da deinde Tribuno.
Sed libertinus prior est : Prior, inquit, ego adsum.
Cur timeam, dubitemve locum defendere? quamvis
Natus ad Euphratem, molles quod in aure fenestræ
Arguerint, licèt ipse negem : sed quinque tabernæ
Quadringenta parant. Quid confert purpura major

*sportula, quam miseri post attritam cursitando salutandoque, togam, avidè, raptimque auferant, ac ne id quidem sine lite & labore. Est qui tuum os intueatur diligenter, antequam sportulam largiatur, metuens videlicet ne in alterius venias locum, teque clientem esse mentiaris. Ubi compertum fuerit, qui sis, quo jure sportulam petas, tunc ea dabitur. Prælarus ille patronus per prænonem arcessit principes civitatis, ab antiquis illis Trojanis ortos, nam ipsi quoque pro foribus in clientium turba conferti & obnixi adstant. Da sportulam Prætori primùm, deinde Tribuno, inquiunt Prætores ac Tribuni : sed cum illis pugnat libertì alicujus filius : Ante illos, exclamat huc accessi : Quis mihi sit pudor aut religio tueri hunc, quem occupavi, locum, licet oriundus sim ex urbe ad Euphratem sita, meque servum esse, si negare vellem, satis indicaret ac probaret aurium perforata pars ima : verùm tabernas quinque habeo in urbe, quarum ex annua pensione conficio sestertia quadringenta. Quid habet ipsa senatoria dignitas,*

tes solidis 25, monetæ Gallicanæ.

81. *Turbæ togatæ.* Clientibus qui togâ induti ventitabant manè domum patronorum salutandi causâ, eos deducebant per urbem, &c.

82. *Ille.* Patronus, vel ejus œconomus.

86. *Da Prætori.* Possunt hæc verba tribui patrono, jubenti dari sportulam primùm Prætori, dein Tribuno.

*Tribuno.* Erant Tribuni, alii Urbani, sive plebis, qui jura populi tuebantur : alii Militares qui legioni præerant, ac vulgò sex in una quaque numerabantur.

89. *Euphratem.* Fluvius est Mesopotamiæ, in Asia.

*In aure fenestræ.* Servi, qui Romam ex Asia deportabantur, aures habebant perforatas, iisque aureos & argenteos annulos appendebant.

91. *Quadringenta.* Subaudi, sestertia : quam summam

Optandum, si Laurenti custodit in agro
Conductas Corvinus oves? Ego possideo plus
Pallante, & Licinis. Exspectent ergo Tribuni.
Vincant divitiæ; sacro nec cedat honori 95
Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.
Quandoquidem inter nos sanctissima divitiarum
Majestas: etsi funesta pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,

*quare tanto expetatur opere, siquidem Corvinus ex amplissimis senatoribus genitus eo redactus est inopiæ, ut armentum conductum in agro Laurenti pascat? Mecum non certarent opibus Pallas & Licinus. Jubeo igitur Tribunos exspectare dum data mihi sportula fuerit: priorem locum obtineat qui ditior est; nec sacro-sancto illi magistratui concedat, qui non ita pridem Romam oblitis gypso pedibus accessit. Sanè divinis honoribus pecuniam prosequimur, licèt nondum ipsi templum sit extructum, nec dum ullæ nummis aræ fuerint positæ, uti positæ sunt Paci, Fidei,*

in censu annuo qui non haberet, eques Romanus esse nemo poterat. 75 millia circiter librarum nostratium.

*Purpura major.* Senatorum propria vestis dicebatur latus clavus: eratque tunica purpureis quibusdam globulis majoribus, qui capita clavorum imitarentur, ornata. Erant autem illi clavi purpureis plagulis seu institis ante pectus demissis, insuti.

92. *Laurenti agro.* Laurentum, civitas fuit antiqui Latii, prope Lavinium: ita dicta a sylva Laurea, quæ in eo, ubi condita est agro, erat. Hujus incolæ Laurentes appellati.

93. *Corvinus.* Ponitur hoc in loco Corvinus pro quolibet nobili; Valeria gens clara imprimis apud Romanos fuit, ex qua prognati Poplicolæ, Corvini, Messalæ, &c.

94. *Pallante.* Pallas, ex Arcadia oriundus, homo nequam & ignobilis, Claudii Imperatoris libertus prædives.

*Licinis.* Licinus, Augusti libertus: & ipse prædives fuit.

*Exspectent....* Potest ita exponi versus iste, ut hoc dicere libertus ille arrogans, & opibus suis elatus intelligatur, vel ipse Juvenalis.

95. *Sacro honori.* Tribunatui. Is enim magistratus, apud Romanos sanctus, seu sacrosanctus habebatur: ut qui Tribunum plebis læsisset, is morte pœnas penderet.

96. *Pedibus albis.* Pedes venalium servorum trans mare advectorum, cretâ quâdam, seu gypso, illinebantur.

Ut colitur Pax, atque Fides, Victoria, Virtus,
Quæque salutato crepitat Concordia nido.
Sed cùm summus honor finito computet anno,
Sportula quid referat, quantum rationibus addat:
Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc est
Et panis, fumusque domi? Densissima centum
Quadrantes lectica petit, sequiturque maritum
Languida, vel prægnans, & circumducitur uxor.
Hic petit absenti notâ jam callidus arte,
Ostendens vacuam, & clausam pro conjuge sellam.
Galla mea est, inquit: citiùs dimitte, moraris?

*Victoriæ, Virtuti atque Concordiæ, cujus templum resonat strepitu ciconiarum in ejus turribus nidificantium, cùm nidos quos exactâ hyeme revisunt, lato videntur plausu salutare. Quod si primores urbis cives, qui summos in ea magistratus gerunt, exeunte anno referunt in librum suarum rationum, quid apportet ipsis lucri sportula, quantam ad censum annuum accessionem faciat, quàm miseram esse clientium conditionem necesse est, qui censu omni & patrimonio carentes, ex iis, quos a patrono capiunt, nummulis coguntur togam, calceos, panem ac pauca uvida, quibus focum accendant, ligna emere? Quid quod ipsi nobiles in lectiicis gestati, ad centum illos quadrantes corrogandos frequentissimi convolant, nec viri tantùm, sed illorum etiam uxores, etsi ægrotæ vel gravidæ, quæ per omnia limina circumferuntur, adeo ut aliquis callidior (quod artificium jam est pervulgatum) sportulam dari petat absenti uxori suæ, quam esse fingit in vacua lectica & clausa. Hic, inquit, Galla est, uxor mea; oro, ne patere ut diutiùs exspectet. Quid moraris autem, & sportulam cunctaris dare? Juvat illam ipsam intueri, inquit,*

100. *Pax, &c.* Paci templum ornatissimum extruxit Vespasianus. Fidei templum Numa ædificavit. Virtuti & Honori M. Marcellus: Concordiæ, olim Camillus; postea Tiberius. Victoriæ, Arcades.

101. *Salutato nido.* Veteres nidos vere primo repetunt Ciconiæ, ut hirundines.

105. *Centum quadrantes.* Vide suprà, p 17, v. 80.

109. *Sellam.* Gestatoriam videlicet; id est, lecticam.

Profer, Galla, caput. Noli vexare, quiescit.
Ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum.
Sportula, deinde forum, jurisque peritus Apollo,
Atque triumphales, inter quas ausus habere
Nescio quis titulos Ægyptius, atque Arabarches, 115
Cujus ad effigiem non tantùm mejere fas est.
Vestibulis abeunt veteres lassique clientes,
Votaque deponunt, quanquam longissima cœnæ.
Spes hominum! Caules miseris, atque ignis emendus.
Optima sylvarum interea, pelagique vorabit 120
Rex horum, vacuisque toris tantùm ipse jacebit;

*sportulæ dispensator; age, Galla, effer caput e lectica, si verè hic ades. Noli eam inclamare (maritus respondet) ægra est, ac indulget somno. Prosequamur ceteras diei occupationes egregias. Post acceptam a divite patrono sportulam, cùm assectantur usque in forum Augusti, ubi celebris illa visitur Apollinis statua, & aliæ complures ducum & imperatorum, qui triumphi honorem adepti sunt, inter quas nescio quis Ægyptius, aut Arabum princeps, non dubitavit suam ponere magnificis titulis & inscriptionibus insignitam, non sine justo civium indignatione, quibus eam lotio, ut minimum, inquinare impunè licet. Postea redeunt domum divitis clientes, cursitando defatigati, & exspectatâ diu multùmque cœnâ liberaliore, demum frustrati suis votis & exspectatione discedunt. O miseras, o falsas hominum spes! Caules emere coguntur, & ligna quibus illos coquant. Interim illorum patronus ingurgitabit se lectissimis cibis, quos sylvæ, quos maria suppeditabunt, & in toro*

113. *Apollo juris peritus.* Ita vocat statuam Apollinis positam in Augusti foro, ubi litigabant causidici & juris periti; quorum clamoribus ac litibus audiendis Apollo jus dicere potuisset; vel quia huic loco veluti præerat.

114. *Triumphales.* Augustus in fori a se ædificati gemina porticu, statuas eorum qui triumphaverant, collocavit.

115. *Arabarches.* Græca vox, significans *ducem*, aut *Principem Arabum*: Ἀραβάρχης, *Arabs*; ἄρχος, *princeps*.

117. *Clientes.* Ita vocabantur *cives tenuiores*, qui se in divitum tutelam & patrocinium conferebant, quique illos instar parentum certis officiis colebant.

121. *Rex.* Ita *patroni* appellabantur a clientibus.

Nam de tot pulchris, & latis orbibus, & tam
Antiquis, unâ comedunt patrimonia mensâ.
Nullus jam parasitus erit, sed quis feret istas
Luxuriæ sordes? quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum?
Pœna tamen præsens, cùm tu deponis amictus
Turgidus, & crudum pavonem in balnea portas.
Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus.
It nova, nec tristis per cunctas fabula cœnas:

*solus accumbet; jam enim illis divitibus mos est unam instruere mensam inter tot amplas & pretiosas ac prisco elaboratas opere mensas, quas domi habent, in qua tamen una dapibus oneranda tantos faciunt sumptus, ut integra patrimonia absumant. Itaque nemo jam parasitus reperietur. At quis tam immanem, tam sordidam ingluviem æquo animo ferre possit? cujus demum intemperantiæ est, aprum integrum apponere uni homini, aprum, inquam, ideò natum, ut inter plures convivas simul epulantes dividatur? nec inultam hanc diu tamen gulam fers, debitas continuò pœnas dependis, cùm cibo onustus exuis vestem ut balneum petas, necdum digesto pavone, quem avidè vorasti. Ex illa videlicet stomachi, tot cibos ferre & coquere negantis, cruditate, oriuntur mortes repentinæ multorum, ac præcipuè senum, qui tolluntur e medio ante conditum testamentum. Recens ac subitus rumor alicujus hujusmodi mortis per omnia convivia domosque spargitur, hominibus, ad rei novitatem, ut ad monstri fabulæque narrationem, demi-*

*Toris.* In lectulis compositi vescebantur, ferè jacentes, ita tamen, ut sinistro cubito caput incumberet.

122. *Orbibus.* Rotundis mensis.

124. *Nullus erit.* Quia divites, cùm cœnant nullum admittunt socium & convivam.

*Parasitus.* Ita vocantur qui alienas mensas captant. Vide Satiram V, ubi de illis fusè agitur.

128. *Pavonem.* Pavo inter delicata Romanorum fercula numeratus aliquandiu fuit: primùm ob novitatem: deinde propter pennarum pompam & spectaculum, quæ cocto reponebantur, & quibus indutus inferebatur mensis.

*Balnea.* Ante cœnam corpus aliquâ exercitatione curabant, tum balnea ingrediebantur: eadem aliquando repetebant cœnati.

130. *Fabula.* Significat in-

Ducitur iratis plaudendum funus amicis.
Nil erit ulterius, quod noſtris moribus addat
Poſteritas: eadem cupient, facientque minores.
*Omne in præcipiti vitium ſtetit.* Utere velis,
Totos pande ſinus. Dicas hîc forſitan, unde
Ingenium par materiæ? unde illa priorum
Scribendi quodcumque animo flagrante liberet
Simplicitas, cujus non audeo dicere nomen?
Quid refert dictis ignoſcat Mutius, an non?
Pone Tigellinum, tædâ lucebis in illa,
Quâ ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant;

*rantibus, nec tamen valde ingemiſcentibus ob mortem avarî ſenis. Effertur ad rogum mortuus, ab amicis iratis, & dolentibus nihil ſibi teſtamento relictum eſſe; immo plaudentibus, & gaudentibus quòd avarus helluo malè perierit. Nihil habebunt poſteri quo mores noſtros ac ſcelera vincant, iiſdem planè cupiditatibus vitiiſque laborabunt.* Ad ſummum omnis nequitiæ venimus. *Nullus itaque modus ſatiræ ſit, in altum patentia vela demus. Roget quis, an tibi ſatis eſt ingenii pro tam amplo ac difficili argumento? eſtne illa, quæ priſcis vatibus aderat, facultas apertè, ſimpliciter ſcribendi quodcumque mens & ira ſuaſiſſet, quam libertatem appellarem, ſi liceret ejus nomen edere? Ego verò parum laboro utrùm Mutius, aut alius ejuſmodi, quem meis carminibus deſcripſero, mihi vera dicenti parcat, necne. Sit ita ſanè. At ſi Tigellinum deſcribas, ad palum alligatus combuſtuſque tædam de te dabis, ut illi qui Nerone imperante vivi cremati ſunt, adacto per medium corpus ſtipite, & per guttur emergente: nec magis*

terdum *narrationem* quæ mirum aliquid aut fictum habeat: aliàs *tragœdiam* aut *comœdiam.*

134. *In præcipiti.* Abrupta loca ferè ſunt altiſſima: itaque ſenſus eſt: nequitiam altiùs provehi non poſſe, quàm Juvenalis ævo ſit provecta.

135. *Sinus.* Cùm vento diſtenduntur vela, ſinum quemdam efficiunt.

138. *Cujus, &c.* Romanam libertatem Imperator Domitianus, & alii non abſimiles planè oppreſſerant, adeo ut ne illa quidem impunè appellari poſſe videretur.

139. *Mutius.* Lucilius Poëta inſectatus erat Mutium quemdam, hominem improbum, at parum timendum, inopem nempe & ignobilem.

140. *Tigellinum.* Hominem impurum, Neroni gratioſum.

Et latum mediâ ſulcum deducis arenâ.
Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Penſilibus plumis, atque illinc deſpiciat nos?
Cùm veniet contrà, digito compeſce labellum:
Accuſator erit, qui verbum dixerit, hic eſt.
Securus licèt Æneam, Rutulumque ferocem
Committas: nulli gravis eſt percuſſus Achilles;
Aut multum quæſitus Hylas, urnamque ſecutus.
Enſe velut ſtricto, quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor cui frigida mens eſt
Criminibus, tacitâ ſudant præcordia culpâ:
Inde iræ, & lacrymæ. Tecum priùs ergo voluta
Hæc animo ante tubas: galeatum ſerò duelli

*tuâ illâ ſatirâ proficies quàm ſi ſulcum duceres arando littus. Ergo patiar eum, qui tres patruos ſuos veneno ſuſtulit, geſtari impunè in lectica inſtrata pulvillis plumâ farcis, ex qua nos humi per vicum ingredientes deſpectabit? Patere omnino: quin etiam, cùm illum habueris obvium, impone digitum ori, nec hiſcere quidem aude. Si quis enim vel hanc duntaxat vocem miſerit, hic ille Tigellinus eſt, ſtatim aliquis præſto erit, qui verbum iſtud excipiat, eumque accuſet a quo fuerit prolatum. Potes enimverò Rutulorum regem Turnum, & Æneam inter ſe pugnantes tutò deſcribere: nemo ægrè fert nec ſtomachatur, cùm Achillem a Paride vulneratum audit, aut ab Hercule diu veſtigatum Hylam, qui cum urna hauſtus aquis perierat. Verùm quoties poëta ſatiricus, putà Lucilius incenſus irâ, ſtylum in flagitioſos tamquam enſem diſtringit, tunc auditor ſuorum ſibi conſcius criminum, rubore afficitur, ac tacito conſcientiæ vulnere perculſus cruciatur, flet, ultionemque meditatur. Hæc tecum expende priùs, quàm ſatiricum hoc bellum moveas: poſtquam miles galeam & arma*

142. *Et ſulcum deducis, &c.* Arare littus, proverbio dicitur, pro *operam perdere.*

*Arena.* Sic vocabatur ipſum amphitheatri ſolum, quia erat arenâ conſtratum. Sat. II, verſu 102.

143. *Aconita.* Aconitum eſt herba ſucci peſtiferi.

148. *Achilles.* Vide appendicem, c. XXIV.

149. *Hylas.* Vide appendicem, c. XVIII.

150. *Lucilius.* Poëta ſatiricus. Suprà p. 10, verſu 20, nota *Aurunca.*

154. *Duelli.* Ea vox *bellum* ſignificabat apud veteres.

Pœnitet.

Pœnitet. Experiar quid concedatur in illos, 155
Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.

*induit, ſerum eſt pugnam detrectare. Præclarè mones: vivis parcam, ac videbo quid poſſit in eos dici, quorum ſepulcra exſtant in via Latinâ & Flaminia.*

156. *Flaminia.* Hæc via pertinebat ab urbe uſque Ariminum: ſtrata fuerat a C. Flaminio Conſule, qui ad lacum Thraſymenum ab Annibale cæſus fuit.

*Latina:* Ducebatur a porta Latina versùs Latium; eadem prope Caſinum, in Appiam viam incidebat. Erant autem vulgò ſepulcra nobilia ſecundùm vias publicas poſita.

# SATIRA II.

## ARGUMENTUM ET SYNOPSIS.

*VIRTUTIS ac probitatis ſimulatores inſectatur, ac primò quidem eorum inſcitiam exagitat, cùm doctrinæ tamen famam ambiant: deinde furta, homicidia, luxum in unguentis quibus delibuti; in veſtibus parum decoris & virilibus, quibus induti, in corporis cultu; in ludis, &c. Inducit Laroniam quamdam ejuſmodi viros objurgantem; Othonem imperatorem obiter perſtringit. Cauſam tot ſcelerum hanc affert, quòd paucis perſuaſum ſit inferos eſſe, ac pœnas impiis, morte obitâ, luendas.*

ULTRA Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent

*EST impetus ultra Sarmatas & ſeptentrionalem Oceanum hinc aufugere, quotieſcumque illos audio, qui*

1. *Sauromatas.* Sauromatæ, qui *Sarmatæ* vulgò nuncupantur, Europæ atque Aſiæ plagam ſeptentrionalem incolebant, ubi nunc ſunt Tartari, Moſcovitæ, &c.

Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt.
Indocti primùm: quamquam plena omnia gypso
Chrysippi invenias. Nam perfectissimus horum est,
Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit;
Et jubet archetypos pluteum servare Cleanthas.
Rarus sermo illis, & magna libido tacendi,
Atque supercilio brevior coma. Verius ergo,
Et magis ingenuè Peribonius. Hunc ego fatis
Imputo, qui vultu morbum, incessuque fatetur.

*Sermonem Curiorum & vultum sibi sumunt, licet eâdem, quâ vivitur in Bacchanalibus licentiâ, vitam ipsimet turpem & flagitiosam vivant, verba tamen de moribus emendandis magnifica facere. Primùm quidem sunt admodum imperiti; Doctrinæ tamen famam captant coacervandis domi suæ philosophorum, atque in primis Chrysippi statuis factis e gypso; isque inter illos censetur esse doctissimus, qui Aristotelis imaginem ipsi Aristoteli simillimam, aut Pittaco, emerit, Cleanthisque effigies archetypas in museo suo tanquam ejus custodes ostentet. Utuntur autem sermone parco & infrequenti, silentiumque pertinax adamant; comæ brevitas quàm supercilii, major est. Æquius multò & candidius facit Peribonius, qui morbos ex intemperantia contractos ipse confitetur ultro, & facie macilenta, incessu*

3. *Curios.* Manlius Curius, Dentatus cognomento dictus, de Samnitibus, Sabinis, ac Pyrrho triumphavit. Legatis Samnitium auri grande pondus offerentibus quum ipse ad focum sedens rapa in cœnam torreret, respondit, malle se aurum habentibus imperare, quàm aurum habere. Multa edidit alia præclara frugalitatis ac modestiæ exempla.

*Bacchanalia* Sic dicebantur *Bacchi festa*: in iis quasi publica libidinis, crapulæ, aliorumque flagitiorum venia & facultas apud Romanos erat.

5. *Chrysippi.* Chrysippus, fuit insignis Philosophus, miræ in disputando subtilitatis.

6. *Aristotelem.* Eo præceptore usus est Alexander Magnus.

*Pittacon.* Græca est terminatio. Latini dicunt *Pittacum.* Is inter septem Græciæ sapientes numeratur: patriam habuit Mitylenen, Lesbi insulæ urbem primariam.

7. *Archetypos.* Ἀρχὴ Græcis *initium* sonat: τύπος verò, *formam, exemplar.* Itaque statua archetypa est ea quæ prima fuit ab artifice confecta, & cujus ad exemplum fieri possunt aliæ.

*Cleanthas.* Cleanthes, Phi-

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.
Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
Quis cœlum terris non misceat, & mare cœlo,
Si fur displiceat Verri, homicida Miloni? 15
Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegum?

*contorto, satis indicat. Ego quidem illum excuso & miseror, qui nescio quo tristi ac luctuoso fato vitiis turpissimis mancipatus est: istos qui vitia in aliis insectantur, quibus ipsi laborant, non fero. Qui recto est corpore, & firmis pedibus, rideat sanè alium obtortis pedibus claudicantem: qui vultu est candido, eum qui instar Æthiopis fuscus sit. Quis verò non indignè ac molestè ferat, si audiat seditiosos Gracchos, seditiones insectari? quis omnia perturbatæ esse non clamitet, cœlumque terris mixtum, si latroni succenseat Verres, Milo homicidæ? si Clodius in adulteros*

losophus Stoïcus, Zenonis demortui regendam scholam accepit, quam postea reliquit Chrysippo. Cùm primùm philosophiæ daret operam ac inopiâ premeretur, solitus erat noctu aquam e puteis Athenienſium civium ad eorum hortos irrigandos haurire: interdiu verò studiis operam navabat.

12. *Loripedem.* Loripes, idem ferè est atque claudus. Qui pedes, instar lori, & corrigiæ, molles, flexibiles, & tortos habet.

*Æthiopem.* Æthiopia est regio Africæ. Nomen habet a voce Græca αἴθω, *uro*: quia torrentur æstu & solibus ejus incolæ: hinc fuscus illorum color.

13. *Gracchos.* In hoc loco mentio est de duobus Gracchis Tiberio & Caio, fratribus, & majoris Africani ex filia nepotibus, Tribunis plebis, qui cùm, ut captarent populi gratiam, leges agrarias, perpetuos seditionum fomites, revocarent, reclamantibus patribus, interfecti sunt anno U. C. 621 & 623.

15. *Verri.* C. Verres cùm Siciliam in quæstura crudelissimè spoliasset, a Siculis accusatus est repetundarum, agente Cicerone, cujus extant orationes, quæ *Verrinæ* appellantur.

*Miloni.* Cùm occidisset P. Clodium, a Cicerone defensus fuit egregiâ oratione, quæ in manibus omnium est.

16. *Clodius.* Homo profligatissimæ libidinis.

*Catilina.* Lucius Catilina Civis Rom. conjuravit in remp. anno U. C. 691, gerente Consulatum Cicerone, qui ejus conjurationem consilio & armis extinxit.

*Cethegum.* Socius conjurationis Catilinariæ fuit.

In tabulam Syllæ si dicant discipuli tres?
Nonne igitur jure, ac merito vitia ultima fictos
Contemnunt Scauros, & castigata remordent?
Non tulit ex illis torvum Laronia quemdam
Clamantem toties; ubi nunc lex Julia? dormis?
Ad quem subridens: Felicia tempora, quæ te
Moribus opponunt! habeat jam Roma pudorem:

*invehatur, Catilina in Cethegum? si Triumviri Syllam, quòd cives proscripserit, accusent, qui eum, ut magistrum discipuli, sunt in eo ipso imitati? Nonne igitur meritò facinorosissimi homines deridentillos simulatores probitatis, qui Scauros imitari se fingunt; cúmque ab hypocritis ejusmodi reprehenduntur, nonne ipsi vicissim eos meritò vituperant ac redarguunt? Laronia unum aliquem ex illis, qui vultu severo ac tetrico sanctimoniam præ se ferebat; non potuit palam non carpere: cùm enim ille sæpius in eas voces erumperet, o lex Julia, ubi tandem es? an dormis? tunc Laronia subridens, O felicem, inquit, nostram ætatem, quæ in te habeat specimen & exemplar probitatis, quo mores hujus ævi perditissimos refutare possit? Pudi-*

17. *Syllæ.* L. Cornel. Sylla bellum civile movit circa annum urbis conditæ 670, victisque adversariis, quorum princeps erat Marius, rerum potitus est; ac primus omnium proscriptionem instituit, hoc est, nomina inimicorum publicè in tabula scripsit, appositâ mercede, si quis eos interficeret. Anno verò U. C. 711 Octavius Augustus, cùm sibi Consulatum negari videret a Senatu, fœdus iniit cum Æmilio Lepido & M. Antonio, qui *Triumviratus* est appellatus; statimque Triumviri, Syllam imitati, suos quisque adversarios propositâ tabulâ, proscripsere: hinc illos Syllæ discipulos appellat Juvenalis.

19. *Scauros.* Scaurorum familiam potissimùm illustravit M. Æmilius Scaurus, qui anno Urbis 638, Consulatum gessit; & aliquantò pòst Proconsul de Liguribus triumphavit, ac demum Censor, viam Æmiliam stravit, duque Senatûs princeps summam inter cives suos auctoritatem obtinuit, homo impiger, factiosus, avidus potentiæ, inquit Sallustius in bello Jugurthino, ceterum vitia sua callidè occultans. Ejus filius M. Scaurus Ædilitate, ludorum apparatu, & theatri magnificentiâ notissimus fuit.

21. *Lex Julia.* Lex in adulteros lata ab Augusto, qui, quòd a Jul. Cæsare fuisset adoptatus, Julius etiam est appellatus.

*Tertius e cœlo cecidit Cato.* Sed tamen unde
Hæc emis, hirſuto ſpirant opobalſama collo
Quæ tibi? ne pudeat dominum monſtrare tabernæ.
Quod ſi vexantur leges ac jura, citari
Ante omnes debet Scantinia. Reſpice primùm
Et ſcrutare viros: faciunt hi plura; ſed illos
Defendit numerus, junctæque umbone phalanges.
Numquid nos agimus cauſas, civilia jura
Novimus? aut ullo ſtrepitu fora veſtra movemus?

*citiam Roma colat*, en tertius Cato e cœlo ad nos emendandos delapſus eſt. *Age tamen, oro te, qua in officina venduntur odores pretioſi, & ſucci balſamei, quibus collum tuum, licet barbatum & villoſum, eſt delibutum? Ne te, oro, pudeat edere mihi nomen illius unguentarii. Quòd ſi appellantur a te leges, & moleſtè, quaſi dormientes, excitantur, Scantiniam profectò præ ceteris appellari par eſt. Viros contemplare, graviùs peccant fœminis, ſed numero ſe tuentur contra legum ſeveritatem, ut milites multi junctis clypeis confertis hoſtem arcent. An aguntur a nobis cauſæ, an callemus jura civilia, aut clamoribus noſtris fora veſtra perſonant? paucæ fœminæ pugilatu & luctatione exercentur, paucæ veſcuntur illis panibus, quibus utuntur Athletæ*

24. *Cato.* Porciæ gentis princeps fuit M. Porcius, cognomento Priſcus, qui propter ſingularem ſapientiam appellatus fuit *Cato*: quod nomen poſteris ſuis proprium reliquit. Catus enim *ſolertem, acutum, prudentem*, ſignificat. Idem propter Cenſuram ſummâ ſeveritatis ac probitatis laude geſtam, vulgò vocatus eſt *Cenſorius*. Floruit circa annum Urbis 558, inter ejus poſteros maximam æquitatis ac ſapientiæ laudem adeptus eſt M. Cato, *Uticenſis* dictus, qui, poſt Prætu-ram integerrimè adminiſtratam, Pompeium contra Cæſarem ſequutus, victis partibus, Uticæ in Africa, ſibi mortem conſcivit. Duo illi Catones fuere celeberrimi, ex quo factum, ut ſi quis ſeveritate morum ac probitate foret illuſtrior, tertius Cato appellaretur.

28. *Scantinia.* Lex fuit a Tribuno plebis Scantinio, lata in viros impudicos.

30. *Umbone.* Eſt umbo pars eminens in medio clypeo: pro *toto clypeo* ponitur. Conferti milites junctis ſcutis & collatis, facilè hoſtem irrumpentem arcent.

*Phalanges.* Phalanx propriè vox eſt Macedonica, ſignificans *cuneum militarem*, ſeu *peditum ſtabile agmen*,

Luctantur paucæ, comedunt colliphia paucæ.
Vos trahitis lanam, calathisque peracta refertis
Vellera: vos tenui prægnantem stamine fusum
Penelope melius, melius torquetis Arachne.
De nobis post hæc tristis sententia fertur.
*Dat veniam corvis, vexat censura columbas.*
Fugerunt trepidi vera ac manifesta canentem
Stoïcidæ, quid enim falsi Laronia? sed quid
Non facient alii, cùm tu multitia sumas,
Cretice? & hanc vestem populo mirante perores

*ad corroborandas vires: vos e colo ducitis lanam, o viri, & in vimineis cistis perfecta pensa reportatis; vos fusum, cujus media pars involuto circum filo intumescit, doctius & citius, quàm Penelope aut Arachne, contorquetis. Et fertur tamen contra nos, tanquam reas, feralis sententia, dum viri abeunt absoluti!* nempe a censoribus notantur & plectuntur columbæ, corvis ignoscitur. *Laroniam hæc dicentem, quæ vera esse ac manifesta intelligebant illi præclari Stoïci, pudore suffusi ac metu, fugerunt. Quid enim illa falsum dictitabat? Age verò cùm tu patronus nobilis, & oriundus ex illo Metello, qui Creticus est nuncupatus, bombycinam vestem mollissimam ac tenuissimam induas, eâque indutus populo præclaram vestem admirante,*

in quo vir viro, arma armis conserta sunt.

33. *Colliphia.* Colliphium, secundarius panis, corroborandis pugilibus idoneus.

36. *Penelope.* Ulyssis uxor, texendâ telâ, mariti diuturnam absentiam, ac desiderium solabatur.

*Arachne.* Puella fuit Lyda, quæ cùm Palladem lanificio provocasset, ut fabulis proditum est, victa & in araneam est conversa. Ovid. VI Metamorph.

38. *Censura.* Censor apud Romanos moribus civium emendandis præcipuè præfectus erat.

40. *Stoïcidæ.* Stoïcorum velut nepotes & imitatores. Erant Stoici philosophi graves ac severi: summum bonum in virtute una collocabant.

41. *Multitia.* Multitium, seu vestis multitia, est vestis mollissima.

42. *Cretice.* Quintus Metellus in bello Piratico tam feliciter contra Cretenses bellum gessit, ut iis domitis & triumphum & Cretici cognomen reportarit. Consulatum gessit anno Urbis 684. Judicem nobilem hoc nomine significat vates noster: erat enim nobilissima & antiquissima Metellorum familia.

In Proculas, & Pollineas? Est mœcha Fabulla:
Damnetur, si vis, etiam Carphinia, talem
Non sumet damnata togam. Sed Julius ardet, 45
Æstuo. Nudus agas; minus est insania turpis.
En habitum, quo te leges, ac jura ferentem
Vulneribus crudis populus modò victor, & illud
Montanum positis audiret vulgus aratris.
Quid? non proclames, in corpore judicis ista 50
Si videas? quæro an deceant multitia testem.
Acer, & indomitus, libertatisque magister,
Cretice, pelluces. Dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures: sicut grex totus in agris

*inveharis in adulteras Proculæ ac Pollineæ similes, quid non audebunt ignobiliores alii Causidici? quas exemplo tuo vestes sumere verebuntur? Fabulla est adultera, sit ita sanè, condemnetur, non recuso: feratur eadem, si lubet, in Carphiniam sententia; neutra tamen togam adeò mollem ac delicatam induet, adulterii convicta. Atenim sævit æstus, hoc mense Julio calorem tolerare non possum; auctor ego tibi sum, ut nudo potiùs corpore declames, quàm istâ tam molli utaris veste; nec eorum reprehensionem verearis qui te insanum dixerint, si nudum videbunt; minùs turpe est insanum existimari quàm impudicum. Egregiam enimverò vestem, & idoneam in qua te priscus ille Romanus populus in sylvis & montibus educatus, aut a bello recens post victoriam de hostibus reportatam, ostentansque vulnera cruore adhuc manantia; aut redux ab agris, post aratra depositta; spectaret audiretque leges proponentem, & jura civitati dantem! Ego te ipsum consulo; num illas tenues ac pellucidas vestes convenire testi arbitraris? quonam igitur pacto judicem decebunt? nonne indignissimas illo esse, ac jure quidem clamabis? Tune, o Cretice, qui austeram virtutem, & omnibus libidinum telis insuperabilem, profiteris, pellucidam vestem gestas? nimirum alienis hominum flagitiosorum exemplis ad hanc mollem effœminatamque vitam es perductus: nec ibi sistet morum ista contagio, serpet ad plures, qui tuis vicissim exemplis inquinari se sinent, sicut integrum armentum,*

45. *Togam.* Romanæ fœminæ utebantur vulgò stolâ: jubebantur togam, quæ propria virorum vestis erat, induere. impellices & adulterii convictæ

Unius scabie cadit, & porrigine porci;
Uvaque conspectâ livorem ducit ab uva.
Fœdius hoc aliquid quandoque audebis amictu.
*Nemo repentè fuit turpissimus.* Accipient te
Paulatim, qui longa domi redimicula sumunt
Frontibus, & toto posuêre monilia collo,
Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ,
Et magno cratere Deam: sed more siniſtro
Exagitata procul non intrat fœmina limen.
Solis ara Deæ maribus patet: ite profanæ,
Clamatur; nullo gemit hîc tibicina cornu:

*ob unius porci scabiosi & porrigine laborantis morbum, interit; & uva tabescit corrumpiturque, si prope uvam aliam tabidam & livido colore suffusam posita fuerit. Ab hac vestitûs mollitie gradum olim facies ad flagitia graviora.* Nemo enim statim ad summum improbitatis culmen evadit. *Brevi suum in gregem te pertrahent illi Albani sacerdotes, qui capita induunt prolixis redimiculis, atque colla tota monilibus circumdant, & Bonæ Deæ prægnantem immolant suem, eique vas ingens vino refertum offerunt. Sed, more penitus contrario illi mori qui Romæ in Bonæ Deæ sacris usurpatur, expellunt omnes templo mulieres, & viris solis ad aram aditum patere volunt. Procul este, o profanæ, exclamant, nullæ hic tibicinæ ad canendum adhibentur.*

55. *Porrigine.* Porrigo, morbus est, quo inter pilos enascuntur squamulæ ac furfures: scabies quædam siccior.

61. *Bonam Deam.* Sacra Bonæ Deæ fiebant Romæ quotannis, in domo Pontificis Maximi, pro salute populi Rom.; a mulieribus tantùm celebrabantur, exclusis viris. Insectatur autem Juvenalis hoc in loco sacerdotes Minervæ, quorum collegium Domitianus instituerat in Albano, regiâ prope Albam villâ. Illi cùm Bonæ Deæ (quæ eadem est ac Terra, Ops, seu Proserpina,) sacra faciebant, fœmineas induebant vestes, solos mares admittebant, &c. homines impuri & effœminati.

*Abdomine.* Pro *ventre toto* ponitur. Abdomen est cutis ventrem obtegens.

63. *Exagitata procul.* Expulsa.

64. *Profanæ.* Profani dicuntur qui sacris initiati non sunt, qui fanum intrare non possunt.

65. *Tibicina.* Fœmina tibiam inflans.

*Gemit.* Quia tibicines contentis buccis & operosè tibias inflant.

Talia ſecretâ coluerunt orgia tædâ
Cecropiam ſoliti Baptæ laſſare Cotytto.
Ille ſupercilium madidâ fuligine tinctum
Obliquâ producit acu, pingitque trementes
Attollens oculos: vitreo bibit ille Priapo,
Reticulumque comis auratum ingentibus implet
Cæruleâ indutus ſcutulatâ, aut galbana raſa;
Et per Junonem domini jurante miniſtro.

*Non diſſimili modo Baptæ ſacrificia olim nocturna celebrarunt accenſis facibus, in honorem Cotyttûs, Deæ Athenienſium, & ſaltando jactandoque ſe fatigarunt. Videas unum aliquem ex iis præclaris ſacerdotibus, qui ſupercilium madendi fuligine imbutum, calamiſtro componat obliquè ducto, ac pilos ſingulos carpens, extendat; idem palpebras pigmento aliquo inficit, oculos nictantes ac tremulos identidem attollens: alius vitreo utitur ſcypho, Priapi figuram referente, prolixos ejus crines, reticulum filis aureis diſcretum includit; ſplendent veſtes coloris cærulei aut galbanei, e panno raſo, vel in morem brevium ſcutorum variato: interim ſervus, qui poculum ei porrigit, jurat per Junonem, quam nempe ab hero ſuo, mulierum more,*

66. *Orgia.* Propriè *Bacchi ſacrificia*, pro quibuſcumque cæremoniis accipi ſolent.

67. *Cotytto.* Eſt accuſativus numeri ſingularis; Cotytto, Cotyttus, ut Dido, Didus. Hæc Dea libidinis præſes ab Athenienſibus colebatur: ejus ſacerdotes vocabantur *Baptæ*, a voce Græca βάπτω, *lavo*, *tergo*, quia lavabantur aquâ calidâ cùm initiabantur.

*Cecropiam.* Cotytto Cecropia dicitur, *id eſt*, Attica. Cecrops fuit primus rex Atticæ.

77. *Priapo.* Priapus Deus, hortorum cuſtos erat apud Romanos, non poſtremus inter obſcœnitatis præſides Deos.

71. *Reticulum.* Pannus eſt fericus in ſimilitudinem retis confectus: tegmen etiam capitis muliebris.

72. *Galbana.* Galbanus, ſeu galbaneus color, eſt pallidus, & ſubflavus; qualis apparet in galbano, quod eſt viſci aut reſinæ genus in Syria frequens. Eo veſtium colore fœminæ plurimùm utebantur.

73. *Junonem.* Viri per Deos jurabant: fœminæ per Deas. Ille impurus dominus per Junonem jurabat.

Ille tenet ſpeculum mollis geſtamen Othonis;
Actoris Aurunci ſpolium, quo ſe ille videbat
Armatum, cùm jam tolli vexilla juberet.
Res memoranda novis annalibus, atque recenti
Hiſtoriâ, ſpeculum civilis ſarcina belli.
Nimirùm ſummi ducis eſt occidere Galbam,
Et curare cutem ſummi conſtantia civis,
Bedriaci in campo ſpolium affectare palati,

*coli videt. Alter præfert manu ſpeculum, quod Otho, mollis & effœminatus imperator, non ſecus atque olim Turnus haſtam Actori Aurunco ereptam, geſtabat, & in quo ſe armatum contemplabatur, quum exercitum in hoſtes educi juberet. Enimvero ſpeculum inter præcipuas ſarcinas Imperatoris, civile bellum gerentis, numeratum res eſt digna quæ in Romanis noſtrorum temporum annalibus, & peculiari quadam hiſtoria legatur. Sanè fuit illud præclari ducis facinus, Galbam interficere. Fuit hæc civis eximii fortitudo, curare cuticulam & genio conſtanter indulgere: hoſtem in agris Bedriacis laceſſere, ad obtinendas imperatorii palatii gazas, ac ludicra ornamenta, velut opima ſpolia &*

74. *Othonis.* Romanus fuit imperator octavus. Galbæ ſucceſſit, victus eſt a Vitellio. Inter impedimenta & ſarcinas ſpeculum ingens circumferebat, in quo ſe armatum contemplari geſtiebat. Hoc ſpeculum vocat Juvenalis ironicè *Actoris Aurunci ſpolium*, quod hemiſtichium eſt Virgilianum, Lib. XII, verſ. 95, ubi Turnus ad ſingulare contra Æneam certamen ſe accingens, *validam vi corripit haſtam Actoris Aurunci ſpolium, quaſſatque trementem, vociferans, &c.* Erant autem Aurunci populi veteris Italiæ. Quemadmodum igitur Turnus haſtâ illâ gloriabatur, quâ ſpoliaverat Actorem, ita Otho ſuum ſpeculum geſtabat.

76. *Tolli vexilla.* Defigebantur humi ſigna, cùm ſtabat agmen; cùm in hoſtes ducebatur, revellebantur.

79. *Galbam.* Virum optimum & ſenio confectum Otho, vel ipſius milites in foro, interemerunt.

81. *Spolium Palati.* Pro *Palatii.* Erat autem Palatium unus e ſeptem Romæ montibus, ita dictus a Dea paſtorum Pale, vel quòd ibi palare, *id eſt*, errare pecudes paſcentes ſolerent. In eo monte primùm Romulus domum ſibi ædificavit, itemque Ancus Martius, & Servius Tullius, Reges Rom. unde factum ut regiæ domus, palatia vocarentur. Per *ſpolium* autem *Palatii* Juvenalis intelligit *omnem ſupellectilem re-*

Et preſſum in faciem digitis extendere panem,
Quod nec in Aſſyrio pharetrata Semiramis orbe,
Mœſta nec Actiaca fecit Cleopatra carina.
Hìc nullus verbis pudor, aut reverentia menſæ. 85
Hìc turpis Cybeles, & fractâ voce loquendi
Libertas, & crine ſenex fanaticus albo
Sacrorum Antiſtes, rarum ac memorabile magni
Gutturis exemplum, conducenduſque magiſter.

*victoriæ præmia : panis offulas madidas, & digitis compreſſas ac ſubactas, vultui levigando dealbandoque adhibere : quod neque a Semiramide factum apud Aſſyrios fuit, neque a Cleopatra ob amiſſam Actiaca pugna victoriam navalem mœrente & iram Cæſaris metuente. Ceterùm in hoc impuro ſacrificulorum grege & contubernio, nulla eſt vel in loquendo, vel in potando verecundia : licentia maxima voces obſcœnas jactandi & faciendi quidquid in ſacris Cybeles fieri conſuevit. Quippe illis impudicitiæ quaſi ſacris præſidet ſenex aliquis lymphatus, non tam ſpectandus ob crines canos, quàm ob gutturis amplitudinem & immenſitatem gulæ, ac dignus qui pretio conducatur, ut homines ad ebrietatem*

*giam*, & *gazas*, quas, ut victoriæ præmia, Otho iſtarum deliciarum cupidus, conſectabatur, & peroptabat.

82. *Et preſſum....* Macerabant iſti delicati panem lacte aſinino, & eo quaſi pultem conficiebant, quâ vultum leniter inducebant, ut candèret cutis ac tenereſceret.

83. *Semiramis.* Aſſyriorum regina, Nini regis uxor, quæ poſt viri obitum, regnum ſtrenuè ac viriliter adminiſtravit, bellum Æthiopibus atque Indis intulit, &c. Pharetrata dicitur, *id eſt*, bellatrix, ſagittis uti ſolita.

*Aſſyrio.* Eſt Aſſyria pars Aſiæ, circa Euphratem.

84. *Cleopatra.* Ægypti regina. Primùm a Caio Julio Cæſare adamata, deinde poſt ejus obitum ab Antonio juſtæ uxoris loco eſt habita. Victa cum Antonio in Actiaca pugna, fugit in Ægyptum, ubi Antonius, perſequentis Cæſaris metu gladio ſe confecit: Cleopatra ſerpentibus corpori admotis, ne viva & captiva duceretur in triumpho, necem ſibi conſcivit.

86. *Cybeles.* Vide appendicem, c. 11.

87. *Fanaticus.* Inſaniens, numine afflatus, ſacro furore correptus. Ductum id nomen eſt a fanis, *id eſt*, delubris: in iis enim ejuſmodi ſacerdotes furioſi ſolebant futura prædicere.

O proceres! Censore opus est, an haruspice nobis?
Scilicet horreres, majoraque monstra putares,
Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum?
Segmenta, & longos habitus, & flamea sumit,
Arcano qui sacra terens nutantia loro
Sudavit clypeis ancilibus. O pater urbis,
Unde nefas tantum Latiis pastoribus? Unde

*instituat. O Romani proceres! egemusne censore qui hæc flagitia emendet, an potius haruspice, qui hæc procuret monstra? an cohorrescemus vehementiùs, aut majus monstrum esse duceremus, si fœmina vitulum, vel agnum vacca pareret, quàm cùm hæc portenta scelerum audimus? En Martis sacerdos, qui non semel sacros clypeos, ancilia nuncupatos occulto loro inter se religatos, per urbem, non sine labore circumtulit, eidem mulierum more vestem tæniis verticoloribus ornatam, & ad pedes usque demissam, nec non velum quo novæ nuptæ caput obtegunt, induit? O Mars, urbis Romanæ conditor, quis hæc tandem scelera in populum tuum invexit? quæ labes prisco Latinorum pastorum, e quibus Roma primùm coaluit, & sanctos mores*

90. *Censore.* Quinto quoque anno creabantur Censores, qui regendis urbis moribus præessent. Senatores flagitiosos movebant Senatu: equitibus equum adimebant: plebeios in tabulas Cæritum referebant.

*Haruspice.* Haruspex is dicebatur qui victimarum exta inspiciens, quid portenderent renuntiabat, ac si quid obtigisset monstri portentique, certis expiabat sacrificiis.

93. *Segmenta.* Ornamenta quædam vestium erant, e variis particulis panni subtilioris, tæniis textilibus, &c. constantia: fœminis aptiora, quàm viris.

*Flamea.* Flameum, veli genus erat, lutei, seu crocei coloris, quo caput novæ nuptæ velabatur.

95. *Clypeis ancilibus.* Regnante Romæ Numâ Pompilio, e cœlo decidisse fertur breve scutum ex ære, dictum Ancile, quia rotundum erat, accisis undique angulis. Responderunt haruspices civitatem, in qua clypeus iste servaretur, potentissimam fore. Numa, ne subripi Ancile posset, jussit undecim alia scuta fieri ad ejus similitudinem: iisque servandis Salios sacerdotes Martis præfecit, a quibus illi clypei, loro inter se arctissimè devincti, ne alii ab aliis solverentur, interdum ferebantur per urbem, religionis causâ.

*Pater urbis.* Mars Romuli Romæ conditoris pater. Armatus galeâ, & hastâ ferro præfixâ vulgò pingitur.

Hæc tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes?
Nec galeam quassas, nec terram cuspide pulsas,
Nec quereris patri. Liceat modò vivere; fient,
Fient ista palam, cupient & in acta referri. 100
Vicit & hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi,
Lustravitque fugâ mediam gladiator arenam,
Et Capitolinis generosior, & Marcellis,

*eo usque sensim immutavit, ut tam fœda voluptatis prurigine eorum posteri ac tui laborarent? Cessas interim tu, neque armatum galeâ caput hæc intuens, moves, nec hastam terræ incutis, neque apud Jovem quereris? Scio quidem hæc scelera clam admitti, sed si vita longior nobis suppetat, erit, erit illa dies, cùm hæc palam fieri videbimus, immo etiam fastis annalibusque mandari. Hæc tamen flagitia, licet monstrorum simillima, superavit illud deforme spectaculum in quo Gracchus tunicâ indutus, & armatus tridente, gladiatoris in morem, mediam arenam, fugiens secutorem, pererravit: ille nobilior & Capitolinis & Mar-*

100. *Acta.* Sunt hîc libri in quibus perscribuntur negotia publica, quæcumque ad remp. pertinent.

101. *Fuscina.* Gladiatorum, hoc est, hominum gladiis inter se animi & spectaculi publici causâ, singulari pugnâ dimicantium. Alter vocabatur *Retiarius*, habebatque pro armis rete, quo involvere conabatur caput adversarii, & fuscinam seu tridentem, quo illum ad se pertractum interimeret: alter dicebatur *Mirmillo*; habebat pro armis galeam, in cujus apice pisces effigies visebatur; item ensem recurvum: vocabatur etiam *Thrax*, *Gallus* & *sequutor*.

*Tunicati.* Tunicâ indutî. Tunica est vestis arctior, sine manicis; quâ utebantur gladiatores, ut essent expeditiores ad pugnam.

102. *Fuga.* Cùm Retiarius emiserat rete frustra, fugere conabatur instantem Mirmillonem, ac rete colligere.

*Arenam.* Patens in amphitheatro solum & ædificiis circumdatum, arena vocabatur, quia conspersum erat arenâ, quæ sanguinem cæsorum combiberet, ac pugnantium gradum firmaret, ne in madida cruore humo laberentur.

103. *Capitolinis, &c.* Ducebant originem illi a M. Manlio qui Capitolium a Gallis obsessum servavit.

*Marcellis.* Unus Marcellorum rem contra Hannibalem felicissimè gessit, secundo bello Punico.

Et Catuli, Paulique minoribus, & Fabiis, &
Omnibus ad podium ſpectantibus : his licet ipſum
Admoveas, cujus tunc munere retia miſit.
Eſſe aliquos Manes, & ſubterranea regna,
Et contum, & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque unâ tranſire vadum tot millia cymbâ,
Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lavantur.
Sed tu vera puta. Curius quid ſentit, & ambo
Scipiadæ? Quid Fabricius, maneſque Camilli?

*cellis & Catuli, & Æmilii Pauli poſteris, & omnibus demum qui primis in ſedilibus ſpectabant : adde & illo, qui tunc edebat munus gladiatorium, cùm Gracchus idem retiarii perſonam & partes geſſit. Eſſe Manes & regna inferorum ubi ſupplicia ſint ſceleratis conſtituta ; eſſe ibi Stygem, in qua ranæ nigræ conſpiciantur : per eam paludem a Charonte ſubigi conto cymbam, in qua tot hominum millia, quot quotidie mortem obeunt, tranſvehantur : hæc, inquam, ita eſſe, ne ipſis quidem pueris perſuaſum eſt, niſi fortè iis, qui adhuc ſunt impuberes, nec lavantur in publicis balneis. Tu verò ea prorsùs vera eſſe, tibi perſuade. Attende quid ſentiat Curius, quid duo Scipiones, quid Fabricius, Camillus, Fabii ad Cremeram cæſi, Romana*

104. *Et Catuli.* Q. Catulus finem impoſuit primo bello Punico.

*Pauli, &c.* Paulus Æmilius Perſeum regem Macedoniæ devicit. Fabiorum etiam nomen clariſſimum fuit.

105. *Podium.* Locus erat ornatior, & ab aliis ſejunctus, ubi nobiles conſidebant, ſpectabantque.

107. *Manes.* Ita vocabantur *umbræ* ſeu *animæ mortuorum.*

108. *Stygio.* Styx, palus inferorum, per quam Charon ſubvectat umbras.

110. *Ære.* Pueruli non utebantur balneo, ſed tantùm ætate provectiores. Dabatur balneatori exigua moneta ex ære, quadrans dicta, quia pars erat quarta Romani aſſis.

111. *Curius.* Actum de illo, ſuprà, verſ. 3, verbo *Curios.*

112. *Scipiadæ.* Scipiones duo fuere clariſſimi : alter Africanus major, ſeu ſenior : alter minor Africanus eſt appellatus. Major confecit Punicum bellum ſecundum anno urbis 553, & victos Afros tributo multavit. Minor tertium bellum punicum abſolvit, anno 608, & Carthaginem delevit.

*Fabricius.* Dux Romanus memorandæ frugalitatis, Curii æqualis, adversùs Pyrrhum

Quid Cremeræ legio, & Cannis consumpta juventus,
Tot bellorum animæ? Quoties hinc talis ad illos
Umbra venit, cuperent lustrari, si qua darentur
Sulphura cum tædis, & si foret humida laurus.
Illuc, heu, miseri traducimur! Arma quidem ultra
Littora Jubernæ promovimus, & modò captas
Orcadas, ac minimâ contentos nocte Britannos:
Sed quæ nunc populi fiunt victoris in urbe,
Non faciunt illi, quos vicimus.

*pubes ad Cannas interfecta, tot viri bello præstantes. Quoties ad egregios illos Manes aliqua ex hoc impiorum grege umbra descendit, exsecrantur ejus impietatem, adspectum occursumque fugiunt, quo se ita contaminari putant, ut lustrari, purgarique cuperent, si esset ibi facultas & copia sulphuris ac lauri. Omnes heu! ad hæc regna subterranea deportandi aliquando sumus, & pœnas scelerum daturi. Sanè armis victricibus populos ultra Hiberniam positos, Orcadas recenti bello expugnatas, & Britannos, ubi noctes per æstatem sunt brevissimæ, domuimus. Verùm gentes a nobis victæ, non inquinant se illis flagitiis, quæ a nobis ipsarum victoribus admittuntur.*

Epirotarum regem & Samnites gravia bella gessit, eorum armis juxta & muneribus invictus. Ejus filiæ ob domesticam paupertatem de publico dotatæ fuerunt circa annum U. C. 440.

*Camilli.* Anno ab urbe condita 363, Galli Senones Romam Brenno duce incenderunt. Ægrè a Capitolio per Manlium repulsi, demum a Camillo profligati sunt.

113. *Cremeræ legio.* Cùm Veientes Romam nascentem anno ejus 277, premerent acri bello, Fabii sex & trecenti cum servis suis & clientibus pugnam depoposcerunt: insidiis hostium intercepti ad Cremeram, Tusciæ fluvium, periere.

*Cannis.* Cannæ, viculus Apuliæ in Italia, ad quem Hannibal 40 Romanorum millia cecidit.

115. *Lustrari.* Si quo piaculo inquinati fuissent victores, eluebant maculam sulphure, igni, lauro, &c.

118. *Jubernæ.* Nunc *Hibernia* sive *Irlandia* dicitur.

119. *Orcadas.* Sunt Orcades insulæ minores, triginta numero, ad septentrionem Scotiæ. Britanniam, sive Angliam, Clodius imperator domuerat.

# SATIRA III.

## ARGUMENTUM ET SYNOPSIS.

*UMBRITIUM quemdam, amicum ſuum, inducit Româ Cumas diſcedentem, & cauſas cur diſcedat exponentem: quarum prima eſt, quòd artibus honeſtis loci nihil jam Romæ ſit: altera, quòd in ea tantùm improbi dominentur, & magnorum ſcelerum auctores, vel conſcii: tertia, quòd plena ſit hominibus exteris, præſertim Græcis, quorum adulationem, vafrum & verſatile ingenium, delationes, calumnias aliaſque malas artes exagitat: quarta, quòd ſolarum opum ratio habeatur, non virtutis aut nobilitatis: quinta, quòd Romæ nihil ſummo pretio non conſtet, ne ſomnus quidem: ſexta petitur a ruina domorum & crebris incendiis: ſeptima ducitur ab urbis ſtrepitu: octava, a periculo, cùm tegulæ aut vaſa e ſublimibus feneſtris in prætereuntes decidunt: nona, eſt juvenum ebriorum ac petulantium protervia, qui obvios quosque pulſant ac malè multant, præſertim pauperes, quorum miſeram conditionem non uno in loco hujus Satiræ deſcribit: decima, eſt graſſatorum & latronum incredibilis copia. In clauſula Satiræ, Umbritius valere Juvenalem jubet, iterque inſtitutum pergit.*

QUAMVIS digreſſu veteris confuſus amici,
Laudo tamen vacuis quòd ſedem figere Cumis
Deſtinet, atque unum civem donare Sibyllæ.
Janua Baïarum eſt, & gratum littus amœni
Seceſſus. Ego vel Prochytam præpono Suburræ: 5
Nam quid tam miſerum, & tam ſolum vidimus, ut non
Deterius credas horrere incendia, lapſus
Tectorum aſſiduos, ac mille pericula ſævæ

*LICET non poſſim veteris amici diſceſſum ferre non moleſtè, nihilominus ejuſdem conſilium vehementer probo, quòd habitare Cumis, in urbe tranquilla nec admodum populoſa cogitet, ibique domicilium ſibi eligere ac ſaltem uno capite, numerum augere civium Cumæam Sybillam colentium. Eſt hæc civitas quaſi veſtibulum Baïarum, ac totum iſtud Campaniæ littus gratiſſimum adeuntibus, & amœniſſimum ſeceſſum præbet. Neque verò me ſolitudo loci & incolarum infrequentia movet: ſic enim ſum, ut inſulam vel maximè deſertam, qualis eſt Prochyta, præferam Suburræ, vico urbis frequentiſſimo. Equis enim locus tam ſolitarius, tam deſertus, tam commodis omnibus deſtitutus eſſe poteſt, ut in eo non præſtet habitare, quàm Romæ verſari, perpetuo in metu incendiorum, ædium corruentium, & ſexcentorum, quæ cives miſeros excruciant quotidie, periculorum*

2. *Cumis.* Cumæ, Cumarum, civitas eſt Italiæ in Campania. Lege Virgil. Lib. VI, verſu 17.

3. *Sibylla.* Virgines quædam ita ſunt appellatæ, quæ multa de Chriſto & Chriſtianæ religionis myſteriis longè ante Chriſtum prædixerunt, viamque ſtraverunt Ethnicis ad fidem amplectendam. Decem vulgò numerantur, in quibus non ultimum obtinebat locum Cumana ſeu Cumæa.

4. *Baïarum*, Baïæ, *Baïa*, locus erat amœnus in Campano littore, juxta Lucrinum ſinum, inter Puteolos, & Miſenum montem. Ibi erant aquæ calidæ & balnea celeberrima, quò qui conveniebant, genio, ut fit, indulgebant ac voluptati.

5. *Prochytam.* Inſulam ejuſdem littoris Campani.

*Suburræ.* Vicus erat Romæ frequentiſſimus, qui a foro Romano per forum Nervæ protendebatur uſque ad Eſquilium montem.

Urbis, & Auguſto recitantes menſe poëtas?
Sed dum tota domus rhedâ componitur unâ,
Subſtitit ad veteres arcus, madidamque Capenam,
Hic ubi nocturnæ Numa conſtituebat amicæ:
Nunc ſacri fontis nemus, & delubra locantur
Judæis, quorum cophinus, fœnumque ſupellex.
Omnis enim populo mercedem pendere juſſa eſt
Arbor, & ejectis mendicat ſylva Camœnis.
In vallem Ægeriæ deſcendimus, & ſpeluncas
Diſſimiles veris. Quantò præſtantius eſſet

*& miſeriarum, in quibus jure numeres moleſtos poëtas, Sextili menſe ſua carmina, convocatis amicis, odiosè recitantes. Interim autem dum omnis domeſtica Umbritii ſupellex Cumas demigrantis in curru congeritur, pauliſper ipſe rhedam exſpectans reſtitit prope arcus triumphales a veteribus erectos in honorem trium Horatiorum, ac portam quæ Capuam ducit, aquis, ob impoſitum ipſi aquæ ductum, madentem ſemper & ſtillantem: non procul ab eo loco in quem Numa conſtituto tempore conveniebat noctu, ad audiendam Ægeriam Deam: nunc illud nemus cum fonte ſacro ac delubro locatur mendicantibus Judæis, quorum egeſtas tanta eſt, ut, nihil ferè aliud ſupellectilis habeant quàm corbem fœno refertam. Tamen pro ſylva iſta obtinenda perſolvunt populo Romano pretium certum, in ſingulas ferè arbores; & qui lucus antea ſacer Muſis erat, ac in earum honorem frequentabatur, nunc iis velut ejectis, Judæos ibi ſtipem corrogantes a prætereuntibus, dominos & incolas habet. Ego igitur & quem deducebam, Umbritius in vallem Ægeriæ ſacram devenimus, & cavernas a nativis & veris multùm abhorrentes, iiſque multò deteriores. Quantò faciliùs*

9. *Recitantes.* Hoc ironicè ac lepidè, tamquam omnium incommodorum cumulum, ultimo loco poſuit.

11. *Arcus.* In memoriam victoriæ ſolebant Romani ædificare lapideum arcum ſeu fornicem. Ita vocantur etiam aquæ ductus.

12. *Numa.* Numa Pompilius Romanorum rex ſecundus numeratur. Simulabat ſe identidem colloqui cum Ægeria Dea, ejuſque monitis remp. adminiſtrare ac religionem & ſacra inſtituere, quò plus auctoritatis apud populum conciliaret ſuis legibus. Idem Numa lucum & ædem portæ Capenæ vicinam dedicavit Muſis.

Numen aquæ, viridi si margine clauderet undas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum?
Hic tunc Umbritius: Quando artibus, inquit, honestis
Nullus in urbe locus, nulla emolumenta laborum,
Res hodie minor est here quàm fuit, atque eadem cras
Deteret exiguis aliquid; proponimus illuc
Ire fatigatas ubi Dædalus exuit alas:
Dum nova canities, dum prima, & recta senectus,
Dum supereſt Lacheſi quod torqueat, & pedibus me
Porto meis, nullo dextram ſubeunte bacillo.
Cedamus patriâ; vivant Arturius iſtic,
Et Catulus: maneant qui nigra in candida vertunt,

*agnoſceretur, ac jucundiùs coleretur numen quod iſtis fontibus præſidet, ſi herba virens lymphis marginem daret, vel ſimplex tophus, qualis ibi natus eſt, nec addita aut inducta eſſent ei marmora, quæ ipſius nativum decus videntur corrumpere. Tunc Umbritius ejuſmodi fere ſermonem habuit: Cùm viris honeſtas artes exercentibus nihil jam ſit loci Romæ, nec ullum ſui laboris fructum ſperare poſſint; res verò mea familiaris hodie anguſtior eſt quàm heri, & eadem licet exigua, cras aliquid tamen deperdet, conſtituì recipere me in eam civitatem, ubi Dædalus alas feſſus depoſuit, dum viridis necdum incurva mihi ſenectus eſt, dum incipiunt caneſcere capilli, & adhuc Lacheſis habet aliquid mei ſtaminis trahendum, ipſeque pedibus bellè nitens, carere ſcipione poſſum. Patriâ ſanè diſcedamus: eam obtineant Arturius & Catulus: ibi commorentur qui nigra pro candidis; pravæ pro rectis, habent: qui lucrum vile ſectantur*

20. *Tophum.* Eſt lapis impolitus & eroſus, qui ferme in iis locis, unde ſcatent fontes, cernitur. *Du tuf.*

23. *Here.* Pro, *heri*: vox antiqua.

25. *Dædalus.* Vide. Sat. I, nota 44; Virgil. VI Æneid. verſ. 14.

27. *Lacheſi.* Vide app. c. XI.

29. *Arturius, Cæculus.* Homines viliſſimi, qui ad ſummas opes malis artibus provecti erant.

30. *Nigra, &c.* Color albus virtuti & felicitati deſignandæ ſervit: niger, vitio & calamitati.

Queis facile est ædem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver,
Et præbere caput dominâ venale sub hasta.
Quondam hi cornicines, & municipalis arenæ
Perpetui comites, notæque per oppida buccæ,
Munera nunc edunt, & verso pollice vulgi

*ex re qualibet, nec dubitant in se recipere certo pretio constituta ædificia reficienda, purganda flumina, colligenda e mercibus per portum invectis. Vectigalia, sordes e cloacis eluendas, ad rogum efferenda cadavera, & venales servos auctione factâ publicè proponendos. Olim isti patulas fauces locabant in municipiis ad inflandas ibi buccinas, & noti vulgo erant in oppidis, ubi edebantur ludi gladiatorii, in quibus assiduè navabant operam. Nunc eadem ipsimet edunt*

31. *Ædem.* Ea vox in singulari numero significat vulgò *ædificium sacrum.*

32. *Busta.* Rogus, propriè est lignorum strues ad cremandum cadaver parata: pyra, eadem strues accensa: Bustum, eadem flammis usta & consumpta.

33. *Sub hasta domina.* In eo loco ubi fiebat auctio, defigebatur humi hasta, ut prætereuntes admoneret. *Dominam* vocat, quia veluti præsidebat auctioni: vel quia dominis servos addicebat auctio.

34. *Municipalis.* Municipia vocabantur oppida Italiæ, minora vulgò & ignobiliora, quæ suis vivebant legibus, ac jure civitatis gaudebant: quorum proindè cives eadem capere munia, eosdem gerere magistratus, quos ipsi Romani cives poterant.

*Arenæ.* Amphitheatrum appellabant Latini ædificium rotundum crescentibus cuneatim, *id est*, pluribus in summo, paucioribus in imo, subselliis & gradibus, e quibus spectabantur gladiatorum vel ferarum certamina. Imo in solo, circa quod istud ædificium erat extructum, conspersa erat humus arenâ, quæ sanguinem occisorum combiberet, ac versari rastris, renovarique posset. Hinc solum hoc, *Arena*, vocabatur. Sat. II, versu 102, nota *Arenam.*

36. *Munera.* Sic proprio suo & peculiari nomine appellabantur *ludi gladiatorii*: & qui eos dabant, *munerarii* dicebantur.

*Verso pollice, &c.* Si gladiatore ab adversario victum populus miseratione captus servare cuperet, ac neci victorique subducere, voluntatem suam significabat, pollicem intra manum premendo: si contrà juberet interfici; pollicem a reliquis digitis seperatum, invertebat humum

Quemlibet occidunt populariter : inde reverſi
Conducunt foricas. Et cur non omnia ? cùm ſint
Quales ex humili magna ad faſtigia rerum
Extollit, quoties voluit Fortuna jocari.
Quid Romæ faciam ? mentiri neſcio, librum,
Si malus eſt, nequeo laudare, & poſcere : motus
Aſtrorum ignoro : funus promittere patris
Nec volo, nec poſſum : ranarum viſcera numquam
Inſpexi : ferre ad nuptam quæ mittit adulter,
Quæ mandat, norint alii ; me nemo miniſtro
Fur erit : atque ideo nulli comes exeo, tamquam
Mancus, & exſtinctæ corpus non utile dextræ.
Quis nunc diligitur, niſi conſcius, & cui fervens
Æſtuat occultis animus, ſemperque tacendis ;

*ſpectacula ſuis impenſis, & populi captantes gratiam, efficiunt ad ejuſdem nutum, & inverſa, ut fit, manu, tollant e medio, quemcumque libuerit : iidem ab edendis ludis digreſſi latrinas purgandas redimunt, neque quidquam eſt tam abjectum, quo non deſcendant : nec mirum, cùm ſint ex eo genere hominum, quos ex infimo loco ad ſummum evehit fortuna per ludum & jocum. Quid artis eſt aut negotii, in quo me exerceam, ſi Romæ ſim ? Artem mentiendi non calleo ; non is ſum qui librum illepidè ſcriptum ornare laudibus poſſim, aut legendum expoſcere : peritus aſtrologæ non ſum : mortem patris filio cam expetenti vaticinando polliceri nequeo, nec ſi queam, velim. Rubetarum ex ea non conſideravi, ut ex iis venenum conficerem. Sint alii per me licet, qui ſciant ferre ad fœminam conjugio illigatam adulteri munera & mandata : furibus numquam operam meam & miniſterium locabo : eam ob rem ſolus & incomitatus Româ diſcedo, perinde ac ſi mancus eſſem, & corpus, manibus præciſis, inutile. Quis nunc alicui carus eſt, niſi qui arcana ejus novit ſcelera, quorum cognitione & conſcientiâ cruciatur, dum ipſorum atrocitate perculſus, ea premere ſilentio cogitur, ac nemini audet*

versùs, vel circumagebat.

43. *Aſtrorum.* Ex quibus divini & harioli futura prædicebant, ſplendidè mendaces.

44. *Ranarum.* Sat. II, v. 108, eas vocat nigras. Atrum & nigrum, quidquid eſt inferorum, appellatur. Ranæ autem a Poetis in palude Styge locabantur.

Nil tibi se debere putat, nil conferet umquam;
Participem qui te secreti fecit honesti.
Carus erit Verri, qui Verrem tempore, quo vult,
Accusare potest. Tanti tibi non sit opaci
Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum,
Ut somno careas, ponendaque præmia sumas
Tristis, & a magno semper timearis amico.
Quæ nunc divitibus gens acceptissima nostris;
Et quos præcipuè fugiam, properabo fateri;
Nec pudor obstabit. Non possum ferre, Quirites,
Græcam urbem, quamvis quota portio fæcis Achææ?
Jampridem Syrus in Tyberim defluxit Orontes,

*aperire. Nullo beneficio se tibi obligatum credit, nec ullo te vicissim ille obstringet, qui te honesti arcani conscium esse voluerit, quippe nihil admodum metuens, ne illud prodas. Verres hunc impensè diliget a quo, cùm libuerit, potest in jus vocari. Tu verò, si sapis, ne proposito quidem omni auro quod arenis suis mixtum in mare devolvit Tagus, cupies divitum & potentium arcana cognoscere, quorum conscientia tibi somnos adimat, teque perpetuo mœrore angat, ac metu insidiarum amici nobilis semper timentis, ne arcanum retegas: neque accipies ab eo munera; quæ tibi fortasse cum vita sit erepturus. Ego verò dicam breviter quinam homines a Romanis locupletibus præcipuo habeantur in honore ac pretio, & propter quos præsertim Româ discedam, nec pudore, quominus vera dicam, deterrebor. O Quirites, urbem Græculis refertam, ac totam pœnè Græcam, pati nequeo. Quamquam fallor qui Græculis plenam esse Romam dixerim, illi homines despicatissimi minima sunt pars exterorum, qui Romam quotidie confluunt. Jamdudum Orontes videtur undas suas Tiberi admiscuisse, & Romam invexisse Syrorum sermonem, mores, tibicines*

53. *Verri.* Satir. II, v. 15, nota 15.

55. *Tagi.* Tagus, gall. *le Tage*, fluvius Hispaniæ, aureas arenas dictus volvere.

60. *Quirites.* Id est Romani.

61. *Achææ.* Achaïa pars Græciæ fuit in Peloponneso; in ea Corinthus, Argos, &c.

62. *Tyberim* Alluit Romam.

*Orontes.* Anthiochiam, principem Syriæ urbem, præterfluebat.

Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, necnon gentilia tympana vexit.
Ite, quibus grata est pictâ lupa barbara mitrâ. 65
Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine,
Et ceromatico fert niceteria collo.
Hic altâ Sicyone, ast hic Amidone relictâ,
Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus, aut Alabandis,

*obliquis chordis uti solitos, cum usitatis in Syria tympanis. Non vos pudet, o Romani, barbaras meretrices picturatis indutas mitris, adamare? Nec tu, Romule, indignè fers, tuos illos Romanos agrestes, & deliciarum olim istarum rudes, ornamenta gestare quibus victores in Græcorum sacris certaminibus donantur, & appensa e collo ceromate delibuto præmia victoriæ, quam in istis exercitationibus iudicris reportarunt, ostentare; interim dum Græci longè consultiores, alius profectus Sicyone, alius Amydone, hic ex Andro insula, ille ab urbe Samo, aut Trallibus, Ala-*

65. *Mitra.* Ornamentum est capitis ac tegmen.

66. *Trechedipna.* Vocem hanc eruditè, ut omnia, Vossius explicat Lib. I de vitiis sermonis, cap. 29, docetque ornamenta quædam fuisse, torques, bullas, aut monilia, dari solita victoribus sacrorum in Græcia certaminum, nempe Olympiorum, Pythiorum, &c. quibus illi sacri victores (Hieronicas Græci vocabant) insigniti admittebantur ad sacrum & commune epulum, annonam accipiebant ex publico, &c. Porro trechedipna Græca vox est, e duabus composita, τρέχω *curro*, & δεῖπνον *cœna.*

*Quirine.* Romuli nomen.

67. *Ceromatico.* Unctо ceromate. Est autem cerôma, cera oleo macerata & subacta, quâ utebantur Athletæ ad cutem lævigandam & durandam.

*Niceteria.* Νίκη, *victoria*; νικητήριον, *præmium, victoriæ.*

68. *Sicyone.* Sicyon, urbs vetusta & nobilis in Peloponneso, non procul Corintho, olim Ægialus dicta.

*Amydone.* Amydon, civitas Pæoniæ, seu Emathiæ, in Macedonia.

69. *Andro.* Andros est insula maris Ægei, una Cycladum.

*Samo.* Samos est insula maris Ægei, adjacens Ioniæ, e regione Ephesi, Junoni sacra. Altera est ejusdem nominis, e regione Epiri, non procul a sinu Ambracio, quæ appellatur etiam *Samo*, & *Cephalenia.*

*Trallibus.* Tralles, Tral-

Esquilias, dictumque petunt a vimine collem,
Viscera magnarum domuum, dominique futuri.
Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promptus, & Isæo torrentior? Ede quid illum
Esse putes? quemvis hominem secum attulit ad nos:
Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
Augur, schœnobates, medicus, magus: omnia novit
Græculus esuriens, in cœlum jusseris, ibit.

*bandisve, Romam veniunt, ut illi clarissimarum & ditissimarum familiarum arbitri & domini sint. Unum aliquem ex illis inspice, videbis hominem ingenii peracris, projectæ audaciæ, sermonis expediti, ac volubilis, cui certare priscus ille Isæus, torrentis in morem verba devolvens, nequeat. Age, quid hominis illum esse, aut cujus artis peritum arbitraris? Unus omnium instar est; omnes omnium artium professores in se complexos habet: Grammaticus est, rhetor, geometra, pictor, unctor, augur, funambulus, medicus & magus: verbo dicam, inops & famelicus Græculus, nihil nescit, nihil non potest: in ipsum, si jubebis, cœlum evolabit. Et verò ille Dædalus, qui, aptatis sibi pennis,*

lium: urbs Cariæ, seu Lydiæ, in Asia minori.

*Alabandis.* Alabanda urbs Lydiæ, in Asia minori.

70. *Esquilias.* Esquiliæ, sive Exquiliæ, nomen est unius e septem Romæ colliculis. A rege Tullo Hostilio urbi adjectus fuit & septus excubiis, a quibus detorta paulisper voce, nomen invenit.

*Dictum a vimine collem.* Septem montes sive tumuli & loca editiora fuerunt Romæ: Aventinus, Capitolinus sive Tarpeius, Cælius, Esquilinus, Palatinus, Quirinalis, demum Viminalis, a vimine, seu salicibus ibi consitis, dictus: jacet inter collem Quirinalem a Septentrione; & Esquilinum, a meridie, porrigiturque ad ipsa urbis mœnia.

73. *Isæo.* Fuit Isæus orator Græcus, præceptor Demosthenis. Itemque alius, Trajani tempore, eloquentissimus.

75. *Aliptes.* Unctor, ἀλείπτης, ab ἀλείφω *ungo*. Ita vocabatur seu qui palæstritas oleo & ceromate inungebat antequam luctarentur; seu cui cura erat in publicis balneis, egressos balneo, ungendi, abstergendi, &c.

76. *Augur.* Qui ex avium garritu & cantu, volatu, vel pastu, prædicit futura.

*Schœnobates.* Gall. *Danseur de corde.*

Ad

Ad summam non Maurus erat, nec Sarmata, nec
Thrax,
Qui sumpsit pennas, mediis sed natus Athenis.
Horum ego non fugiam conchylia? me prior ille
Signabit? fultusque toro meliore recumbet
Advectus Romam, quo pruna, & coctona vento?
Usque adeo nihil est, quod nostra infantia cœlum
Hausit Aventini baccâ nutrita Sabinâ:

*iter avibus solis pervium invenit, non erat ortus in Mauritania, non in Sarmatia aut Thracia; sed ipsis Athenis, in urbe totius Græciæ primaria. Ego hujusmodi homines purpurâ, instar principum, indutos non fugiam? Patiar ut mecum ad obsignandum testamentum vocati, priore loco signum apponant suum? Vile mancipium, cum prunis & ficubus unâ eâdemque navi Romam deportatum, accumbet mecum ad mensam in toro elegantiore & nobiliore? Nihilne tandem est, ac nihili faciendum, quòd Romæ nati, quòd educati cibis Italicis fumus? Præter illas autem, quas modò me-*

78. *Maurus.* Mauri partem occidentalem Africæ obtinent.

*Sarmata.* De Sarmatis dictum, Sat. II, nota 1.

*Thrax.* Thraces Europæ populi sunt, suprà Macedoniam.

*Athenis.* Athenæ civitas Græciæ primaria, in Attica, e regione Eubœæ insulæ.

79. *Qui sumpsit pennas.* Dædalus, Sat. I, nota 44.

80. *Conchylia.* Conchylium est piscis quilibet conchâ tectus: propriè illum significat, cujus e succo fit purpura, qui murex etiam appellatur: unde conchylium pro *ipsa purpura*, & *veste purpurea*, ponitur.

81. *Fultus toro.* Circa mensam erant dispositi lectuli, vulgò tres; quibus in singulis tres accumbebant convivæ, caput sinistro cubito fulti, & paululum erecti.

82. *Coctona*, seu Cottona, sunt ficus quædam, sed minores, natæ in Syria: ubi Damascus, *Damas*, qua ex urbe pruna laudatissima in Europam hodieque devehuntur. Ex eadem porrò Syria multa mancipia Romam tunc transmitti solebant.

84. *Aventini.* Suprà p. 48, nota *Dictum*, &c. Nunc vocatur *Monte di santa Sabina*, ob ædem D. Sabinæ ibi positam.

*Baccâ.* Ita vocatur fructus quilibet minor pomo, ut sunt cerasa, oleæ, &c. apud Sabinos autem, Italiæ populos, oleæ nascebantur eximiæ.

Quid? quòd adulandi gens prudentiſſima, laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum invalidi collum cervicibus æquat
Herculis, Antæum procul a tellure tenentis?
Hæc eadem licet & nobis laudare; ſed illis
Creditur. An melior cùm Thaïda ſuſtinet, aut cùm
Uxorem Comœdus agit, vel Dorida ſolers?
Nec tamen Antiochus, nec erit mirabilis illic
Aut Stratocles, aut cum molli Demetrius Hæmo.
Natio comœda eſt. Rides? majore cachinno
Concutitur: flet, ſi lacrymas conſpexit amici,
Nec dolet. Igniculum brumæ ſi tempore poſcas,
Accipit endromidem: Si dixeris, Æſtuo, ſudat.

*moravi, Græcorum artes, iidem ſunt ad omnem adulationem ſolertiſſimi. Amicum licèt imperitum, tanquam eloquentiſſimum laudabunt; licèt ore deformem, pulcherrimum appellabunt: macrum & procero ac imbecilli collo, cum Herculis Antæum ſublimè attollentis faucibus comparabunt. Neque inter nos non reperiuntur etiam adulatores, qui ad hunc modum bene multa in amicis laudent, ſed ſpretis nobis, Græci placent, Græci audiuntur. Huc accedit quod hiſtriones præſtantiſſimi ſunt. Ecquis comœdiarum actor ſuas meliàs partes ſuſtinet, cùm Thaïdis in theatro, vùm matronæ, cùm Doridis perſonam agit, quàm quilibet Græculus? Fac in eamdem ſcenam illum prodire cum celeberrimis Romanis actoribus, Antiocho, Stratocle, Demetrio, Hæmo, omnium ſpectatorum plauſus & admirationem unus præ iſtis auferet. Tota Græcorum gens ad comœdiam & hiſtrioniam eſt facta & nata. Ridet aliquis, erumpunt in cachinnos: lacrymatur, fundunt ipſi lacrymas ubertim, licèt nullo dolore vero tangantur: ſi per hyemem foculum poſcas leniendo frigori, continuò veſtem villoſam, quaſi algeant, induunt: ſi te æſtuare per æſtatem dixeris, ipſi ſe totos ſudare dejerant. Fateor, longè*

87. *Longum collum.* Qui ſunt oblongo collo, minùs robuſti ac validi feruntur eſſe.

88. *Herculis.* Vide append. c. XV.

90. *Thaïda.* Thaïs nomen ſolitum tribui ſcenicis ſcortis.

91. *Dorida.* Doris, Oceani Thetyoſque filia, Dea marina, uxor Nerei.

94. *Comœda.* Comœdus vocatur ſcriptor vel actor comœdiæ.

97. *Endromidem.* Endro-

Non sumus ergo pares: melior qui semper, & omni
Nocte dieque potest alienum sumere vultum;
Horum si nihil est, aulam resupinat amici:
Scire volunt secreta domûs, atque inde timeri.
Et quoniam cœpit Græcorum mentio, transi
Gymnasia, atque audi facinus majoris abollæ.
Stoïcus occidit Baream, delator amicum.
Discipulumque senex, ripa nutritus in illa,
Ad quam Gorgonei delapsa est penna caballi.

*sum illis impar, eadem præstare non possum; vincunt qui omni & loco & tempore, noctu, interdiu alieno ex vultu fingere suum norunt. Quòd si nullam ejusmodi adulationum materiam reperiunt, ad alias artes se conferunt. Amicorum domum omnem susque deque vertunt, omnia excutiunt: rimantur familiæ arcana, ut timeantur, velut eorum conscii. Et quoniam cœpimus de Græcis dicere, omittamus leviora flagitia, quæ solent ab eorum nonnullis tamquam tyronibus & in hac scelerum palæstra nondum exercitatissimis admitti. En dignum Græco emerito facinus: Publius Egnatius, Philosophus Stoïcus, educatus in ea urbe quam Cidnus præterfluit, ad quem Pegasus olim delapsus unam e talaribus pennis amisit: Stoïcus, inquam, iste, senex perfidus, falso testimonio Baream Soranum amicum suum, quo*

mis, erat vestis crassiore & viliore filo texta, quâ utebantur in stadio & Gymnasio post cursum & ludum, ne perfrigescerent.

100. *Resupinat.* Invertit, mutat, rimando & scrutando.

103. *Gymnasia.* Γυμνάσιον Græcis est locus, ubi corpora exercentur, ubi docentur tyrones luctationem, & varias id genus exercitationes.

*Abolla.* Est abolla vestis oblonga, philosophorum propria, nonnumquam a militibus usurpata.

104. *Stoïcus.* Satira II, nota 40. per istum autem delatorem Stoïcum, intelligit Pub. Egnatium, qui Baream Soranum amicum suum apud Neronem accusavit, quòd in detegenda conjuratione Pisoniana parum fideliter ac strenuè se gessisset. Quo testimonio Barea oppressus, mori demum est jussus.

*Delator.* Satir. I, vers. 31.

105. *Ripa, &c.* Designat Pub. Egnatii patriam, & eum Tarsensem fuisse dicit. Est autem Tarsus, urbs Ciliciæ in Asia minori.

106. *Caballi.* Equi: Pegasi videlicet, qui vocatur Gorgoneus, quia ex Medusæ, unius e Gorgonibus a

Non est Romano cuiquam locus hîc, ubi regnat
Protogenes aliquis, vel Diphilus, aut Erimanthus,
Qui gentis vitio, numquam partitur amicum;
Solus habet. Nam cùm facilem stillavit in aurem
Exiguum de naturæ patriæque veneno,
Limine summoveor: perierunt tempora longi
Servitii: nusquam minor est jactura clientis.
Quod porrò officium (ne nobis blandiar) aut quod
Pauperis hîc meritum; si curet nocte togatus,
Currere, cùm Prætor lictorem impellat, & ire
Præcipitem jubeat dudum vigilantibus orbis,
Ne prior Albinam, aut Modiam collega salutet:

*præceptore usus erat, oppressit. Nihil est homini Romano loci in ea domo, in qua dominatur aliquis Protogenes, aut Diphilus, aut Erimanthus, qui (est ea Græcorum omnium indoles & vitium) numquam admittit socium in amicitia patroni divitis; eâ frui vult solus. Hujus in aures credulas, ubi semel nonnihil demisit de calumniis & criminationibus, quas artes ut virus ab indole & a patria acceptum hausit, pellor ædibus, nec mihi quidquam prodest, quod multos annos in obsequio, ac servitute potiùs molestissima consumpserim: nusquam gentium in levioris damni loco ponitur clientis jactura, quàm Romæ. Quamquam (nolo enim civium tenuiorum quorum e numero sum, officia erga potentiores nimiùm venditare) quid est admodum in quo de patronis bene meriti pauperes esse videantur, etsi de nocte surgant, ac togam induere festinent, ad eos mane salutandos, cùm ipsi Prætores urgeant lictores suos, ac jubeant accelerare, ad salutem summo mane dicendam divitibus viduis quibus nulli sunt liberi, & quas jamdiu experrectas esse ac vigilare audiunt, ne quispiam ipsorum collega Albiam & Modiam prior salutet? cùm ingenuorum*

Perseo interfecto, sanguine fuit procreatus, cum alis, quibus confestim evolavit in montem Heliconem.

113. *Clientis.* Sat. I, versu 117.

115. *Togatus.* Clientes togam induebant cùm patronos salutatum irent. Erat illa vestis honestior & amplior, tunicæ imponi solita.

116. *Prætor.* Sex lictores cum fascibus Prætorem antecedebant, quoties per urbem incedebat; duodecim verò, Consulem.

118. *Collega.* Alius quispiam Prætor.

Divitis hic servi claudit latus ingenuorum
Filius; alter enim quantum in legione Tribuni
Accipiunt, donat Calvinæ, vel Catienæ.
Da testem Romæ tam sanctum, quàm fuit hospes
Numinis Idæi: procedat vel Numa, vel qui
Servavit trepidam flagranti ex æde Minervam.
Protinus ad censum; de moribus ultima fiet
Quæstio: quot pascit servos, quot possidet agri
Jugera, quàm multa, magnâque paropside cœnat.
*Quantum quisque sua nummorum servat in arca,*

*filii nonnulli comitentur per urbem, honoris causâ, locupletes patronos, olim servos & vilissima mancipia: scilicet redacti ad egestatem & exhausti opibus, quas eorum aliqui profundunt in meretrices Calvinam & Catienam, quibus largiuntur tantum pecuniæ, quantum Tribunis militaribus pro stipendio dari solet. Fac esse aliquem Romæ testem æquè pium & probum, ac Scipionem illum Nasicam, qui matrem Deorum e Phrygia deportatam hospitio excepit: prodeat in jus, testimonii dicendi causâ, Numa Pompilius, vel Lucius Metellus, qui ex æde Vestæ subito incendio correptâ Palladium subduxit ac servavit, statim quæretur quis sit illius census, quos alat domi servos, quàm multa magnaque prædia possideat, quàm lautè opsonetur. Ultimo demum loco de illius probitate ac moribus aliquis percontabitur.* Quantas quisque opes habet, tantum illi creditur.

119. *Claudit latus.* Claudere latus, tegere latus, *est* deducere aliquem honoris causâ per urbem, eique locum viæ superiorem & honoratiorem tribuere.

122. *Testem.* In testibus maximè quæritur probitas.

*Hospes, &c.* Scipio Nasica, a Senatu vir optimus cùm judicatus esset, statuam Numinis Idæi, i. e. Cibeles quæ in Ida colebatur, advectam e Phrygia; hospitio excepit, ac domi suæ habuit, donec illi templum extrueretur, quod ipse quidem designavit, Metellus postea inchoavit, Augustus perfecit. Fuerat quippe responsum ut hæc statua reciperetur ab eo qui vir optimus esset.

123. *Vel qui, &c.* Cùm ædes Vestæ deflagraret, Luc. Cæcilius Metellus e mediis ignibus Minervæ statuam quod Palladium vocabant, sustulit, oculis igne amissis.

125. *Censum.* Modus est pecuniæ, quam quisque ex annuis agrorum, aliarumve rerum fructibus, redigit.

127. *Paropside.* Patinâ, vase, quo inferuntur cibi.

*Tantum habet & fidei:* jures licet & Samothracum,
Et noſtrorum aras, contemnere fulmina pauper
Creditur, atque Deos, Dîs ignoſcentibus ipſis.
Quid, quod materiam præbet cauſaſque jocorum
Omnibus hic idem, ſi fœda & ſciſſa lacerna,
Si toga ſordidula eſt, & ruptâ calceus alter
Pelle patet, vel ſi conſuto vulnere craſſum
Atque recens linum oſtendit non una cicatrix?
*Nil habet infelix paupertas durius in ſe,*
*Quàm quod ridiculos homines facit.* Exeat, inquit,
Si pudor eſt, & de pulvino ſurgat equeſtri,
Cujus res legi non ſufficit, & ſedeant hîc

*Quamvis pauper aliquid affirmet juratus per Deos veteres Trojanorum & Samothracia olim arceſſitos, & recentiores Deos Romanorum, falſum tamen jurare exiſtimatur, neque fulmina pertimeſcere, ac ipſos etiam ſpernere Deos, idque bonâ ipſorum veniâ. Huc accedit quod idem propoſitus videtur eſſe omnibus ad ludibrium & jocos, ſi lacernam gerat obſoletam aut ſectam, ſi togam parum comptam, ſi alterum e calceis hiante corio pertuſum, aut pingui ac recenti lino malè conſutum variis in locis.* Hoc unum eſt videlicet miſeræ paupertatis vel maximum incommodum, quòd homines opportunos aliorum ſannis & riſui faciat. *Audis illum qui ſuas ſingulis in theatro ſedes aſſignat, quibus verbis pauperem equitem ejiciat? Faceſſat, inquit, &, ſi quo pudore tangitur, in ſedilibus equitum ne confidat, qui non habet cenſum a lege conſtitutum. In iſtis*

129. *Samothracum.* Samothracia inſula eſt maris Ægei, Thraciæ adjacens. In eam Dardanus ex Italia fugiens, Deorum qui ibi colebantur peregrinas religiones in Phrygiam invexit, unde in Italiam ab Ænea ſunt allatæ.

130. *Noſtrorum.* Verbi gratiâ, Martis, Quirini, & aliorum, qui Romæ præcipuè colebantur.

131. *Cicatrix.* Foramen calcei ſartum & conſutum.

139. *Pulvino.* Pulvinus plumâ vel tomento fartus ſedili inſternitur.

140. *Legi.* Anno U. C. 685 Luc. Roſcius Otho Tribunus plebis legem tulit, ne cui liceret ſedere in 14 primis poſt Orcheſtram gradibus, niſi cenſum equeſtrem haberet, id eſt, 400 ſeſtertia (vide Sat. I, verſu 91, verbo *Quadringenta.*) Inter ſedes igitur aſſignatas ſpectatoribus in amphitheatro, primæ Se-

Lenonum pueri quocumque in fornice nati.
Hic plaudat nitidi præconis filius inter
Pinnirapi cultos juvenes, juvenesque laniſtæ.
Sic libitum vano, qui nos diſtinxit, Othoni.
Quis gener hic placuit cenſu minor, atque puellæ
Sarcinulis impar? quis pauper ſcribitur heres?
Quando in conſilio eſt Ædilibus? agmine facto
Debuerant olim tenues migraſſe Quirites.

*primis ordinibus ſpectent lenonum filii, quocumque ſint in lupanari geniti: in iiſdem applaudat ſtrenuis gladiatoribus, filius præconis alicujus, ſedens inter lautos & elegantes retiarii liberos, aut liberos alicujus gladiatorum magiſtri. Sic nempe viſum Othoni vaniſſimo, qui ſpectatores alios ab aliis ſecrevit, cùm antea promiſcuè ſpectaremus. Quem generum parentes eligunt, qui mi ores quàm puella fortunas habeat? Quis pauperem teſtamento heredem inſtituit? Quandonam in conſilium ab Ædilibus admittitur? Feciſſet ſapienter ac probè Romana plebs, cùm divitum impotentiam fugiens, unum in agmen collecta olim urbe ceſſit, ſi, numquam Romam reditura, in alias terras*

natoribus deſtinatæ erant, & hic locus Orcheſtra dicebatur. Quatuordecim inde retro gradus, Equitibus, reliqua ſedilia populus occupabat.

143. *Pinnirapi.* Pinnirapus, exponitur, *qui pinnam rapit*, ſignificatque *alterum e gladiatoribus qui* retiarius *dicebatur*, (vide Sat. II, nota 101.)

*Laniſtæ.* Sic vocabatur *gladiatorum magiſter*, qui eorum magnam interdum familiam alebat, docebat, ad munera edenda vendebat.

144. *Othoni.* Suprà p. 54, v. 140, nota *Legi.*

140. *Ædilibus.* Ædiles magiſtratus erant Romani. Alii *Plebis* dicebantur, quorum munus erat fœneratores coercere, ædificia ſive publica, ſive privata, ut munda eſſent atque integra, curare. Alii *Curules*, quorum fuit ludos ſacros & ſolennes inſtituere; theatra, ſtadia, fora, mœnia reficere & exornare. Alii denique *Cereales*, qui rei frumentariæ præerant.

148. *Debuerant olim, &c.* Anno Romæ conditæ 261, cùm ob creditorum impotentiam ac fœnebre malum plebs trans Anienem in montem ſacrum ſeceſſiſſet, ſeque rediturum negaret, Menenii Agrippæ oratione reconciliata patriciis, rediit in urbem, impetrato priùs magiſtratu qui plebis commoda contra nobilium violentiam tueretur. Is Tribunus plebis appellatus eſt. Florus, Lib. I, cap. 23.

*Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat*
*Res angusta domi.* Sed Romæ durior illis
Conatus: magno hoſpitium miſerabile, magno
Servorum ventres, & frugi cœnula magno.
Fictilibus cœnare pudet, quod turpe negavit
Tranſlatus ſubitò ad Marſos, menſamque Sabellam,
Contentuſque illic Veneto, duroque cucullo.
Pars magna Italiæ eſt (ſi verum admittimus) in qua
Nemo togam ſumit niſi mortuus. Ipſa dierum
Feſtorum herboſo colitur ſi quando theatro
Majeſtas, tandemque redit ad pulpita notum

*demigraſſet.* Quibus exigua res familiaris eſt, licèt eximiis dotibus præditi ſint, illi e tenebris & humilitate vulgi ad honorum lucem & hominum famam ægrè aſſurgunt. *Idque illis conantibus Romæ, quàm alibi uſpiam, difficilius eſt: magno enim pretio conſtat domus conductitia, eaque angusta & inornata, magno ſervi alendi, magno frugalis ac jejuna menſa. Adde quod turpe putant uti vaſis fictilibus. Quod probroſum tamen eſſe non cenſuit ille Curius ab Roma repentè ad bellum Marſis & Samnitibus inferendum vocatus, quorum in regione parcè ac duriter veſcebatur, & caput tegebat cucullo cœrulei coloris & craſſi filii. Multò commodiùs profectò & minoribus impenſis, quàm Romæ vivitur in magna Italiæ parte, ubi nemo togâ induitur, ſi verum fateri volumus, niſi cùm obitâ morte ad rogum effertur. Quòd ſi ad celebrandos paulò magnificentiùs dies feſtos, extruitur aliquando theatrum e ceſpite, in quo aliqua obſoleta fabula cum vetuſtis cantilenis, recurrente*

154. *Marſos.* Marſi Italiam incolebant prope Sabinos. De Curio, dictum Sat. II, nota 3.

155. *Veneto.* Color venetus eſt ſimilis marinis fluctibus, nempe cœruleus, ſive glaucus.

*Cucullo.* Eſt cucullus capitis tegmen plebeium.

157. *Togam.* Suprà p. 52, verſu 115, verbo *Togatus.* Et Sat. II, verſu 45, verbo *Togam.*

*Niſi mortuus.* Mortui efferebantur quàm ornatiſſimè veſtiti.

158. *Theatro.* Nihil differebat theatrum ab amphitheatro (de quo dixi ſuprà p. 44, nota *Arenæ*) niſi quod hoc omni ex parte clauſum eſſet, illud dimidiâ tantùm: itaque amphitheatrum circuli oblongi vulgò formam referebat, theatrum verò hemycicli, e regione cujus fructa erat ſcena, & locus editior in

Exodium, cùm perſonæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat ruſticus infans:
Æquales habitus illic, ſimilemque videbis
Orcheſtram, & populum: clari velamen honoris,
Sufficiunt tunicæ ſummis Ædilibus albæ.
Hîc ultra vires habitus nitor: hîc aliquid plus,
Quàm ſatis eſt; interdum alienâ ſumitur arcâ.
Commune id vitium eſt: hîc vivimus ambitioſâ
Paupertate omnes. Quid te moror? *Omnia Romæ*
*Cum pretio.* Quid das, ut Coſſum aliquando ſalutes?
Ut te reſpiciat clauſo Vejento labello?
Ille metit barbam, crinem hic deponit amati:

*demum anno, exhibetur ex editiore loco, perſonæque larvis pallidis & ritu diducto hiantibus indutæ, metum puerulis agreſtibus in matrum gremio ſedentibus incutiunt: tunc eâdem induti veſte omnes ſpectant, neque ullum inter primores oppidi & plebem ipſam, diſcrimen videas: ſolis Ædilibus pro inſigni ornatu & honoris ſui muneriſque nota, ſunt tunicæ albæ. At Romæ lautior vulgò & ſplendidior eſt veſtis, quàm cujuſque fortunæ ferant. Ad immodicos illos ſumptus faciendos contrahitur æs alienum, quod nimis multi facilitant; dumque nemo pauper non ſit, nemo non ambit videri lautus & locuples. Quid plura?* Nihil Romæ ſine pecunia ſumptibuſque magnis fit. *Vis admitti ad Coſſum ſalutandum, quid eam ob rem dabis? Quid, ut Vejentonem videas, qui te compreſſis labiis tantùm reſpiciet, non alloquetur aut viciſſim ſalutabit? Eſt qui barbam primam ſervi carioris, eſt qui capillos ejuſdem ton-*

quem prodibant actores: & quem noſter verſu ſequenti vocat pulpitum.

160. *Exodium.* Carmen quoddam ridiculum, ac turpiculum, quod recitabant mimi, ſeu exodiarii, cum geſtibus ſolutioribus, poſt ἔξοδιον, id eſt, *egreſſum* actorum e theatro.

163. *Orcheſtram.* Explicui vocem hanc ſuprà v. 140, verbo *Legi*.

164. *Tunicæ.* Tunica veſtis erat interior, vulgò ſine manicis, eaque arcta & curta.

*Ædilibus.* Ædilium meminit, quia erat illorum muneris ut ludi ſacri & ſolennes rite ac ſtatis temporibus ederentur. Suprà verſu 147.

171. *Metit barbam.* Feſtus ille dies habebatur, quo primùm raderent barbam, & capillos tonderent, quos ferè cuipiam Deo conſecrabant.

Plena domus libis venalibus : Accipe, & istud
Fermentum tibi habe. Præstare tributa clientes
Cogimur, & cultis augere peculia servis.
Quis timet, aut timuit gelida Prænestе ruinam ?
Aut positis nemorosa inter juga Volsiniis, aut
Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce ?
Nos urbem colimus tenui tibicine fultam
Magnâ parte sui : nam si labentibus obstat
Villicus, & veteris rimæ contexit hiatum,

*deri jubeat, statim clientes eam in domum comportant placentas & liba, quæ ille servus deinde vendat ? Ita (quod meritò bilem tibi & stomachum moveat,) cogimur miseri clientes patronorum servis elegantioribus tributa quodammodo pendere, & eorum augere loculos ac marsupia. Quid quod in aliis Italiæ urbibus multò commodiùs habitatur ac tutiùs, quàm Romæ. Quis umquam timuit ne ruerent ædes in urbe Prænestina gelido in colle sita ? aut Volsiniis, in juge montis quem vestiunt sylvæ collocatis aut Gabiis, quorum incolæ dolo & insidiis Tarquinii fuerunt olim propter simplicitatem decepti, aut Tibure quod in clivo est extructum ? Nos in urbe domos habitamus levibus fulcris maximâ sui parte sustentatas, quas si opposito tigno firmavit villicus, ne penitus corruant ; si earum hiantes*

173. *Fermentum.* Transfertur ea vox aliquando ad significandam iracundiam, quâ intumescunt præcordia, & velut aceſcunt.

174. *Peculia.* Vocatur peculium illa pecunia peculiaris & propria servi, quæ extra domini jus & potestatem est.

175. *Prænestе.* Urbs Latii, nunc *Palestrina.*

176. *Volsiniis.* Urbs antiqua Etruriæ fuit. Hodie *Bolsena* vocatur.

177. *Simplicibus.* Sic urbem Gabios appellat, quia ejus cives, cùm a Tarquinio Superbo vinci armis & virtute non possent, dolis decepti sunt, ac nimis facilè crediderunt Sexto, Tarquinii filio, ad ipsos confugienti, quasi patris impotentiam & crudelitatem ferre non valeret ; is enim primoribus civitatis partim cæsis, partim pulsis, ad extremum ipsam urbem patri tradidit.

*Gabiis.* Gabii, olim Latii urbs, in via Prænestina.

*Tiburis.* Tibur oppidum est Latii, nunc *Tivoli*, ad decimum ab urbe lapidem, in colle situm.

178. *Tibicina.* In ædificiis tibicines appellantur *fulcra*, & *tigna* quibus paries vitiosus sustentatur, *étançon*, *étaie.*

180. *Villicus.* Rure advo-

Securos pendente jubet dormire ruinâ.
Vivendum est illic, ubi nulla incendia, nulli
Nocte metus. Jam poscit aquam, jam frivola transfert
Ucalegon; tabulata tibi jam tertia fumant.
Tu nescis: nam si gradibus trepidatur ab imis,
Ultimus ardebit, quem tegula sola tuetur
A pluvia; molles ubi reddunt ova columbæ.
Lectus erat Codro Proculâ minor, urceoli sex,
Ornamentum abaci; necnon & parvulus infra
Cantharus, & recubans sub eodem marmore Chiron;

*pridem rimas & vitia, obduxit levi aliquo tectorio, satis hoc esse putat ad nostram securitatem, nosque dormire in utramque aurem jubet, quamvis ruinæ periculum præsentissimum impendeat. Præstat illic vivere, ubi nulla incendia timeantur, quæ tam gravem & justum pauperibus metum ac damnum afferunt Romæ: ubi si ardet domus aliqua, cùm vicini trepidantes aquam poscunt ac supellectilem aliò transferunt, sensim pervenit ad tertiam contignationem flamma, ignaro ac nesciente te inquilino paupere, quia in summa & remotissima ædium parte degis, prope tegulas & nidulos columbarum: ignis ab imis scalis occœpit, in te desinet. Codrus nihil supellectilis habebat præter lectulum, eumque suâ uxore Procula breviorem, sex vascula, quibus ornatus erat ejus abacus e ligno vili confectus, infra quem Cantharus visebatur & statua Chironis*

catus ut tigna ferat, quibus domus fulciatur. Villici etiam dicebantur *qui cœnacula elocabant, mercedesque pro iis exigebant*, quæ cura servis quibusdam urbanis mandabatur, ut patet ex Epig. 29, Martialis, Lib. XII. Quidam ita legunt istos versus: *Nam si labentibus obstat villicus* (nempe admoto tibicine impedit ne labantur) *& veteris rimæ cùm texit hiatum, securos*, &c. id est; postquam occultavit potius, quàm sustulit vitium rimosi parietis, illud tegens arenâ vel luto, tunc nos jubet securos esse.

183. *Frivola.* Sunt vasa fictilia, & viliora: scruta.

184. *Ucalegon.* Civis quilibet vicinus domui deflagranti. Respexit Juvenalis ad versum Virgil. II Æneid. *Jam proximus ardet Ucalegon.*

188. *Codro.* Poëtæ ignobili; cujus mentionem facit prima Satira, versu 2.

190. *Cantharus.* Vas potorium. *Chiron.* Centaurus

Jamque vetus Græcos servabat cista libellos;
Et divina opici rodebant carmina mures.
Nli habuit Codrus: quis enim negat? Et tamen illud
Perdidit infelix totum nihil: ultimus autem
Ærumnæ cumulus, quod nudum, & frusta rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio, tectoque juvabit.
Si magna Arcturi cecidit domus: horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia Prætor:
Tunc gemimus casus urbis, tunc odimus ignem.
Ardet adhuc, & jam accurrit qui marmora donet,
Conferat impensas. Hic nuda, & candida signa,
Hic aliquid præclarum Euphranoris, & Polycleti,

*sub eodem vili abaco jacentis. Detrita vetustate arcula custodiebat Græcos quosdam libellos, in quibus carmina divinitùs scripta indocti mures arrodebant. Hæc omnia nullius profectò pretii, ac nihil potiùs erant; nemo id negat: hoc tamen nihil incendio miser amisit, accedetque ad miseriæ cumulum, quod eum egentem & panis frustula corrogantem nemo recreabit dato cibo, nemo hospitio vel mensâ accipiet. Si Arcturii superba domus collapsa est, matronæ dolorem vultu squalido, vestibusque præ se ferunt: primores urbis nigro colore vestiuntur, ut in publico luctu: Prætor causas dictâ die judicandas in aliud tempus rejicit. Tunc deploramus varios urbis populosæ casus, & ignem ac incendia detestamur. Nondum domus Arcturii tota deflagravit, ecce tibi adest qui marmor ad eam reficiendam donet, qui sumptus se facturum spondeat, alius statuas e puro & candido marmore, alius opus aliquod eximium ab Euphranore aut Polycleto confectum, alius prisca orna-*

Achillis magister, arte medicinæ præstans: navigavit cum Argonautis in Colchidem. Ad eum in monte Pelio cùm venisset Hercules ferens sagittas Hydræ Lernææ sanguine adhuc imbutas, accidit ut una in pedem nudum Chironis decideret, quo ille vulnere diu cruciatus, Deorum miseratione in cœlum translatus est, ubi inter signa numeratur.

192. *Opici.* Opici, seu Osci, obtinuere partem Campaniæ, in Italia, rudes, & imperiti, qui vix Latinè scirent, multò minùs Græcè. Sic mures appellat qui tam bona Codri carmina, quæ ignorabant, roderent.

202. *Euphranoris.* Sta-

Hic Asianorum vetera ornamenta Deorum;
Hic libros dabit, & forulos, mediamque Minervam;
Hic modium argenti: meliora ac plura reponit
Persicus orborum lautissimus, ut meritò jam
Suspectus, tamquam ipse suas incenderit ædes.
Si potes avelli Circensibus, optima Soræ,
Aut Fabrateriæ domus, aut Frusinone paratur;
Quanti nunc tenebras unum conducis in annum.

*menta Deorum in Asia coli solitorum, alius libros & loculos ubi reponantur, ac dimidiæ Minervæ signum ad ornandum bibliothecam, alius denique plenum argento modium largietur. Sic meliorem & uberiorem domum instaurat Persicus Arcturius, sitque orborum locupletissimus, adeò ut suspicari possis ipsum suis ædibus ignem consultò injecisse. Si a ludis Circensibus abstrahi & iis carere potes, non majori pretio emes pulcherrimam domum, ac propriam perpetuo jure possidebis in urbe Sora aut Fabrateria, aut Frusinone, quàm quo emis Romæ in unum duntaxat annum aliquem tenebricosum angulum. Ibi aderit hortulus*

tuarius celeberrimus, Athenienſis.

*Polycleti.* Pictor fuit celeberrimus, Athenienſis.

204. *Forulos.* Armaria & capſas librorum.

*Mediam Minervam.* Pectore tenus extantem.

206. *Perſicus.* Vel eſt cognomen illius Arcturii cujus mentionem fecit initio Satiræ, nota 29, & verſu 197. Vel ponitur pro *quolibet divite orbo*, cujus hereditatem inhiantes plurimi, hominem devincere ſtudent miſſis, ad reparandam domum, muneribus.

*Orborum.* Virorum prole carentium.

208. *Circenſibus.* Ludis qui eduntur in Circo. Erat autem Circus apud Romanos, ſpatium oblongum ac ferè rotundum, clauſum porticibus & ædificiis, unde ſpectabantur certamina, præſertim curulia, in quibus currus circa metas ultimo in Circo poſitas circumagebantur. Tres ejuſmodi Circi celebres Romæ viſebantur, Maximus, Flaminius, & Neronianus.

*Soræ.* Olim urbs Latii ad Lirim Fluvium, hodie in Aprutio ulteriori, vetus nomen retinuit.

209. *Fabrateriæ.* Hodie *Falvaterra*, civitas non procul a fluvio Liri, quondam Volſcorum in Latio oppidum.

*Fruſinone.* Quondam urbs Latii, hodie vocatur *Fruſilone* & eſt in campania Romana.

Hortulus hic, puteusque brevis, nec reste movendus,
In tenues plantas facili diffunditur haustu.
Vive bidentis amans, & culti villicus horti,
Unde epulum possis centum dare Pythagoræis.
Est aliquid quocumque loco, quocumque recessu,
Unius sese dominum fecisse lacertæ.
Plurimus hic æger moritur vigilando; sed illum
Languorem peperit cibus imperfectus, & hærens
Ardenti stomacho. Nam quæ meritoria somnum
Admittunt? Magnis opibus dormitur in urbe,
Inde caput morbi: rhedarum transitus arcto
Vicorum inflexu, & stantis convicia mandræ
Eripient somnum Druso, vitulisque marinis.

*domui adjunctus, & puteus non altus, ex quo sine fune, manu ipsâ, haurire aquam poteris, eâque horti plantas irrigare. Quid porrò jucundius rusticanâ illâ vitâ, quæ sarculo & rastro gaudet: ubi licet hortum colere, cujus ex oleribus parare possis convivium centum discipulis Pythagoræ. Operæ pretium est dominium sibi vel unius lacertæ acquirere, quocumque demum in loco, quamlibet deserto & ignoto degas. Ad ea quæ dixi urbis incommoda, hoc etiam accedit, quod in ea frequentes ægri diuturnâ vigiliâ extinguntur. Eorum quippe morbi e cibis indigestis, neque coctis somno, ac stomachum prægravantibus oriuntur. Quibus enim in tabernis meritoriis & diversoriis publicis, capere somnum placidè licet? Nemini dormire, nisi divitibus, Romæ concessum est. Hæc origo morborum: hic fons. Rhedæ prætereuntes per vicorum angustas ambages, & voces inconditæ ac maledicta quibus aurigas lacessit mulio, cum suo jumentorum grege coactus subsistere, donec evolvant se rhedæ, adiment somnos vel ipsi Druso, ac marinis*

213. *Bidentis.* Bidens, rastri genus, duplici dente instructum.

214. *Pythagoræis.* Pythagoras philosophus docebat abstinendum a carnibus, ac suos vesci oleribus jubebat.

222. *Mandræ.* Est Mandra, multitudo jumentorum, equorum, mulorum, &c.

223. *Druso.* Carpit obiter hunc Drusum, hominem eâ tempestate deditum somno, & veternosum.

*Vitulis marinis.* Phocæ alio vocabulo appellantur; dicuntur immanes ronchos edere cùm dormiunt.

Si vocat officium, turbâ cedente vehetur
Dives, & ingenti curret super ora Liburno,
Atque obiter leget, aut scribet, vel dormiet intus.
Namque facit somnum clausâ lectica fenestrâ:
Antè tamen veniet: nobis properantibus obstat
Unda prior, magno populus premit agmine lumbos
Qui sequitur: ferit hic cubito, ferit assere duro
Alter; at hic tignum capiti incutit, ille metretam.
Pinguia crura luto; plantâ mox undique magnâ
Calcor, & in digito clavus mihi militis hæret.
Nonne vides quanto celebretur sportula fumo?
Centum convivæ; sequitur sua quemque culina.
Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res
Impositas capiti, quas recto vertice portat

*vitulis. Si dives domo prodit, officii alicujus causâ, gestabitur in lectica supra capita civium qui viam ipsi patentem dabunt, ac cedent. Ipse in lectica compositus leget quippiam inter eundum, aut scribet, vel etiam dormiet: quippe lectica somnum arcessit, si ejus fenestræ claudantur; & quamvis ea lento motu progredi soleat, priùs tamen, quàm nos perveniet eumdem in locum dives, quia dum in vico transeuntibus referto festinamus, multitudo anterior nos moratur, posterior premit urgetque: alius me cubito percutit, alius rigido assere. Hic trabe ferit caput, ille ingenti amphorâ. Luto infecta sordent crura, pedem pede calcat mihi miles indutus caligâ, quæ ferreis clavis undique inhorrescit. Cernis ut opus fervet cùm sportulam Clientes domum reportant? Centenos licebit aliquando numerare, quos singulos culinaria sua supellex sequitur? Vix ipse Corbulo par esset portandis tot ingentibus vasis capiti impositis, quot erectâ cervice gestat miserum mancipium.*

225. *Liburno.* Servo e Liburnia oriundo: vel, lectica tanta, quantæ sunt naves Liburnæ. Horat. Epod. I. Liburnum igitur vehiculum erit navi Liburnicæ par. Hyperbole. Liburnia est pars Illyrici e regione Italiæ, inter Istriam & Dalmatiam, in intimo sinu Adriatico. Illinc valentes & proceri servi ad lecticas ferendas adhibebantur.

229. *Unda.* Populus confertus, undas reciproco fluctu æstuantes imitatur.

231. *Metretam.* Cadum, vas capiens libras 108.

234. *Sportula.* Lege Satiram I, v. 80.

236. *Corbulo.* Eo nomine floruit vir bellicis artibus,

Servulus infelix ; & curſu ventilat ignem.
Scinduntur tunicæ ſartæ ; modò longa coruſcat
Sarraco veniente abies, atque altera pinum
Plauſtra vehunt, nutant altè, populoque minantur.
Nam ſi procubuit, qui ſaxa Liguſtica portat
Axis, & everſum fudit ſuper agmina montem,
Quid ſupereſt de corporibus ? quis membra, quis oſſa
Invenit ? obtritum vulgi perit omne cadaver,
More animæ. Domus interea ſecura patellas
Jam lavat, & buccâ foculum excitat, & ſonat unctis
Strigilibus, pleno componit lintea gutto.

*a quo currente ignis ventilatur in foculo quem geſtat, ipſius interim veſtes paulò antè domi ab eodem conſutæ & refectæ, properanti per vicum curribus impeditum ſcinduntur, dum impoſita grandi vehiculo abiegna trabs aut pineæ vacillat, cohorreſcente circum populo, nec injuriâ : ſi quando enim contingit ut plauſtrum aliquod ejuſmodi marmore onuſtum ſubvertatur, & lapidum veluti montem effundat in circumſtantem multitudinem, ita obteruntur corpora, ut nihil ex iis reſtare plus videatur, quàm ex anima ipſa, quæ avolavit ac nuſquam apparet ; nec membra dignoſcere, nec oſſa colligere quiſquam poſſit. Interim familia hunc ignorans caſum, vaſa eſcaria lavat, ſportulam & dapes quas ferebat ſervus exſpectans, & ore anhelo focum accendit, ungit detergitque ſtrigiles, guttum*

robore corporis ac mole præſtans, ſub Nerone.

240. *Sarraco.* Gall. *un chariot.*

242. *Liguſtica.* Liguria eſt in parte ſuperiori Italiæ prope Alpes, ad oram maritimam, ubi nunc Genua, Luna, &c.

248. *Strigilibus.* Strigiles, a ſtringendo, tergendoque corpore ſunt dictæ. Erat inſtrumentum ferreum, longum duos admodum pedes, & in modum falcis incurvum, latitudine pollicis, rotundo manubrio ſex pollices longo, reliquâ parte quâ ſudor abſtergebatur cavum, & ſæpe ornatum intus ebore ſtriato & ſulcato.

*Gutto.* Guttus, eſt vaſculum olei, ex quo liquor guttatim defluit. Hinc illi nomen factum.

*Lintea.* Quibus egreſſi balneo detergebantur.

Hæc inter pueros variè properantur: at ille
Jam ſedet in ripa, tetrumque novitius horret
Porthmea, nec ſperat cœnoſi gurgitis alnum
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.
Reſpice nunc alia, ac diverſa pericula noctis:
Quod ſpatium tectis ſublimibus, unde cerebrum
Teſta ferit, quoties rimoſa, & curta feneſtris
Vaſa cadunt, quanto percuſſum pondere ſignent,
Et lædunt ſilicem. Poſſis ignavus haberi,
Et ſubiti caſus improvidus, ad cœnam ſi
Inteſtatus eas: adeò tot fata, quot illâ
Nocte patent vigiles, te prætereunte, feneſtræ.
Ergo optes, votumque feras miſerabile tecum,
Ut ſint contentæ patulas effundere pelves.

*oleo implet, lintea præparat; ſi omnia ad cœnam neceſſaria properè famuli expediunt, interim ſervus infelix, obtritus plauſtro, jam eſt in Stygis ripa, & Charontis antè non viſi vultum informem perhorreſcit: cúmque careat triente, quem illi pro vectura ſolvat, ſpem nullam tranſmittendæ in ejus cymba ſtygis habet. Atque hæc quidem pericula & incommoda ſunt in urbe metuenda interdiu: jam quæ noctu pertimeſcenda ſunt, expende. Contemplare in quantam altitudinem attollantur domorum faſtigia, e quibus in capita prætereuntium decidunt tegulæ, aut vaſa fictilia, quæ cùm fracta & mutilata corruunt, vide ut ipſo pondere ſilices, quibus viæ ſunt ſtratæ, notent ac vulnerent. Non immeritò quiſpiam parum prudentem te credat, neque ſatis proſpicientem repentinos vitæ caſus, ſi veſperè vocatus ad cœnam domo prodeas non condito teſtamento: adeò tam multæ tibi mortes impendent, quàm multæ ſunt in vicis, per quos habes iter, feneſtræ, unde cives nondum cubantes poſſint in tuum caput teſtam, aut aliud aliquid ejus generis dejicere. Reſtat igitur hoc unum optandum tibi, ut contenti ſint pelvim aliquam ingentem aquâ*

250. *Novitius.* Rudis & inexpertus. Servi quoque recens advecti Romam, *novitii* vocabantur.

251. *Porthmea.* Portitorem.

*Alnum.* Ex alno arbore fiunt lintres.

252. *Trientem.* Charon pro naulo, *id eſt*, vecturæ pretio, poſcebat a mortuis ſive a Manibus, quos tranſmittebat, trientem, ſeu tertiam aſſis partem. Hunc mortuis in os ingerebant, quaſi Charonti dandum.

Ebrius, ac petulans, qui nullum fortè cecîdit,
Dat pœnas, noctem patitur lugentis amicum
Pelidæ, cubat in faciem, mox deinde supinus.
Ergo non aliter poterit dormire: quibusdam
Somnum rixa facit: sed quamvis improbus annis,
Atque mero fervens, cavet hunc, quem coccina læna
Vitari jubet, & comitum longissimus ordo;
Multum præterea flammarum, atque ænea lampas.
Me, quem Luna solet deducere, vel breve lumen
Candelæ, cujus dispenso & tempero filum,
Contemnit. Miseræ cognosce procœmia rixæ,
Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantùm.
Stat contrà, starique jubet, parere necesse est.
Nam quid agas, cùm te furiosus cogat, & idem
Fortior? Unde venis? exclamat: cujus aceto,

*plenam in te desuper effundere. Ebrius aliquis & protervus, si post nocturnam comessationem neminem malè verberibus mulctavit, dolore afficitur non minori, quàm quo affectus est Achilles, Patroclum interfectum mœrens; modò pronus, modò supinus cubat; neque somnum capere poterit antequam verberibus aliquem contuderit: sunt qui ejusmodi concertationibus somnos arcessant; sed licèt mentis parum sit compos, quippe juvenis ferox, & vino æstuans; vitat illos tamen ac præterit, quos purpurea vestis, & comitum multitudo & faces lampadesque ahenæ vitandos esse admonent: me verò, qui ad Lunæ lucem ingredior, aut exiguæ candelæ, cujus parcè & minutatim ellychnium impendo, despicit, ac impunè invadit. Operæ pretium est cognoscere principia tristis ejusmodi concertationis, si concertatio tamen appellari potest, in qua unus tantùm ferit, alter tantùm feritur. Igitur eunti mihi obstat ac consistere me jubet; obtemperandum, velim nolim. Quid enim agas, cogente furioso eodemque fortiori? Statim exclamat ac scisciatur, unde venis? quicum acetarium aut conchem come-*

268. *Coccina.* Coccus granum est, ex quo aqua macerato fit color eximii roboris.

*Læna.* Vestis lanea, augurum, militum, &c. propria.

273. *Procemia.* Procœmium significat *initium propriæ symphoniæ*, πρὸ *ante*; & ᾠδὴ *cantus.* Citharœdi levioribus modulis proludunt & quasi præparant se ſe.

Cujus conche tumes? quis tecum sectile porrum
Sutor, & elixi vervecis labra comedit?
Nil mihi respondes? aut dic, aut accipe calcem.
Ede ubi consistas: in qua te quæro proseucha?
Dicere si tentes aliquid, tacitusve recedas,
Tantumdem est: feriunt pariter: vadimonia deinde
Irati faciunt: libertas pauperis hæc est.
Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.
Nec tamen hoc tantùm metuas; nam qui spoliet te
Non deerit, clausis domibus, postquam omnis ubique
Fixa catenatæ siluit compago tabernæ.
Interdum & ferro subitus grassator agit rem,
Armato quoties tutæ custode tenentur
Et Pomptina palus, & gallinaria pinus.

*disti? ad cujus sutoris mensam accubuisti? ubi sectili porro, & aquâ incocti vervecis capite saginatus es? Siles? aut loquere, aut calcibus vapula, furcifer. Narra ubi habites, in qua te proseucha requiram? Hæc ille. Si contra hiscere coneris aliquid, aut nihil prolocutus abscedas, perinde est, nihilo secius verberant; tum irâ efferati vadimonium tibi denuntiant. Ita demum liberè abire permittitur pauper, si post multa verbera supplex veniam ac pacem oret, pugnisque contusus obsecret, ut sibi concedatur, amissis dentibus in hac miserabili rixa non paucis, discedere ac vitam retinere. Neque hæc tamen duntaxat nocturna pericula metuenda sunt: timor alius instat a furibus, què tuis inhiant spoliis, postquam tabernæ omnes clausæ & ferreis catenis munitæ fuerunt. Nec desunt aliquando repentini grassatores qui gladiis in miseros sæviant, cùm paludes Pomptinæ, & sylva gallinaria multo milite custodiun-*

278. *Conche.* Conchis, fabæ genus est, quæ elixa cum ipso cortice apponebatur.

*Sectile.* Porrum aliud sectile, aliud capitatum. Plin. Libro XIX, c. 6.

281. *Proseucha.* Est *tuguriolum, cavum aliquod e luto ruderibusve confectum*, ubi mendici sessitant.

292. *Pomptina palus.* Est in Latio, ad oram Tyrrheni maris prope Setiam, Privernum, &c. locus latronibus opportunus. Nunc *Paludi Pontinæ*, appellatur.

Sic inde huc omnes tamquam ad vivaria currunt.
Quâ fornace graves, quâ non incude catenæ?
Maximus in vinclis ferri modus, ut timeas, ne
Vomer deficiat, ne marræ & ſarcula deſint.
Felices proavorum atavos, felicia dicas
Secula, quæ quondam ſub Regibus, atque Tribunis
Viderunt uno contentam carcere Romam.
His alias poteram, & plures ſubnectere cauſas:
Sed jumenta vocant, & ſol inclinat; eundum eſt.
Nam mihi commotâ jamdudum mulio virgâ
Innuit: ergo vale noſtri memor; & quoties te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino,

*tur; quo fit ut inde excluſi latrones, Romam advolent, tamquam ad vivarium quoddam, in quo paratam prædam ac facilem inveniant. Quæ fornax, quænam incus, occupata non eſt in catenis fabricandis? Illarum tanta eſt multitudo, ut ferri maxima copia conſumatur in vinculis conficiendis; meritóque ſit timendum, ne non ſuppetat ad vomeres, marras & ſarcula conficienda. Quis non prædicat beatos majorum noſtrorum avos & fortunata illa Romæ tempora, cùm Reges ac Tribuni rerum potirentur, unuſque ſceleratis continendis carcer urbe totâ ſufficeret. Me verò iſta potiſſimùm impulerunt ut Româ demigrarem, quibus alia plurima poſſem addere; ſed ut abſolvam, monent equi ac muli ſarcinis noſtris onuſti; tum ſol in occaſum vergit, utque in viam nos demus, ſignificat virgâ ter agitatâ mulio. Vale igitur, mi Juvenalis, neque mei te ulla capiat oblivio; immo quoties, Româ relictâ, patriam tuam Aquinum petes, virium reficiendarum & captandæ liberioris auræ causâ, fac me quoque arceſſas ab urbe Cumana, quò jam pergo, ut Aquini tecum Cereris Helvinæ*

*Pinus.* Arboris una ſpecies ponitur pro *tota ſylva.*

*Gallinaria pinus.* Sylva gallinaria eſt in ſinu Cumano, a gallinis ſylveſtribus dicta, quæ ibi multæ.

293. *Vivaria.* Vivarium, locus, in quo vivi piſces, aut feræ, ſervantur.

296. *Marræ.* Marra, genus eſt ligonis.

299. *Uno carcere.* Ille Tullianus vocabatur, de nomine Tulli Hoſtilii Regis Romanorum.

304. *Aquino.* Aquinum urbs Italiæ, in via Latina, *Aquin.*

Me quoque ad Helvinam Cererem, vestramque 305
Dianam
Convelle a Cumis: satirarum ego (ni pudet illas)
Adjutor gelidos veniam caligatus in agros.

*aut Dianæ quam Aquinates colitis, sacra celebrem. Avelli me ab loco gratissimo patiar, & in frigidiorem vestram urbem abduci, ut operam tibi navem ad scribendas Satiras, si me adjutorem, hominem imperitum, non recusas. Illic tibi ad expugnanda ævi nostri vitia, instar expediti & ocreati militis, subserviam, ac succenturiatus adero.*

305. *Helvinam.* In agro Aquinate fons Helvinus fuit, nec procul Cereris templum. Hæc inventrix frumenti, annonæ præsidet, ut Diana sylvis.

306. *Cumis.* Vide initium hujus Satiræ, nota 2.

307. *Caligatus.* Caliga genus est calceamenti militaris. Itaque hominem armatum, & ad dimicationem accinctum ea vox hoc loco significat.

# SATIRA IV.

## ARGUMENTUM ET SYNOPSIS.

*In priori parte hujus Satiræ invehitur in Crispinum, sceleratum hominem & Domitiano gratiosum, ejusque libidinem, luxum, & gulam increpat. Deinde mentione facta mulli, quem sex totis sestertiis Crispinus emerat, occasionem arripit agitandi in secunda Satiræ parte Domitiani, ad quem delatum narrat piscem eximiæ magnitudinis, & vocatos principes civitatis, quos enumerat carpitque singillatim, ut suam de isto pisce coquendo & condiendo, sententiam, coram ipso Domitiano, diceret.*

ECCE iterum Crispinus ; & est mihi sæpe vocandus
Ad partes, monstrum nullâ virtute redemptum
A vitiis, æger, solâque libidine fortis :
Quid refert igitur quantis jumenta fatiget
Porticibus, quantâ nemorum vectetur in umbra,
Jugera quot vicina foro, quas emerit ædes ?
Nemo malus felix, minimè corruptor, & idem
Incestus, cum quo nuper vittata jacebat
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.

*EN rursum Crispinus tamquam in scenam prodit : & verò in hoc satiricum theatrum non semel erit producendus, in quo suas partes agat : homo monstri similis ob turpissima & immanissima flagitia, quibus ita mancipatus est, ut nulla virtus eum ab hac teterrima servitute in libertatem vindicarit : qui licèt variis morbis debilitatus sit, fortis tamen duntaxat & strenuus est, cùm indulget libidini. Quid igitur illi prodest, quòd equos plurimos ac mulos vexet fatigetque, dum illis gestatur, aut in exstructis magnificè porticibus, aut in umbrosis sylvarum spatiis ? quòd hortos complures, quòd magnificas domos ac latifundia emerit in ipsa urbe prope ipsum forum ? Neminem improbum felicem rectè dixeris, minimè omnium verò alienæ pudicitiæ corruptorem, & incesto contaminatum, qui nuper Vestalem virginem temeravit, quæ ob id scelus humo*

1. *Iterum.* De Crispino scilicet jam fecit mentionem, Sat. I, vers. 25.

2. *Ad partes vocandus.* Metaphora sumpta est a comœdiis, ubi actores dicuntur suas agere partes, primas, secundas, tertias, &c. hoc est, suam personam, putà Regis, servi, &c. *Jouer son rôle.*

*Redemptum a vitiis.* Ducitur translatio a captivis & mancipiis, quæ sunt in potestate dominorum, donec ab aliquo redimantur ac liberentur.

8. *Incestus.* Qui admisit incestum, non cultus. Incestum propriè dicitur flagitium quod committitur cum muliere, cum qua non potest contrahi matrimonium, ob sanguinis aut religionis rationem.

*Vittata.* Vittæ, sunt tæniæ *seu* redimicula & ornamenta insularum, quibus sacerdotum capita solent amiciri ; iisdem victimæ immolandæ ornabantur.

9. *Terram subitura.* De Vestali sacerdote loquitur. De Vestalibus vide append. c. 3.

Sed nunc de factis levioribus : & tamen alter
Si feciſſet idem, caderet ſubjudice morum.
Nam quod turpe bonis, Titio, Seioque, decebat
Criſpinum. Quid agas, cùm dira & fœdior omni
Crimine perſona eſt ? mullum ſex millibus emit,
Æquantem ſanè paribus ſeſtertia libris,
Ut perhibent, qui de magnis majora loquuntur.
Conſilium laudo artificis, ſi munere tanto
Præcipuam in tabulis ceram ſenis abſtulit orbi.
Eſt ratio ulterior, magnæ ſi miſit amicæ,

*defodienda viva fuit. Sed hæc levia Criſpini flagitia, quæ tamen ſi quis alius admiſiſſet, debitas pœnas, Cenſoris arbitrio, daret. Quod enim Titio, Seioque, viris optimis, vitio graviſſimo vertebatur, hoc pulchrum Criſpino & decorum erat. Quò ſe vertat ſcriptor, aut quod primum ultimumve crimen inſectetur in eo, qui omni flagitio tetrior ac turpior eſt ? En aliud præclarum illius facinus ; emptus ab eo mullus fuit ſex millibus nummûm, totidem pendens libras, quot erant ipſa, quibus emptus eſt, ſeſtertia, ut narrant, qui res magnas majores facere dicendo ſolent. Dicerem callidè factum & prudenter fuiſſe a Criſpino, ſi piſcem tanti emiſſet, ad captandam ipſo munere benevolentiam orbi cujuſpiam & opulenti ſenis, ut primus in ejus teſtamento heres ſcriberetur. Eſſet alia quoque ratio potior, ſi eumdem piſcem nobili ac diviti matronæ miſiſſet, quæ in am-*

11. *Judice morum.* Cenſore, cujus erat civium mores emendare. Vide Sat. II, v. 38, verbo *Cenſura* & v. 90, verbo *Cenſore*.

12. *Titio Seioque.* Hominibus tunc notæ probitatis.

14. *Mullum.* Eſt piſcis marinus, *un barbeau*.

*Seſtertia.* Seſtertium in neutro genere valet mille ſeſtertios, qui minores idcirco appellantur, quorum ſex millibus emptus hic piſcis dicitur, ſive ſex majoribus ſeſtertiis. Eorum valor quis eſſet dixi Sat. I, verſ. 77.

15. *Æquantem ſanè, &c.* Dictum ironicè ; unde verſiculo ſequenti jactatum hoc ab aſſentatoribus Criſpini fuiſſe ait : vix enim trilibres mulli reperiebantur : teſtaturque Seneca mullum quatuor librarum Tiberio datum fuiſſe, tamquam ingens munus.

18. *Ceram.* Paginam. Scribebant quippe in ligneis tabellis obductis cerâ nigricante quam ſtylo ſeu graphio exarabant. In prima porrò teſtamenti pagina primi heredes & præcipui nominabantur.

Quæ vehitur clauſo latis ſpecularibus antro.
Nil tale exſpectes : emit ſibi. Multa videmus,
Quæ miſer & frugi non fecit Apicius. Hoc tu
Succinctus patriâ quondam, Criſpine, papyro!
Hoc pretium ſquamæ! potuit fortaſſe minoris
Piſcator, quàm piſcis emi. Provincia tanti
Vendit agros; ſed majores Apulia vendit.
Quales tunc epulas ipſum glutiſſe putemus
Induperatorem? cùm tot ſeſtertia, partem
Exiguam, & modicæ ſumptam de margine cœnæ
Purpureus magni ructaret ſcurra Palati,
Jam princeps Equitum, magnâ qui voce ſolebat,

*pla & clauſa lectica per urbem geſtatur. Nihil horum ſpectavit Criſpinus, ſuæ unius gulæ rationem habuit. Hæc illa ſunt edita noſtris temporibus inauditæ prodigalitatis & luxûs exempla, quæ ab ipſo prodita non fuerant Apicio, qui ſi cum Criſpino componatur, pænè parcus ac frugalis habebitur. Tune hoc auſus es, o Criſpine? tu viliſſimum Ægypti mancipium, in quæ confectis e papyro veſtibus, ut unus e vulgo, induebaris; eò provecta eſt ingluvies tua, ut piſcem hoc immani pretio comparares, quo piſcator ipſe poterat emi, immo etiam minori fortaſſe? quo ingentes agri venduntur in remotis provinciis, atque adeò ampliſſimi in ipſa Apulia? Quos tunc ab ipſo Imperatore ſumptus fuiſſe factos in convivia cenſemus, cùm piſcem tot ſeſtertiis emptum, qui tamen imperatoriæ cœnæ minima pars erat, ac velut ex ipſius menſæ ſumpta margine, comederet aulicus paraſitus, ac potiùs ſcurra, jam equitum*

20. *Antro.* Lectica obſcura, inſtar antri.

22. *Apicius.* Nobilis Romanus helluonum omnium & comeſſatorum celeberrimus, quem Seneca ſuo ſeculo vixiſſe tradit.

23. *Papyro.* Eſt papyrus Ægypti arbuſcula paluſtris, e cujus libro texuntur vela, tegetes, veſtes, chartæ, &c.

25. *Provincia.* Sat. I, v. 40.

26. *Majores.* Nempe illis qui in provincia ſunt, atque adeo cariores.

*Apulia.* Regio Italiæ, nunc regni Neapolitani pars, *la Poüille.*

28. *Induperatorem.* Pro *Imperatorem*: vox Latina vetus, & poëtica.

29. *Margine.* In extrema & remotiori parte menſæ, ſunt viliores cibi.

30. *Scurra.* Qui riſum jo-

Vendere

Vendere municipes fracta de merce siluros ?
Incipe, Calliope, licet hîc considere : non est
Cantandum ; res vera agitur. Narrate puellæ
Pierides ; prosit mihi vos dixisse puellas. 35
Cùm jam semianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus, & calvo serviret Roma Neroni,
Incidit Adriaci spatium admirabile rhombi,
Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon,

*magister, olim vilis institor, qui contentâ voce siluros piscículos in Ægypto sua natos singillatim divendere solitus erat ? Huc ades, o Calliope, fas hic immorari paulò diutiùs ; neque verò fictum aliquod carmen tibi est recitandum, sed res verè gesta. Illam, quæso, memorate, Musæ, eruditæ Virgines, favete mihi narranti, vel eam ob causam quod vos virgines honestissimo nomine appellaverim. Cùm postremus Cæsarum e Flavia gente orbem dirâ crudelitate vexaret, ac Roma servitute premeretur sub immanissimo Imperatore, qui Neroni cetera similis, hoc uno dispar erat, quòd calvus esset, rhombus piscis admirandæ magnitudinis in retia piscatoris incidit, in mari Adriatico, ante fanum Veneris, quæ Anconæ colitur : ac rete*

cis illiberaliùs movet.

*Purpureus.* In familia Imperatoris numeratus.

32. *Municipes.* Populares, ex eadem regione ortos. Consule super hac voce Sat. III, nota 34.

*Fracta de merce.* Non ex integra merce, non ex arca tota, sed divisa ; ita ut pisces siluros singillatim venderet, vilissimorum cetariorum more.

33. *Calliope.* Una e Musis.

35. *Pierides.* Pierus, mons est Thessaliæ in Græcia, Musis sacer ; a quo & nomen hoc duxere.

36. *Flavius ultimus.* Domitianus, e gente seu domo & familia Flaviorum originem duxit.

37. *Neroni.* Nero fuit sextus Imperator Rom. insigni crudelitate memorabilis ; formâ & ingenio non contemnendus, in quo Domitianum vicit.

38. *Adriaci.* Adria masculini generis, nomen est sinus prælongi, in mari Mediterraneo, Italiam ab ortu alluentis, quem vocamus *le Golfe de Venise*, ab urbe celeberrima Venetiis, in intimo sinu posita. Adria verò, feminini generis, oppidum est agri Piceni, non procul a mari. Dicitur autem mare Adriaticum, Adriacum & Adrianum.

*Rhombi.* Rhombus hoc in loco piscis est marinus, *un turbot.*

39. *Ancon*, sive Ancona, *Ancone*, urbs agri Piceni ce-

Implevitque sinus: neque enim minor hæserat illis,
Quos operit glacies Mœotica, ruptaque tandem
Solibus effundit torpentis ad ostia Ponti
Desidiâ tardos, & longo frigore pingues.
Destinat hoc monstrum cymbæ linique magister
Pontifici summo. Quis enim proponere talem,
Aut emere auderet? cùm plena & littora multo
Delatore forent; dispersi protinus algæ

*totum complevit, quippe nihil mole concedebat illis, qui dum in palude Mœotide gelu constricta delitescentes pinguescunt, eâdem verno sole dissolutâ, otio longo tardi & hyeme diuturnâ saginati transeunt in illud fretum, quo tamquam ostio Mœotis cum Ponto Euxino conjungitur. Piscator hunc piscem monstri similem destinat summi Pontificis mensæ; quis enim auderet venalem ejusmodi mercem palàm exponere, aut emere? Cùm enim vel ipsa littora plurimis delatoribus abundarent; statim illi riparum in-*

leberrima. Dorica vocatur, eò quòd condita fuerit a Syracusanis, qui e Doride, parte Græciæ, sunt oriundi.

41. *Mœotica glacies.* Mœotis palus est, maris Mediterranei pars ultima, ad Septentrionem, infra Scythiam, ab Euxino Ponto discreta per angustum fretum, quem olim Bosphorum Cimmerium vocabant, nunc *le détroit de Caffa.*

42. *Ponti.* Pontus, masculini generis, significat quidem generali nomine, *universum mare*; propriè verò *illud, quod a Palude Mœotide protenditur usque in Ægeum Pelagus*: sed ubi primùm se arctat, a Tenedo incipiens, quæ est insula in ostio maris Ægei, vocatur Hellespontus, nunc *le détroit de Gallipoli*: ubi se expandit Septentrionem & Orientem versùs, appellatur Propontis, nunc *mer de Marmara*: ubi iterum arctatur, Bosphorus Thracius nuncupatur, nunc *le détroit de Constantinople*; quia Constantinopolis ad fauces hujus freti posita est. Denique ubi latissimè diffunditur, appellatur Pontus Euxinus, nunc *la mer Noire*, aut *la mer Majeure*. Pontus, cùm est generis feminini, significat *Asiæ minoris regionem*, ad littus ejusdem Ponti Euxini, venenorum feracem.

45. *Pontifici summo.* Ipsi Domitiano. Solebant enim Cæsares Pontificis summi dignitatem ad imperatoriam adjungere, quò plus haberent auctoritatis.

47. *Delatore.* Adi Sat. I, vers. 31, verbo *Delator.*

*Algæ.* Alga, est herba ma-

Inquisitores agerent cum remige nudo;
Non dubitaturi fugitivum dicere piscem,
Depastumque diu vivaria Cæsaris; inde
Elapsum, veterem ad dominum debere reverti.
Si quid Palphurio, si credimus Armillato,
Quidquid conspicuum, pulchrumque ex æquore toto est,
Res fisci est, ubicumque natat: donabitur ergo,
Ne pereat. Jam letifero cedente pruinis
Autumno, jam quartanam sperantibus ægris,
Stridebat deformis hyems, prædamque recentem
Servabat: tamen hic properat, velut urgeat Auster.

*dagatores ubique diffusi litem piscatori misero intenderent, nec dubitarent affirmare piscem ejusmodi educatum diu fuisse in Imperatoris vivariis, ex iis effugisse, atque adeo priori domino esse restituendum. Si qua fides adhibetur Palphurio & Armillato, quidquid universo in mari præclarum & eximium est, quocumque in loco reperiatur, debetur Imperatori, & ad principis mensam pertinet. Ne igitur invito piscatori, sine ullo fructu, pisces eripiatur, & omnino pereat; donabit illum Imperatori, ut meritum saltem habeat muneris, & mercedis aliquid fortasse obtineat. Jam inhorrescebat hyems, exeunte autumno, & suum brumæ locum vicesque concedente, cùm ægroti quartanam febrim sperare incipiunt. Eo frigore pisces recens captus servari diu poterat, piscator tamen festinat ire ad Imperatorem, perinde ac si calidior ventus flaret. Postquam ventum est*

rina quæ in littus ejicitur ab æstu maris, cum spuma & variis sordibus.

40. *Vivaria.* Sat. III, v. 293.

52. *Palphurio, Armillato.* Domitiani satellitibus, & famosis delatoribus.

54. *Fisci.* Fiscus vulgò significat *ærarium principis*: propriè *calathum vimineum, seu corbem, & sportam*, in qua reponebatur pecunia.

55. *Ne pereat.* Quod datur non perit omnino danti, imò, si Martiali credimus, manet adhuc penes illum. *Quas dederis, solas semper habebis opes.* (Lib. V, v. 45.)

56. *Quartanam.* Febris est, quæ quarto quoque die recurrit. Autumno exeunte solent febres, in quartanas minus periculosas & molestas mutari.

58. *Auster.* Ventus calidior, quo putrescunt opsonia.

Utque lacus ſuberant, ubi, quamquam diruta, ſervat
Ignem Trojanum, & Veſtam colit Alba minorem,
Obſtitit intranti miratrix turba parumper.
Ut ceſſit, facili patuerunt cardine valvæ.
Excluſi exſpectant admiſſa opſonia patres.
Itur ad Atriden: tum Picens, Accipe, dixit,
Privatis majora focis; genialis agatur
Iſte dies; propera ſtomachum laxare ſaginis,

*ad lacus poſitos prope Albam, qua in civitate, licet ferè deſtructa, ſervatur, more a Trojanis inducto, ignis perpetuus, & minori quàm in urbe Romana, templo, Veſta colitur, multitudo admirantium ingredientem pauliſper detinuit: quæ ubi ſummota eſt, in patentes illico fores imperatorii cubiculi admiſſus eſt piſcator, juſſis conſiſtere ad valvas proceribus, & exſpectare donec illuſtre ferculum Domitianus accepiſſet. Quem ubi conſpexit piſcator: Sume, inquit, dapes pretioſiores quàm ut hominis privati culinæ, conveniant, hodie genio indulgeas, & epuleris opiparè, licebit; confeſtim ſtomachum aliis cibis exone-*

59. *Uſque lacus ſuberant.* Poſtquam in Albanos colles pervenere, ad quorum radicem viſuntur lacus, &c.

60. *Veſtam.* Vide append. c. III.

*Alba.* Urbs veteris Latii, ab Aſcanio Æneæ filio condita. Prope hanc urbem Domitianus arcem ſeu villam regio extruxerat opere & cultu, quam Albanum vocaverat, ubi Quinquatria (erant Minervæ feſta) quotannis celebrabat, ac frequens morabatur. Vide Sat. II, v. 61, verb. *Bonam Deam.*

*Minorem.* Cùm Albam diruiſſent Romani, & ſacra Romam tranſtuliſſent; territi nihilominus prodigiis & religione moti, Ædem Veſtæ ibidem extruxerunt, ſed paulò minorem quàm Romæ.

63. *Opſoniâ.* Propriè ſic appellantur *omnes cibi* præter panem: ab ὄπτάω, *coquo.*

*Patres.* Senatores, primores, &c. Iis nomen hoc proprium fecit, ætas, prudentia, auctoritas.

64. *Atriden.* Hìc per Atriden intelligitur Domitianus, qui, ut Agamemno Atrei filius, domeſticis inſidiis oppreſſus periit.

*Picens.* Oriundus ex agro Piceno, qui ager eſt in Italia, ad littus maris Adriatici, vulgò *la Marche d'Ancone.*

65. *Genialis.* Lætus, hilaris. Fingebant Deum eſſe quemdam ſingulis hominibus addictum, fortunæ ipſorum & felicitatis velut arbitrum: *Genium* appellabant.

Et tua ſervatum conſume in ſecula rhombum.
Ipſe capi voluit. Quid apertius? & tamen illi
Surgebant criſtæ. Nihil eſt, quod credere de ſe
Non poſſit, cùm laudatur Dis æqua poteſtas.
Sed deerat piſci patinæ menſura. Vocantur
Ergo in concilium proceres, quos oderat ille;
In quorum facie miſeræ, magnæque ſedebat
Pallor amicitiæ. Primus, clamante Liburno,
Currite, jam ſedit, raptâ properabat abollâ
Pegaſus, attonitæ poſitus modò villicus urbi.
Anne aliud tunc Præfecti? quorum optimus, atque
Interpres legum ſanctiſſimus; omnia quamquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi,
Juſtitiâ. Venit & Criſpi jucunda ſenectus,

*ra, ut opimo piſci pateat totus: rhombo veſcere, quem ſuperi tuo ſeculo ſervaverunt. Ultrò ipſe captus eſt. Quid adulatione tam putidâ clarius? plaudebat ipſe ſibi tamen Imperator, & ineptis laudibus triumphabat. Adeo quaſlibet avidè admittunt laudes, ac de ſe quidlibet dicentibus credunt, qui parem Superis poteſtatem ſunt adepti. Atenim nulla erat patina ſatis ampla, ut in ea coqui & apponi tam vaſtus piſcis poſſet. Itaque cogitur concilium, primores civitatis accerſuntur; qui cùm infenſum haberent Domitianum, ipſo vultu anxio & pallido ſatis indicabant, quàm miſera eſſet tam ſævi principis amicitia. Dum ſingulos feſtinare præco jubet, urgetque his verbis: Advolate, jam adeſt Cæſar, primus abollâ properè indutus celerabat gradum Pegaſus, non ita pridem urbi trepidæ villicus a Domitiano præpoſitus: quid enim aliud tunc erant Præfecti urbis, quàm villici? inter quos ſanè Pegaſus probitate præſtabat, idemque legum & juris interpres erat integerrimus, licèt arbitraretur in illa temporum acerbitate & ſævitia mollem ac languidam, ac velut inermem juſtitiam in adminiſtranda republica eſſe adhibendam. Adfuit etiam Criſpus*

69. *Criſtæ.* Sumptum a gallis gallinaceis, quibus lætitia criſtas erigit, deprimit mœror.

74. *Liburno.* Sat. III, nota 225.

75. *Abolla.* Sat. III, nota *Abollæ.*

76. *Pegaſus.* Hoc in loco nomen eſt Senatoris aut Juriſconſulti peritiſſimi, & Romæ Præfecti.

80. *Criſpi.* Vibius Criſpus homo facetus & comis, cùm fuiſſet aliquando interrogatus, eſſetne ſolus Domitia-

Cujus erant mores, qualis facundia, mite
Ingenium. Maria, ac terras, populosque regenti
Quis comes utilior, si clade, & peste sub illa
Sævitiam damnare, & honestum afferre liceret
Consilium? sed quid violentius aure tyranni?
Cum quo de pluviis, aut æstibus aut nimboso
Vere, locuturi fatum pendebat amici?
Ille igitur numquam direxit brachia contra
Torrentem. Nec civis erat, qui libera posset
Verba animi proferre, & vitam impendere vero.
Sic multas hyemes, atque octogesima vidit
Solstitia, his armis, illâ quoque tutus in aula.

*comis ac festivus senex, cujus placiti & quieti mores erant, nec absimilis eloquentia, suavis indoles, & ad clementiam nata; nemo ut Aulicus imperatori orbem universum gubernanti utiliora suggerere posset consilia, si fuisset honesto cuiquam consilio locus; & immanitatem arguere liberè licuisset, imperante Domitiano, quem orbis perniciem & pestem jure dixeris: quo tyranno quis umquam exstitit crudelior, si quid parum gratum ad ejus aures accideret? Cum quo si amicus colloqueretur de imbribus aut vernæ tempestatis nimbis, ex hoc uno sermone vita ipsius aut mors pendebat, si ad voluntatem & gratiam imperatoris, vel secùs, loquutus foret. Id cùm intelligeret Crispus, cavit sedulò ne contra flumen adversum navigaret; ac rectè ille quidem & sapienter. Quis enim tunc civis audebat, quod sentiret eloqui, ac vitæ discrimen, ut verum diceret, adire? Hac arte Crispus ætatem ad octoginta usque annos produxit; seque ejusmodi armis, in ista, quod mireris, aula sævitiæ plenissima, salvum & incolumem præstitit. Post Crispum proximè*

nus, num quis cum illo intus esset, respondit, Ne musca quidem. Consueverat enim Domitianus muscas in cubiculo persequi & aureo stylo configere.

92. *Solstitia.* Solstitium est anni tempus, in quo sol lentiùs movetur versùs Septentrionem, aut Meridiem, adeò ut stare videatur, quod contingit bis in anno, cùm sol Tropicos attingit, Junio scilicet exeunte & Decembri. Itaque duo sunt solstitia: cùm tamen absolutè ponitur vox illa *solstitium*, semper intelligitur *æstivum*.

Proximus ejusdem properabat Acilius ævi,
Cum juvene indigno, quem mors tam sæva maneret,
Et domini gladiis jam designata: sed olim
Prodigio par est cum nobilitate senectus;
Unde sit, ut malim fraterculus esse Gigantum.
Profuit ergo nihil misero, quòd cominus ursos
Figebat Numidas, Albanâ nudus arenâ
Venator. Quis enim jam non intelligat artes
Patricias? Quis priscum illud miretur acumen,
Brute, tuum? Facile est barbato imponere regi.

*festinabat totidem natus annos Acilius, comitante filio, adolescente ornatissimo, ac digno sanè qui mitiori morte defungeretur, quàm quæ ipsi aliquantò pòst a Domitiano fuit irrogata, jam tunc verò destinata fuit: sed jam pridem monstri simile quiddam est, homo nobilis & senex; eamque ob causam terræ filius & minimus gigantum frater esse multò malluerim, quàm inter nobiles ac Deorum pueros numerari. Nihil igitur infelix juvenis ad evitandam Imperatoris immanitatem & odium profecit, quod, ut ejus benevolentiam captaret, adversùs Lybicos ursos nudo corpore depugnaret in Albano amphitheatro; quis enim ignorat, quàm variis artibus nobiles effugere crudelitatem Domitiani, & in ejus gratiam irrepere conarentur? Nemo jam admiratur Bruti solertiam, quâ Tar-*

93. *Acilius.* Acilius Glabrio Consulatum gessit, vir ob singularem prudentiam & probitatem populo acceptissimus, sed ob easdem dotes, ac maximè propter corporis robur, invisus Domitiano, qui ne ab ejusmodi robustioribus hominibus aliquando necaretur, timebat, quod reverà contigit, ut extremâ Satirâ dicemus. Hunc igitur e medio sustulit.

95. *Jam designata.* Legunt nonnulli, *tam festinata.*

97. *Gigantum.* Terræ filii erant. Solemus autem homines obscuro & humili ortos loco, *terræ filios* appellare.

99. *Numidas.* Lybicos, Numidia est pars Africæ.

*Albana.* Vide suprà v. 60, verbo *Alba.*

*Nudus.* Vel ut esset expeditior ad venationem istam: vel ut quamdam stultitiam simularet, exemplo Bruti.

*Arena.* Sat. II, versu 102, verbo *Arenam*, & Sat. III, nota *Arenæ.*

101. *Patricias.* Sat. I, nota 22, sumuntur hoc loco Patricii, *pro* viris nobilibus & principibus civitatis.

102. *Brute.* Lucius Brutus, fatuum se esse ac hebetem si-

Nec melior vultu, quamvis ignobilis, ibat
Rubrius, offensæ veteris reus, atque tacendæ.
Montani quoque venter adest abdomine tardus:
Et matutino sudans Crispinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera: sævior illo
Pompeius tenui jugulos aperire susurro;
Et qui vulturibus servabat viscera Dacis
Fuscus, marmoreâ meditatus prælia villâ;
Et cum mortifero prudens Veiento Catullo,
Grande, & conspicuum nostro quoque tempore monstrum.

*quinium decepit simulatione stultitiæ: obsoletæ sunt fraudes ejusmodi, & idoneæ tantùm ad fucum faciendum priscis illis qui barbam adhuc alebant regibus, quorum simplicitas cum nostrorum Imperatorum calliditate comparanda non est. Nec minùs pallido, quàm illi nobiles vultu accurrebat Rubrius, nempe criminis olim admissi, & silentio premendi, pœnas meritò timens. Adest ipse quoque Montanus, vix abdomen amplum & bene fartum trahens; & Crispinus unguenta olens quibus mane fuerat delibutus, quantum condiendis duobus cadaveribus satis esset. Adest etiam Pompeius Ruffus, Crispino crudelior ad homines delationibus in Cæsaris aurem instillatis jugulandos. Nec non Cornelius Fuscus qui Dacico in bello postmodum occidendus erat, opima vulturum præda, licet artem bellicam in villa ornatissima umbratili meditatione per otium didicisset. Adest cum prudenti Veientone Catullus, qui multis exitium solebat afferre, monstrum immane, ac nostris etiam temporibus, quibus omnia portenta scelerum vulga-*

mulavit, eoque modo Tarquinii Superbi immanitatem effugit.

*Barbato.* Prisco, antiquæ simplicitatis. Romani per annos ampliùs quadringentos ab urbe condita intonsi fuêre, imò & caruêre tonsoribus, quos Ticinus Mena e Sicilia primus advexit.

105. *Abdomine.* Sat. II, nota *Abdomine.*

107. *Duo funera.* Cadavera condiebantur aromatis.

109. *Dacis.* Daci erant Europæ populi ad Septentrionem, ubi nunc sunt Valachi, Moldavi, &c.

110. *Fuscus.* Cornelius Fuscus prætorianæ cohortis Præfectus, in bello contra Dacos gesto periit. Sat. I, nota 46.

111. *Catullo.* Catullus Messalinus, teste Plinio, luminibus orbatus, ingenio suo mala cæcitatis addiderat, non eru-

Cœcus adulator, dirusque a ponte satelles,
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes,
Blandaque devexæ jactaret basia rhedæ.
Nemo magis rhombum stupuit: nam plurima dixit
In lævum conversus: at illi dextra jacebat
Bellua. Sic pugnas Cilicis laudabat, & ictus,
Et pegma, & pueros inde ad velaria raptos.
Non cedit Veïento, sed ut fanaticus œstro

*ria sunt, admirandum. Homo propter pestiferas adulationes infamis, utroque captus oculo, qui clarus imperatorii furoris administer evaserat, cùm antea esset mendicus, quates in pontium crepidinibus solent considere, ac dignus qui stipem a rhedis clivum Aricinum prætereuntibus rogitaret. Unus præ ceteris rhombum miratus est, quem a dextra parte positum, ipse ad sinistram se convertens mirificè laudabat. Haud aliter certantem Cilicem illum celeberrimum gladiatorem laudibus ad cœlum efferebat, vulneraque ab illo adversariis inflicta, & pegmata, & pueros ex iis ad vela, quibus theatrum supernè tegebatur, sublatos prædicabat. Nihilo segnior est Fabricius Veiento in laudando*

bescebat, non miserabatur, &c.

113. *A Ponte.* Solent pauperes in pontium crepidinibus considere, ut a prætereuntibus stipem petant.

114. *Aricinos.* Aricia, *la Ricia*, urbs Latii, in via Appia, sita erat in clivo, qui ob viæ celebritatem & hominum commeantium frequentiam, mendicis abundabat.

113. *Cilicis.* Cilix, nomen cujusdam gladiatoris tunc spectatissimi, fortasse quia oriundus erat e Cilicia, parte Asiæ minoris Meridiem versùs.

119. *Pegma.* Pegmata *erant* machinæ quædam ligneæ, quæ in triumphorum & ludorum pompa rotis subvehebantur; eo artificio compactæ, ut repentè in varias contignationes assurgerent, ac, si collibuisset, contraherentur, descenderentque. In iis sæpè visebantur pueri maximâ celeritate volitantes ab infimo tabulato ad summum. Facta vox a πήγνυμι, *compingo*, *fabrico*.

*Inde.* A summo pegmate.

*Velaria.* Loca erant ubi reponebantur complicata vela, theatris oppandi solita. Vide Horat. Epist. I, Lib. II.

120. *Fanaticus.* Sat. II, nota 87.

*Œstro.* Œstrus, *muscæ quoddam genus armenta pungere solitum*, & *pecudes in furorem agere*; *unde* tamen quam ob causam pro *furore* accipitur.

Percussus, Bellona, tuo divinat; &, Ingens
Omen habes, inquit, magni clarique triumphi:
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno.
Excidet Arviragus: peregrina est bellua. Cernis
Erectas in terga sudes? Hoc defuit unum
Fabricio, patriam ut rhombi memoraret & annos.
Quidnam igitur censes? Conciditur? Absit ab illo
Dedecus hoc, Montanus ait; testa alta paretur,
Quæ tenui muro spatiosum colligat orbem.
Debetur magnus patinæ, subitusque Prometheus.
Argillam, atque rotam citiùs properate: sed ex hoc
Tempore jam, Cæsar, figuli tua castra sequantur.
Vicit digna viro sententia: noverat ille

*pisce; quin, tamquam fanaticus aliquis Bellonæ stimulis agitatus, hariolatur, &, Hæc bellua tibi, o Imperator, inquit, insignem aliquem triumphum portendit. Rex aliquis a te capietur, aut e solio Britanniæ deturbabitur Arviragus, idque ex eo conjici facilè potest, quòd hæc bellua ex aliqua longinqua regione advecta sit: vides ut tergum illi squamis erectis ac pinnis inhorrescat? Nihil restabat, quod iis adderet Veiento, nisi ut patriam rhombi, & quot esset annos natus, exponeret. Quid igitur faciendum isto pisce censes, subjicit Imperator? num in frusta comminuetur? Cui Montanus, Noli, inquit, illum hac afficere ignominiâ: fabricetur ingens vas fictile, quod latera in orbem tamquam muros amplos vastosque protendat: sed opus est ad extruendam ejusmodi patinam solers & diligens, nihil Prometheo veteri cedens, figulus. Agite, paretur confestim argilla & rota, & deinceps figuli tuis, Cæsar, in castris præsto semper adsint, ut si quid ejusmodi contingat, statim accingant se ad opus. Itum est in hanc sententiam, auctore suo dignam: sciebat ille videlicet, quibus delecta-*

121. *Bellona.* Soror Martis, belli præses; eadem atque Cybele.

124. *De temone excidet.* Propriè potest accipi: nam Britanni e curribus pugnabant, ut Cæsar docet.

125. *Sudes. Palos* ea vox propriè significat: hîc, *pinnas piscis prægrandes & præacutas.*

130. *Prometheus.* Vid. app. c. III & XV. Pro *quolibet figulo* sumitur a poëtis, quia princeps eam artem invenit.

131. *Rotam.* Utuntur figuli rotâ in fingendis vasis.

Luxuriam Imperii veterem, noctesque Neronis
Jam medias, aliamque famem, cum pulmo Falerno
Arderet. Nulli major fuit usus edendi
Tempestate meâ. Circeis nata forent, an
Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo
Ostrea, callebat primo deprendere morsu:
Et semel adspecti littus dicebat echini.
Surgitur, & misso proceres exire jubentur
Concilio, quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos, & festinare coactos,
Tamquam de Cattis aliquid, torvisque Sicambris

*rentur ferculis, quàm fœdis comessationibus indulgerent superiores Imperatores, ac præcipuè Nero, qui epulas a medio die ad mediam usque noctem protrahens, famem renovare callebat, cùm jam stomachus exquisito vino hauriendo defatigatus esset. Unus omnium ævo meo in opsoniorum arte fuit exercitatissimus ac peritissimus: primo e morsu detegebat ubi nata essent ostrea, num Circeis, num ad Lucrini lacûs rupes, aut Britannico in mari; satis erat illi echinum vidisse, ut intelligeret quo in littore captus foret. Consurgitur, ac proceres, soluto concilio, dimittuntur, quos præclarus Imperator in Albanam arcem trepidos evocaverat, & festinare jusserat, quasi cum iis deliberaturus de negotio aliquo graviore, cum Cattis vel Sicambris transigendo; aut quasi de clade aliquæ*

135. *Falerno.* Falernus mons & ager Campaniæ in Italia, vini generosi ferax, inter Calenum & Sinuessam.

137. *Circeis.* Circei, oppidum fuit Italiæ, in ditione Volscorum ad oram Tyrrheni maris, & radices montis Circei, *Monte Circello.* Dirutum est, & extructus in ejus ruderibus pagus, cui nomen *Santa Felicita.*

138. *Lucrinum.* Lucrinus lacus in Italia erat Campania inter Puteolos & Baias; sed anno 1538, terræ motu est absorptus. Restat modò lutosa palus quam indigenæ vocant *Mare morto.*

*Rutupino.* Rutupiæ, oppidum est maritimum majoris Britanniæ.

140. *Echini.* Est Echinus e genere cancrorum: sed spinis horrens totus.

144. *Cattis.* Populis Germaniæ, ad Rhenum, quos infelici bello Domitianus lacessivit.

*Sicambris.* Germaniæ itidem inferioris populis.

Dicturus; tamquam diversis partibus orbis
Anxia præcipiti veniſſet epiſtola pennâ.
Atque utinam his potiùs nugis tota illa dediſſet
Tempora ſævitiæ, claras quibus abſtulit urbi,
Illuſtreſque animas impunè, & vindice nullo:
Sed periit, poſtquam cerdonibus eſſe timendus
Cœperat; hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

*per epiſtolas e variis orbis partibus properè miſſas, fuiſſet admonitus. Utinam verò his ludicris deliberationibus conſumpſiſſet omnes annos, quibus tam diram exercuit carnificinam, & viris nobiliſſimis urbem, nullo ulciſcente, ſpoliavit! Sed interfectus eſt cùm ſævire in plebem cœpit. Exitio illi fuit ignobilis vulgi furor, poſtquam nobilium ſanguine manus impias inquinaſſet.*

150. *Cerdonibus. Aux ſavetiers, aux plus vils artiſans.* Quam ob cauſam *veteramentarius* etiam appellatur.

151. *Lamiarum.* Ælium Lamiam, quòd jocatus fuiſſet paulò liberiùs, interfici Domitianus juſſit; porrò iſti Lamiæ genus antiquum ducebant a Lamo, qui olim Caietæ imperitaverat. Horat. Od. 21, Lib. I, pag. 61, ut edidi anno 1696.

# SATIRA V.

## ARGUMENTUM ET SYNOPSIS.

*TREBIUM conatur deterrere a ſectandis divitum menſis, eique varia paraſiticæ vitæ incommoda ſingillatim proponit, verbi gratiâ, quòd nihil hac vitâ turpius ac miſerabilius, quòd ferculæ omnia deterrima, vinum, panis, oleum, piſces, fungi, poma, ipſi etiam cyathi viles, paraſitis apponantur. Denique in ipſos divites ac lautos invehitur, qui clientes tam malè accipiant, ex iiſque riſum ſibi & voluptatem ſuperbam quærant.*

Si te propositi nondum pudet, atque eadem
est mens,
Ut bona summa putes alienâ vivere quadrâ;
Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas
Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset,
Quamvis jurato metuam tibi credere testi.
Ventre nihil novi frugalius. Hoc tamen ipsum
Defecisse puta, quod inani sufficit alvo.
Nulla crepido vacat? Nusquam pons, & tegetis
pars
Dimidiâ brevior? tantine injuria cœnæ?
Tam jejuna fames? cùm possis honestiùs illic
Et tremere, & sordes farris mordere canini?

*Si te nondum pudet consilii tui, & in eadem perstas mente, ut summi boni loco ducas alienâ vesci mensâ: si contumelias ac dedecora ferre potes, quæ perpeti vix potuissent Sarmentus, aut Galba, cùm ad Augusti mensam vocati, multa indignissima perferrent: etsi jures & contesteris te hac vitâ delectari, fidem adhibere tibi nolim. Et verò humanus venter parvo admodum est contentus: & quamvis deesset quod vacuæ alvo placandæ sit satis, nullusne tandem, ubi mendicare possis, locus est vacuus, sive in ponte, sive in fluvii ripa? Nonne præstaret corrogare stipem, indui curtâ & vix dimidiâ tegete, quàm hanc vitam vivere? Tanti-ne facis cœnam, unde onustus probris & ignominiâ discedas, ac fermè jejunus, cùm in iis, quæ dixi, locis longè honestiùs queas rigere frigore, ac furfureo sordidoque pane vesci? Primùm hoc tibi persuade, cœnam hanc ad quam accumbere te dives jubet, velut omnium, quibus eum jampridem colis, obsequio-*

2. *Quadra.* Propriè significat *quartam partem cujusvis rei*, maximè verò panis, casei, aut placentæ, &c. Interdum sumitur pro *placenta patula*, quæ duabus lineis decussatis in medio notata sic erat, ut quatuor in partes veluti distingueretur. Ejusmodi porrò placentis imponebant opsonia, ut solemus orbiculis e plumbo albo, vel argento. Alienâ quadrâ vivere, proverbii more dicitur, pro *alienam captare mensam*.

3. *Sarmentus.* Eques Romanus, Augusti scurra & parasitus; itidem ut Galba.

8. *Crepido.* Gall. *un quai.* *Pons*, Sat. IV, nota 113.

Primo fige loco, quod tu discumbere jussus
Mercedem solidam veterum capis officiorum.
Fructus amicitiæ magnæ cibus: imputat hunc rex,
Et quamvis rarum, tamen imputat. Ergo duos post
Si libuit menses neglectum adhibere clientem,
Tertia ne vacuo cessaret culcita lecto,
Unà simus, ait. Votorum summa: quid ultrà
Quæris? Habet Trebius propter quod rumpere somnum
Debeat, & ligulas dimittere, sollicitus, ne
Tota salutatrix jam turba peregerit orbem,
Sideribus dubiis, aut illo tempore, quo se
Frigida circumagunt pigri sarraca Bootæ.
Qualis cœna tamen! Vinum quod succida nolit

*rum mercedem integram tibi rependi. Est hic demum illustris amicitiæ fructus, hoc præmium, ut interdum ad capiendum cibum inviteris? Hoc tibi objectat nobilis patronus, tamquam aliquod magnum munus & memorabile; ac licèt rarum sit, prædicat nihilominus, ac in præcipua rationum parte ponit. Itaque si visum illi fuerit post menses duos te clientem diu neglectum, tandem ad cœnam vocare, ne sit vacuus in tertio lecto locus, adesdum, inquiet, unà cibum ambo capiamus. Hæc illa scilicet est meta quam tot votis ambiebas: hæc illa tot laborum tuorum ampla merces. Quid prætereà postulas? Hac tantâ mercede donatus Trebius recusare profectò non debet, quin abrumpat somnum, ac vincula calceorum femoraliumque omittat, festinans ad patronum salutandum, timensque ne ceteri clientes jam ad salutem illi dicendam ordine suo quisque admissi, velut in orbem, fuerint, tametsi nondum planè diluxerit, ac frigidus Bootes adhuc suum plaustrum versare lento gyro pergat. Sed ipsam, quæso, cœnam expendamus ad quam adhiberis. Vinum tibi jam vile propina-*

14. *Rex.* Sic patronos suos appellabant.

17. *Vacuo lecto.* Sat. III, not. 81.

*Culcita. Un matelas.*

22. *Sideribus dubiis.* Cùm ob auroram imminentem astra evanescunt.

23. *Bootæ.* Bootes sidus est septentrionale, proximè post illud quod *Plaustrum* vocant, adeo ut videatur ipsum plaustrum agitare, & boves urgere, qui plaustrum trahunt.

*Sarraca. Chariot.*

24. *Succida lana.* Plena

Lana pati: de conviva Corybanta videbis.
Jurgia proludunt; sed mox & pocula torques
Socius, & rubrâ deterges vulnera mappâ;
Inter vos quoties, libertorumque cohortem
Pugna Saguntinâ fervet commissa lagenâ.
Ipse capillato diffusum Consule potat,
Calcatamque tenet bellis socialibus uvam,
Cardiaco numquam cyathum missurus amico.
Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cujus patriam, titulumque senectus

*tur, ut ad lanam quæ succisa sit recens, & tingenda purpureo colore, vix adhiberetur; quod fumosis vaporibus ita tuum caput perturbet, ut qui veneras conviva, fias brevi Corybas; ac initio quidem in convicia prorumpis & jurgia, mox ipsos cyathos jacularis, & iis vicissim petitus ac vulneratus, sanguinem abstergis cruentâ mappâ, quoties inter hinc vestram parasitorum, inde verò libertorum aciem exarsit certamen, in quo scyphis & poculis tamquam gladiis res geritur. Ipse interim patronus vester potat vinum vetustissimum & generosissimum, in amphoras e torcularî defusum sub aliquo ex antiquis Consulibus, qui comam longiorem alebant, aut tempore socialis belli: cui vino ita parcit, ut ad amicum stomacho laborantem scyphum numquam missurus sit. Cras aliud ipsi vinum miscebitur, putà Albanum aut Setinum, ita vetus, ut quo sit*

succi & humoris. Dicuntur lanæ recèns ab ovium tergo decussæ & succisæ vino elui, maximè si purpureo colore sint inficiendæ; sed vinum deterius ad hos usus adhibetur.

25. *Corybanta.* Vide app. c. 24.

29. *Saguntina.* Saguntus Hispaniæ urbs antiqua. In illa urbe vasa fictilia laudatissima fiebant.

30. *Capillato.* Antiquo: veteres enim Romani intonsi erant, ut dixi Sat. IV, nota *Barbato.* Intelligitur autem præcipuè Opimius qui Consulatum gessit anno ab urbe condita 633, ante Juvenalem 230. Eo consule vini optimi felix & ingens per Italiam omnem copia fuit, quod in amphoras defusum ad ducentos post annos servatum fuit, Plin. Lib. XIV, c. 4.

31. *Bellis socialibus.* Bellum sociale, confectum fuit anno U. C. 666, ducentis fermè annis ante hanc Satiram scriptam.

32. *Cardiaco.* Græca vox: a καρδία, *cor*, *stomachus.*

33. *Albanis.* Sat. IV, nota *Alba.*

34. *Setinis.* Setia, nunc *Sezza*, urbs est in extrema

Delevit multâ veteris fuligine teſtæ:
Quale coronati Thraſea, Helvidiuſque bibebant,
Brutorum & Caſſi natalibus. Ipſe capaces
Heliadum cruſtas, & inæquales beryllo
Virro tenet phialas: tibi non committitur aurum:
Vel ſi quando datur, cuſtos affixus ibidem,
Qui numeret gemmas, unguesque obſervet acutos.
Da veniam: præclara illic laudatur iaſpis,
Nam virro, ut multi, gemmas ad pocula transfert

*loco natum, quo notata Conſule amphora, vix legi in cortice ac titulo amphoræ, propter fuliginem & antiquitatem, poſſit: quale potabant olim Thraſea & Helvidius floreis coronis redimiti, cùm Brutorum & Caſſii natalem diem celebrabant. Idem Virro, a quo vocatus es, pateram habet in manibus confectam ex electro, phialaſque ob extantem beryllum aſperas: tibi aureus cyathus non præbetur: aut ſi tuas in manus aliquando venit, adeſt eodem in loco ſervus, neque a tuo diſcedit latere, qui calicem cuſtodiat, qui inſertas auro gemmas velut in numerato habeat, qui ſit in excubiis, ne quam unguibus avaris divellas. Noli ſuccenſere ſi tam diligenter calix cuſtoditur, in eo quippe eſt egregia iaſpis, & magni pretii. Nam Virro, multorum more, ab annulis ſuis ablatos uniones, poculis*

Latii parte, cujus ager optimi vini ferax.

*Cujus patriam.* Amphoras vini obturabant gypſo, pumice, aut pice, addebantque titulum in quo erat ſcriptum nomen Conſulis, ac proinde anni quo defuſum vinum: item agri nomen, in quo natum. Sæpe amphoras ſuſpendebant in camini ſpiraculo, & multo fumo vetuſtatem & commendationem vino quærebant.

36. *Thraſea.* Thraſeas Pætus vixit Neronis ævo, cui ob eximiam probitatem ac ſtudium libertatis inviſus, & a quo mori, venis inciſis, juſſus eſt.

*Helvidiuſque.* Helvidius Thraſeæ Pæti gener: fuit ſocero non diſſimilis, a Nerone in exilium pulſus.

37. *Brutorum.* Duorum videlicet, Luc. Junii Bruti, qui Tarquinium Româ exegit: & Decimi Bruti, qui præcipuus C. Jul. Cæſaris interfector fuit, unà cum Caſſio.

38. *Heliadum.* Vide appi. c. v.

*Beryllos.* Beryllus, *Béril*, lapis eſt pretioſus, cærulei ferè coloris.

42. *Iaſpis.* Gemma viridis coloris, interdum roſei, aut fulvi, *du jaſpe.*

A digitis ; quas in vaginæ fronte solebat
Ponere zelotypo juvenis prælatus Hiarbæ.
Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem naforum quatuor, ac jam
Quassatum, & rupto poscentem sulfura vitro.
Si stomachus domini fervet vinoque, ciboque,
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.
Non eadem vobis poni modò vina querebar ;
Vos aliam potatis aquam : tibi pocula cursor
Gætulus dabit, aut nigri manus ossea Mauri,

*inserit, quos in summa vaginæ parte collocare solitus erat Æneas, quem Hiarbæ Dido anteposuit. Tu bibes in aliquo ex illis, quibus Vatinius sutor Beneventanus nomen dedit, vitreo cyatho, in quo extabunt quasi rostra & nasæ quatuor per quos bibatur, quique fractus sit, mutilus, & dignus qui cum sulfuratis permutetur. Si æstuat patroni stomachus, mero ac dapibus onustus, affertur illi aqua cocta, quæ vincat nives suo frigore. Ita non tantùm aliud illi ac vobis vinum, quod modò quæstus eram, apponitur, sed etiam alia aqua. Hanc tibi infundet in cyathum aliquis servus a pedibus, e Gætulia oriundus, aut e Mauri-*

45. *Juvenis.* Æneas, Lib. IV Æn. v. 261.

*Zelotypo.* Hiarbas appellatur *zelotypus*, id est, *æmulus Æneæ*, & *rivalis.*

*Hiarbæ.* Hiarbas, Africæ regulus, cùm Didonis nuptias ambiret, ab ea spretus est. Virg. IV Æn. v. 195.

46. *Beneventani sutoris.* Beneventum est urbs extremæ Italiæ, *Benevent :* in ea urbe sutor fuit nomine Vatinius, helluo & comessator egregius, qui vitreos quosdam calices invenit, quadratos, ita ut quatuor in illis prominerent anguli, nasorum instar, per quos bibebatur. Illi calices ab auctore suo dicebantur *Vatiniani.*

48. *Rupto, &c.* Romani permutabant vasa vitrea fracta cum sulfuratis, *id est*, ligni aridi fustulis sulfure imbutis, ad ignem accendendum idoneis.

50. *Geticis.* Getæ sunt populi septentrionalis Asiæ, ubi frigus asperrimum.

*Decocta.* Aquam coctam, & vitreo vase inclusam demittebant in nivem : ita voluptas frigoris contingebat, sine vitiis nivis. Plin. XXXI, cap. 3.

52. *Cursor.* Servus a pedibus, vilioris notæ, & ordinis. Getulia est pars Africæ. Ejus incolæ pernicitate præstabant.

53. *Mauri.* Populi Africæ

Et cui per mediam nolis occurrere noctem,
Clivosæ veheris dum per monumenta Latinæ.
Flos Asiæ ante ipsum pretio majore paratus,
Quàm fuit & Tulli census pugnacis, & Anci:
Et, ne te teneam, Romanorum omnia regum
Frivola. Quod cùm ita sit, tu Gætulum Ganymedem
Respice, cùm sities: nescit tot millibus emptus
Pauperibus miscere puer: sed forma, sed ætas
Digna supercilio. Quando ad te pervenit ille?
Quando vocatus adest calidæ, gelidæque minister?
Quippe indignatur veteri parere clienti,
Quodque aliquid poscas, & quod se stante recumbas.
Maxima quæque domus servis est plena superbis.

*tania, fuscus, macer, ita deformis ut eum habere obvium nocte intempestâ reformidares, si faceres iter per sepulcra, quibus clivi Latinæ viæ sunt referti. Patrono tuo ministrat puer lectissimus & cultissimus, ex Asia petitus, ac pluris emptus, quàm quantum haberent annui proventus Reges Romani Tullus, Ancusque, aut ut verius ac brevius dicam, quantum omnis ceterorum Romæ Regum supellex delicatior olim valebat. Itaque cùm te sitis premet, voca illum tuum e Gætulia Ganymedem & pincernam; iste enim elegans puer, tot nummorum millibus comparatus non dignatur pocula pauperibus ministrare: nec mirum si tam superbus est, quem & flos ætatis, & formæ commendet elegantia. Neque ille tantùm te despicit, sed alius etiam qui calidam & gelidam aquam convivis ministrat: an eum umquam ad te accedentem vides, etsi sæpius inclamatum? Nempe iniquissimo animo fert morem tibi aliquid petenti gerere, quamvis vetus sis cliens; nec te oculis æquis mensæ accumbentem cernit, dum ipse stat. Ut quæque domus est lautissima, ita maximè servis arrogantibus abundat. En,*

ad Occidentem & Meridiem.

55. *Latinæ.* Sat. I, versu 157, verbo *Latina.*

57. *Tulli, Anci.* Sat. III, nota 298. *Pugnax* appellatur Tullus, quia militarem disciplinam & artem Romanos imprimis docuit: Albanos bello vicit, &c. Flor. c. 3.

59. *Frivola.* Sunt figlina ferè vasa viliora. Sat. III, nota 183.

*Ganymedem.* Hìc pro *quolibet pincerna* ponitur. Vide app. c. IV & XXIII.

64. *Clienti.* Sat. I, v. 117, verbo *Clientes*, & Sat. III, nota 115.

Ecce alius quanto porrexit murmure panem
Vix fractum, ſolidæ jam mucida fruſta farinæ,
Quæ genuinum agitent, non admittentia morſum:
Sed tener & niveus, mollique ſiligine factus
Servatur domino. Dextram cohibere memento;
Salva ſit artoptæ reverentia. Finge tamen te
Improbulum, ſupereſt illic qui ponere cogat.
Vin'tu conſuetis audax conviva caniſtris
Impleri, paniſque tui noviſſe colorem?
Scilicet hoc fuerat, propter quod ſæpe relictâ
Conjuge, per montem adverſum, gelidaſque cucurri
Eſquilias, fremeret ſævâ cùm grandine vernus
Jupiter, & multo ſtillaret pænula nimbo.

*alius miniſter quàm indignabundus & commurmurans obtulit tibi panem jam truncatum, quem veriùs dixeris mucidum farinæ malè ſubactæ, & vix coctæ fruſtum, idoneum in quo defatigentur molares dentes, ut illud comminuere poſſint: at panis candidus, e molli confectus ſiligine, domino reſervatur: vide ne illum attingas, illi honorem habeto, in artopta quippe fuit coctus. Fac tamen te audaculum eſſe, ſtatim adeſt qui te omittere hunc panem jubeat, hiſque vocibus increpitet: Næ tu homo delicatus es, qui ex iis caniſtris panem tibi ſumere velis, e quibus domino apponi conſuevit, qui, cujus coloris ſit panis quo veſceris, labores ſcire? Hæc audiens ſcilicet ingemiſcis, atque ita tecum: Hoccine, inquis, merui? hoccine ſperabam, cùm ſurrexi multo mane relictâ conjuge, & montem Eſquilinum ſuperare properavi, cùm gelido vere grando*

69. *Genuinum.* Subaudi: *dentem.* Dentes interiores & majores, appellantur *genuini*, quia genis propiores ſunt: iidem *molares* vocantur, qui cibum molunt & comminuunt, quem dentes anteriores ſecant, ac diſpeſcunt.

70. *Siligine.* Eſt ſiligo, tritici flos, ab omni furfure repurgatus.

72. *Artoptæ.* Erat artopta vas quoddam illi non abſimile, quod Galli vocant, *une cloche*, in quo panem molliorem igne lento coquebant.

77. *Adverſum.* Arduum.

78. *Eſquilias.* Sat. III, nota 70.

79. *Jupiter.* Pro *aëre* ponitur a poëtis.

*Pænula.* Veſtis craſſa & villoſa.

Adſpice quàm longo diſtendat pectore lancem,
Quæ fertur domino, ſquilla; & quibus undique ſepta
Aſparagis, quâ deſpiciat convivia caudâ,
Cùm venit excelſi manibus ſublata miniſtri.
Sed tibi dimidio conſtrictus cammarus ovo
Ponitur, exiguâ feralis cœna patellâ.
Ipſe venafrano piſcem perfundit: at hic, qui
Pallidus offertur miſero tibi caulis, olebit
Laternam: illud enim veſtris datur alveolis, quod
Canna Micipſarum prorâ ſubvexit acutâ;
Propter quod Romæ cum Boccare nemo lavatur,
Quod tutos etiam facit a ſerpentibus atris.

*plurima decideret, veſteſque repentino imbre diffluerent. Age verò, cernis ut patinam ingentem implet ſquilla, quæ patrono tuo apponenda, fertur ſublimis inter miniſtri manus? ut in orbem lectiſſimis aſparagis coronata, ſubjectas dapes ingenti caudâ videtur contemnere? Tibi verò cammarus dimidio parcè ac malignè implicatus ovo, in anguſta lance offeretur, cujuſmodi funebres inter dapes apponi ſolet. Patronus oleum Venafranum ad piſcem condiendum adhibebit: verùm iſta quæ tibi datur Braſſica, oleo putri, quale infunditur laternis, erit condita. Patellis enim veſtris illud oleum infundi ſolet, quod ex Africa deportatur Lybicis navibus, ita fœtens & olidum, ut ſerpentes fugare poſſit, quo cùm utuntur in Balneis Afri, nemo cum iis lavari ſuſtinet. Apponetur domino mullus in*

81. *Squilla.* Piſcis e genere concharum.

84. *Cammarus.* Cancri genus: vilis piſciculus.

85. *Feralis cœna.* Sepulcris mortuorum dapes inferebant Ethnici, eaſque vulgò viliores.

86. *Venafrano.* Subaudi, *oleo.* Ager Venafranus in Italia, optimis oleis erat conſitus. Venafrum, oppidum Campaniæ, *Venafro.*

89. *Micipſarum.* Afrorum. Micipſa Jugurthæ patruus, Maſiniſſæ filius, Numidiæ Rex fuit. Cannam pro navigio poſuit. Nam e ſcirpis & arundinibus naves interdum in Africa fieri ſolitas Plinius docet, Lib. VII, cap. 56.

*Prora.* Pars eſt anterior navis, in acumen deſinens, ut facilè fluctus findat ac dividat.

90. *Boccare.* Boccar fuit Rex Maurorum, temporibus Maſiniſſæ Regis. Ponitur pro *quolibet Numida*, ſeu *Afro.*

Mullus erit domino, quem misit Corsica, vel quem
Taurominitanæ rupes, quando omne peractum est,
Et jam defecit nostrum mare; dum gulâ sævit,
Retibus assiduis penitus scrutante macello
Proxima; nec patitur Tyrrhenum crescere piscem.
Instruit ergo focum provincia: sumitur illinc
Quod captator emat Lenas, Aurelia vendat.
Virroni muræna datur, quæ maxima venit
Gurgite de Siculo: nam dum se continet Auster,
Dum sedet, & siccat madidas in carcere pennas,
Contemnunt mediam temeraria lina Charybdim.
Vos anguilla manet longæ cognata colubræ,

*Corsico mari captus, aut Siculo, si quidem pelagus omne Italiam alluens, exhaustum & investigatum est, dum piscatores ut gulam divitum expleant, & macello suppeditent opsonia, jactis retibus ubique grassantur & proxima littora depopulantur, nec minutos pisces in Tyrrheno crescere mari sinunt. Itaque petenda sunt e provinciis opsonia, quæ in culinis nostris coquantur; illinc advehendum quod in macello comparet grandi pecuniâ Lenas inhians Aureliæ orbæ divitis hereditati, quodque illa subinde vendat. Cœnat murænam Virro quæ amplissima reperiri potuit in voraginibus ad Siciliam positis; ad mediam enim Charybdim usque non verentur temerarii piscatores progredi, ad jaciendæ lina, dum placidum ventis mare paulum quiescit, dum Notus in Æolio antro inclusus feriatur, ac madentes alas siccat. Servatur vobis anguilla, colubrorum consanguinea,*

92. *Corsica.* Gall. *la Corse.* Insula in mari Mediterraneo ad Meridiem Liguriæ.

93. *Tauromitanæ.* Tauromonium. *Taurmino*, est oppidum Siciliæ.

96. *Tyrrhenum.* Mare Tyrrhenum, *la mer de Toscane*, alluit Italiam ab occasu.

98. *Captator.* Qui dandis muneribus alienam hereditatem aucupatur. Lenas & Aurelia, ficta sunt nomina, vel tunc nota.

*Vendat.* Hæc Aurelia, vidua, orba, & dives tot muneribus affluebat, ut ea lucri cupiditate venderet.

99. *Muræna. Une lamproie.* In mari Siculo maximè capiebatur.

102. *Charybdim.* Est Charybdis gurges vorticosus in freto Siculo, obvia quæque absorbens: huic opponitur in adverso littore alter gurges, Scylla dictus, Virgil. IV Æn. 428.

Aut glacie adſperſus maculis Tyberinus, & ipſe
Vernula riparum, pinguis torrente cloacâ,
Et ſolitus mediæ cryptam penetrare Suburræ.
Ipſi pauca velim, facilem ſi præbeat aurem:
Nemo petit, modicis quæ mittebantur amicis
A Seneca, quæ Piſo bonus, quæ Cotta ſolebat
Largiri: namque & titulis, & faſcibus olim
Major habebatur donandi gloria: ſolùm

*aut lupus, maculoſa ob hyemem cute, captus in Tyberi cujus ripas conſectatur, ac poſtea ſaginatur ſordibus cloacarum in eaſdem ripas defluentium per ſubterraneos meatus, per quos ſubter ipſum medium Suburræ vicum ſe inſinuare iſte piſcis ſolet. Ego Virronem ipſum affari paucis velim, ſi modò me audire non gravabitur. Non petuntur a te illa eximia & lauta munera quæ olim a Seneca ſuis amicis, iiſque tenuioribus mittebantur; quæ Piſo liberalis, quæ Cotta clientibus ſuis impertiri ſolebat: nam olim in laude majori ponebatur munificentia, quàm omnes honorum tituli ac ipſe Conſulatus. Hoc duntaxat poſtulamus ut, civium more, tuos clientes ad eaſdem tecum dapes adhibeas. Id ſi facis, patiar equidem te, ut multi faciunt,*

104. *Tiberinus.* Subaudi, *lupus*, nempe piſcis, qui minori erat in pretio, ſi pellem haberet maculoſam, aut ſi in oſtio ipſius Tyberis fuiſſet captus. Lege Horatii Satiram II, Libri II, paginâ meâ 139.

105. *Vernula riparum.* Natus in ripa Tyberina, ut vernæ in herili naſcuntur domo & ibidem habitant.

106. *Cryptam.* Locum ſub terram effoſſum & excavatum.

*Suburræ.* Sat. III, v. 5.

109. *Seneca.* M. Annæus Seneca, rhetor fuit inſignis: ejus filius philoſophiæ laude floruit; & Seneca *philoſophus* vulgò nuncupatur; exſtant ipſius opera.

*Piſo.* Hoc in loco ſermo eſt de Caio, Piſone, Senecæ amico, qui conjurationis in Neronem auctor fuit.

*Cotta.* L. Cotta Conſulatum anno urbis conditæ 688, geſſit, & cenſuram ad bellum uſque Mutinenſe: Caius verò Cotta militari & forenſi gloriâ excelluit, quem in libris de Oratore loquentem Cicero inducit.

110. *Faſcibus.* Conſulatu & Præturâ. Conſuli enim Romano per urbem incedenti anteibant lictores duodecim cum faſcibus: Prætori ſex. Erat faſcis, virgarum ſeu bacillorum manipulus, loro circumdatus: in medio erat ſecuris, cujus ferrum extabat. Per *ſecurim* ſignificabatur *po-*

Poſcimus, ut cœnes civiliter. Hoc face, & eſto,
Eſto, ut nunc multi, dives tibi, pauper amicis.
Anſeris ante ipſum magni jecur, anſeribus par
Altilis, & flavi dignus ferro Meleagri
Fumat aper. Poſt hunc raduntur tubera, ſi ver
Tunc erit, & facient optata tonitrua cœnas
Majores: tibi habe frumentum, Alledius inquit,
O Libye; disjunge boves, dum tubera mittas.
Structorem interea, ne qua indignatio deſit,

*quando cœnabis ſolus, lautiùs & more divitum epulari; parcè verò ac more pauperum cœnare quando cum amicis & clientibus cibum ſumes. Ante ipſum Virronem apponitur calidum ingentis anſeris jecur, & gallina non minor anſere, domi ſaginata; nec non aper ſimilis Caledonio, quem Meleager interfecit. Poſt aprum inferuntur in eamdem menſæ partem fungi purgato & abraſo cortice, ſi verna ſit tempeſtas, ſi oportuna fungis creandis alendiſque tonitrua, illorum molem, ac numerum ferculorum auxerint. Habeas tibi ſanè frumentum ac ſerves, o Africa, boves etiam ab aratris removeas licet, inquit helluo Alledius, dummodo plurimos nobis fungos mittas. Vide interim, ut ille qui ſtruendæ menſæ præeſt, (ne quid abſit quod movere tibi ſtomachum & bilem queat) agilitate mirâ voli-*

*teſtas interficiendi*: per *virgas*, *leviùs animadvertendi*, pro criminum ſcilicet gravitate aut levitate.

112. *Civiliter.* Cives, quando alii alios adhibent ad convivium, iiſdem omnes veſcuntur cibis. Civiliter eſt interdum *honeſtè*, *urbanè*, *ſine cujuſquam offenſione.*

*Face.* Antiqua vox, pro *fac.*

114. *Anſeris.* Exta anſerina delicatum erant ferculum.

115. *Altilis.* Sic propriè vocantur *aves*, quæ in cohorte ſaginantur & impenſiùs aluntur, ut gallinæ, galli Indici, anſeres, &c. *de la volaille.* Dicitur autem *altilis avis*, *altile pecus*, *altilia*, &c.

*Meleagri.* Meleager, ſive Meleagrus, Œnei Regis Ætolorum in Græcia, filius, immiſſum ab irata Diana in agros Ætoliæ prope urbem Calydonem, aprum interemit. Ovid. VIII Metam.

116. *Tubera.* Gall. *Des trufes.* Maximè naſcuntur cùm tonat.

120. *Indignatio.* Dum vides tam multas tam peritè ſectas dapes, offerri patrono; nullam tibi: dum cernis tantos ſumptus fieri in ſtructorem & alios id genus homines, te egente.

Saltantem ſpectes, & chironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magiſtri
Omnia. Nec minimo ſanè diſcrimine refert,
Quo geſtu lepores, & quo gallina ſecetur.
Ducêris plantâ, velut ictus ab Hercule Cacus;
Et ponêre foris, ſi quid tentaveris umquam
Hiſcere tamquam habeas tria nomina. Quando propinat

*tet per omne triclinium, ut alius, cui ſecandorum peritè opſoniorum eſt cura, cultellum ſcitè circumagat, donec cibos omnes ex artis ac diſciplinæ coquinariæ præceptis diſſecuerit, quaſi plurimum intereſſet, quo geſtu lepores, quo gallinæ, incidantur. Dum ceteri convivæ garriunt, ſiles tu, ac ſi quid mutire audeas tamquam ſi haberes tria nomina, pedibus foras pertraheris, ut olim Cacus ab Her-*

121. *Chironomonta.* *Un écuyer tranchant.*

125. *Cacus.* Vide app. c. XV.

127. *Tria nomina.* Nobiles Romani & cives, prænomine, nomine & cognomine utebantur, ut Marcus Tullius Cicero: Lucius Cornelius Scipio, &c. Hæc hujus rei & numeri ratio apud Romanos fuit, quòd ſub unâ gente, *id eſt*, familiâ quâpiam primariâ & principe, multæ continebantur minores familiæ. Verbi gratiâ, in eadem gente Cornelia erant familiæ Scipionum, Lentulorum, Syllarum, &c. Quare ne gens cum gente, ne familiæ ejuſdem gentis, ne ejuſdem familiæ homines inter ſe confunderentur; adhibita ſunt nomina, quæ *gentem*; cognomina, quæ *familiam*; prænomina, quæ *perſonam* deſignarent. Publius Cornelius Scipio, Lucius Cornelius Scipio, ambo fratres erant in Cornelia gente, & Scipionum familia: quare utrique commune & nomen & cognomen, nomen Cornelius, a gente, v. g. Fabia, Claudia, &c. utrumque diſtinguebat; cognomen Scipio, ab aliis Corneliæ gentis familiis, putà Lentulis, Cethegis, &c. prænomen verò, Publius, Lucius, alterum ab altero diſcernebat. Aliquando duplex cognomen eidem perſonæ datum, alterum a familia, alterum ab eventu aliquo, v. g. victoria, petitum: ſic Publius Cornelius Scipio Africanus eſt appellatus. Interdum liberti & clientes habebant tria ejuſmodi nomina, quia patronorum & dominorum ſibi nomen, grati animi ſignificandi causâ, ſumebant.

*Propinat.* Propinare Galli vocant, *boire à la ſanté de quelqu'un.* Hic, *propinare*

Virro

Virro tibi, ſumitque tuis contacta libellis
Pocula? Quis veſtrûm temerarius uſque adeo, quis
Perditus, ut dicat Regi: Bibe? Plurima ſunt, quæ
Non audent homines pertusâ dicere lænâ.
Quadringenta tibi ſi quis Deus, aut ſimilis Dîs,
Et melior fatis donaret, homuncio quantus
Ex nihilo fieres! quantus Virronis amicus!
Da Trebio, pone ad Trebium: vis, frater, ab illis
Ilibus? O nummi, vobis hunc præſtat honorem:
Vos eſtis fratres. Dominus tamen, & Domini rex
Si vis tu fieri, nullus tibi parvulus aulâ
Luſerit Æneas, nec filia dulcior illo.

*cule peremptus. Ecquando poculum tibi porrigit Virro, ut ex eodem bibas? quando tuum, ſi porrigas ipſe, accipit? Quis e veſtra illa paraſitorum turba, tam temerarius eſt, tam impudens, ut patronum ſuum ad bibendum hortari & appellare auſit? Paupertas & centones obſtruunt os hominibus, adeo ut ſæpius obmutescere pro pudore cogantur. At ſi quis Deus, aut quiſpiam ſuperis par, fatiſque benignior, ſeſtertia tibi quadringenta largiretur, quantus evaderes, qui modò nihil niſi homuncio es! quàm ſubitò Virroni carus fores! ut te complecteretur, ut lautè acciperet! Date, famuli, hoc ferculum Trebio, illud eidem apponite, ecquid arridet tibi, frater, ſumen & omentum iſtud? O nummi! vobis hunc honorem habet, vos illius germani fratres eſtis. Tu verò, Trebi, ſi plura his & dulciora audire a patrono tuo, ſi ejus dominus, rexque eſſe cupis: oportet ut non tantùm ſis dives, verùm etiam orbus, nulluſque tibi ſit domi filiolus, nulla filia, quæ carior Virrone tibi ſit. Uxor ſterilis amicum divitem amico in pri-*

eſt *poculum tradere bibendum.*

131. *Læna.* Villoſa veſtis.

*Pertuſa.* Detrita, perforata.

132. *Quadringenta.* Sat. I, nota 91.

133. *Fatis.* Fatum, apud Ethnicos, erat neceſſaria quædam rerum ſeries, ab æterno conſtituta.

138. *Parvulus aula, &c.* Sumptum hoc e Libro IV Æn. v. 328, ubi Dido ſic Æneam alloquitur: *Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet ante fugam ſoboles, ſi quis mihi parvulus aulâ luderet Æneas, qui te tantùm ore referret, &c.*

139. *Dulcior illo.* Poteſt exponi, *dulcior filio:* ſunt enim filiæ interdum filiis cariores.

Jucundum, & carum sterilis facit uxor amicum.
Sed tua nunc Mycale pariat licet, & pueros tres
In gremium patris fundat, simul ipse loquaci
Gaudebit nido, viridem thoraca jubebit
Afferri, minimasque nuces, assemque rogatum,
Ad mensam quoties parasitus venerit infans.
Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus domino; sed qualem Claudius edit,
Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit.
Virro sibi & reliquis Virronibus illa jubebit
Poma dari, quorum solo pascaris odore,
Qualia perpetuus Phæacum Autumnus habebat;

*mis conciliat. At nunc, si te pauperem uxor tua Mycale tribus filiis auxerit, illis ultrò arridebit dives, cùm aliquis eorum suæ mensæ accumbet, & eorum garrulitate ac puerilibus blanditiis delectari se significabit, aut nonnihil munusculi dabit, nuces, assem, thoracem viridem, & alias id genus nugas. Tibi ad suam accumbenti mensam, ac tui similibus amicis, quos ob inopiam aspernatur, jubebit apponi periculosos fungos, dum ipse boletos comedet, qualis Claudius esitabat, antequam illum comederet sibi ab uxore præparatum, quo peremptus, nihil postea manducavit. Virro sibi suisque fructus ministrandos curabit, quorum odore solo fruaris, quales in Phæacum hortis autumno*

141. *Sed tua, &c.* Si dives esses, non videret æquo animo tuos filios: nunc autem, cùm sis pauper, & nihil ab hereditate tua speret, tres filios tuos, ac plures ad mensam adhibebit, munusculis donabit, &c.

142. *Loquaci nido.* Puerulis balbutientibus & garrulis, ut aviculæ in nido garrire solent.

145. *Parasitus.* Qui mensas alienas captat. Sat. I, vers. 123.

146. *Ancipites.* Inter fungos aliqui sunt pestilentes & letiferi, neque facilè discernuntur a probis & salutaribus.

147. *Boletus.* Fungus exquisitus, & innocuus: idemque rarus.

*Claudius.* Romanus Imperator quintus, qui cùm Boletis libentissimè vesceretur, Agrippina illius uxor unum illi veneno imbutum apposuit, quo extinctus est.

151. *Perpetuus.* In illis hortis erant arbores semper maturis onustæ fructibus, qui alibi autumno tantùm matures cunt.

Credere quæ possis surrepta sororibus Afris.
Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit
Qui tegitur parmâ, & galeâ, metuensque flagelli
Discit ab hirsuto jaculum torquere Capellâ.
Forsitan impensæ Virronem parcere credas:
Hoc agit, ut doleas; nam quæ comœdia! Mimus
Quis melior plorante gulâ? Ergo omnia fiunt,
Si nescis, ut per lacrymas effundere bilem
Cogaris, pressoque diu stridere molari.
Tu tibi liber homo, & Regis conviva videris;

*perpetuo fruentibus nascebantur, quoque furto sublatos Hesperidibus meritò credas; tu vescèris scabiosis pomis, qualia novitii milites corrodunt in castris, dum lora metuentes artem librandi jaculi armorumque tractandorum docentur ab hircoso aliquo Centurione. Neque verò credideris Virronem hæc facere parsimoniæ studio; hoc unum ipsi propositum est, ut te crucietur ac voluptatem ex tuo dolore capiat. Enimverò quis histrio jucundior, quæ comœdia festivior esse potest illo spectaculo, quod parasitus esuriens præbet? Sic igitur habeto, tam indignas avaræ cœnæ sordes, tot contumelias eò denique omnes pertinere, ut bilem ac stomachum tibi moveant, ut in lacrymas prorumpens, compressis dentibus stridere & fremere cogaris, atque ita ludibrium de te dare. Credis te scilicet hominem egregiè liberum & nobilis domini convivam; ille arbitratur*

*Phæacum.* Phæaces incoluerunt insulam Corcyram, *Corfou*, e regione Italiæ extremæ positam: illorum Rex Alcinous hortos habuit perpetuis fructibus virentes & onustos ita, ut in proverbium abierint.

152. *Sororibus Afris.* Hesperidibus, quæ coluerunt hortos decantatos, aureis pomis insignes.

154. *Qui tegitur parmâ & galeâ.* Galea & parma erant armis peditum. Parma scutum breve ac vulgò rotundum; ambitu trium ferè pedum. Scutum verò erat oblongum: quatuor pedes altum, duos cum dimidio latum.

155. *Hirsuto Capellâ.* Nomen est Centurionis tunc noti. A Centurionibus autem erudiebantur tyrones milites.

157. *Comœdia.* Sat. III, nota 94.

*Mimus.* Genus est comœdiæ, sed solutioris ac liberioris.

160. *Molari.* Suprà, nota 69.

Captum te nidore suæ putat ille culinæ :
Nec malè conjectat: quis enim tam nudus, ut illum
Bis ferat, Hetruscum puero si contigit aurum,
Vel nodus tantùm, & signum de paupere loro ?
Spes bene cœnandi vos decipit: Ecce dabit jam
Semesum leporem, atque aliquid de clunibus apri.
Ad nos jam veniet minor altilis: inde parato,
Intactoque omnes, & stricto pane tacetis.
Ille sapit, qui te sic utitur. Omnia ferre
Si potes, & debes; pulsandum vertice raso

*te merum parasitum, qui ciborum odorem sequutus, mensam sitam captes : nec malè suspicatur : quem enim dabis mihi, tam inopem, si modò sit ingenuo & honesto loco natus, qui auream bullam more ab Hetruscis accepto puer gesserit, aut libertini saltem filius, qui loro in nodum collecto pro bulla usus fuerit ; quem dabis, inquam, adeo fortunis omnibus destitutum qui a Virrone tam turpiter semel tractatus, ad eum iterum ejusque cœnam redeat ? Sed video quid vos alliciat, opiparæ cœnæ spes vos ducit. En brevi nobis semesi leporis frusta dabit Virro, aut ex apri pernâ quidpiam largietur : gallinæ saginatæ pars aliqua modò ad nos usque deveniet. Sic expedito pane intactoque, ac identidem tantùm delibato, ad rem bene gerendam parati experrectique, fortunam silentio exspectatis. Ego Virronem laudo ac sapere puto, qui de te sic risum sibi quærat ; si hæc tam indigna pati potes, debes profectò, nec dubito quin brevi tondendum caput ac cædendum ala-*

162. *Nidore.* Est propriè nidor, *fumus odoratus ex re aliqua cocta* sive *ustulata.*

164. *Hetruscum, &c.* Hetruria sive Thuscia, *la Toscane*, pars est mediæ Italiæ ad occidentem, supra Latium, &c. Aurea bulla, figuram cordis referens, ab ingenuis pueris gestabatur, appensa collo : quem morem Romani ab Hetruscis acceperant, at libertinorum filii, lorum, quod in nodum erat collectum, ferebant, tamquam signum libertatis.

169. *Stricto pane.* Vel delibato ; ut ne nihil agere videamini : vel exerto, expedito. Sic strictus ensis dicitur, *id est*, eductus vaginâ : & paratus ad feriendum.

171. *Et debes.* Dignus profectò es, qui hæc patiaris.

*Pulsandum, &c.* Servi libertate donandi radebant caput, seque sistebant Prætori, ubi eos dominus bis terque percutiebat in caput, circumagebat, & manumittebat. Itaque videri potest Juvenalis hortari parasitum, ut se in

Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati, his epulis, & tali dignus amico.

*pis, humeros flagellis scindendos præbeas, dignis qui talibus epulis vescare, qui amico ejusmodi glorieris.*

libertatem aliquando vindicet.

# SATIRA VI.

## ARGUMENTUM ET SYNOPSIS.

*POSTHUMUM quemdam, amicum suum ab uxore ducenda deterrere conatur, propositis mulierum vitiis; impudicitiâ scilicet, arrogantiâ, levitate, protervia, curiositate, crudelitate, ineptâ eruditione, garrulitate, superstitione, veneficiis, odio virorum & liberorum, &c.*

CREDO pudicitiam, Saturno Rege, moratam
In terris, visamque diu, cùm frigida parvas
Præberet spelunca domos, ignemque, Laremque,
Et pecus, & dominos communi clauderet umbrâ;
Sylvestrem montana torum cùm sterneret uxor
Frondibus & culmo, vicinarumque ferarum

*PUDICITIAM terras tantùm incoluisse tunc arbitror, cùm Saturnus rerum potiretur; & longo tempore inter mortales fuisse conspectam, cùm in antris degebant homines, & focum, Deos domesticos, greges, atque ipsos heros exigua domus & tenebricosa continebat; cùm agrestem lectum insternebat foliis, stramentis, ac cæsarum in vicinia ferarum tergoribus rusticana conjux, longè tibi dissi-*

1. *Saturno.* Vide app. c. 1.
3. *Larem.* Lar Deus erat domesticus, & cujuscumque familiæ proprius: pro *ipsa domo* ponitur.

Pellibus: haud similis tibi, Cynthia, nec tibi, cujus
Turbavit nitidos extinctus passer ocellos:
Sed potanda ferens infantibus ubera magnis,
Et sæpe horridior glandem ructante marito.
Quippe aliter tunc orbe novo, cœloque recenti,
Vivebant homines; qui rupto robore nati,
Compositique luto, nullos habuêre parentes.
Multa pudicitiæ veteris vestigia forsan,
Aut aliqua extiterint & sub Jove, sed Jove nondum
Barbato, nondum Græcis jurare paratis

*milis, o Cynthia, tibique, o Lesbia, quæ mortuum passerem tam acerbè defleviſti: sed mammas ingentes lacte distentas gerens, quas infantium etiam grandiorum labris immulgeret, ac plerumque incultior suo viro, multâ glande pasto. Sanè aliis, atque nunc, moribus vivebant, orbe recèns condito, mortales, qui non procreati ex parentibus, sed e scissis quercubus in lucem editi, aut e luto formati sunt. Neque tamen dubitem, quin regnante Jove, plurima, aut nonnulla certè, castimoniæ vestigia deprehendi potuerint, sed tamen priùs quàm eidem Jovi succrevisset barba, priùs quàm Græci per alterius salutem*

7 *Cynthia.* Propertii poëtæ, qui Augusti ævo floruit, amica: cujus nimium in corporis cultu, mundoque muliebri studium ipse Propertius non semel incusat.

*Nec tibi, cujus, &c.* Lesbiam intelligit, Catulli, qui eodem Augusto imperante, vixit, amicam. Ea passerculum sibi carissimum cùm amisisset, illum Catullus lepidissimis versiculis deflevit, ac laudavit.

12. *Rupto robore nati.* Cùm primis temporibus degerent homines in exesis arborum truncis, ex iisque identidem, tamquam e domo solita, prodirent, dicti & crediti sunt ex arboribus ipsis nati.

13. *Compositi luto.* Lege Sat. IV, nota 130.

15. *Jove barbato.* Cùm enim illi barba & ætas accrevit, in omnem se libidinem effudit.

16. *Græcis, &c.* Perfidi & perjuri semper existimati fuere Græci, uti & Pæni: unde *Græca fides*, *Punica fides*, pro *perfidia*, seu *nulla fide*, usurpantur.

*Jurare.* Consueverant jurare per suam, parentum, aut amicorum vitam, quò sanctius jusjurandum crederetur, licèt sæpe falsum & perfidum.

Per caput alterius, cùm furem nemo timeret
Caulibus aut pomis, & aperto viveret horto.
Paulatim deinde ad Superos Astræa recessit
Hac comite, atque duæ pariter fugêre sorores.
Antiquum, & vetus est alienum, Posthume, lectum
Concutere, atque sacri Genium contemnere fulcri.
Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas:
Viderunt primos argentea secula mœchos.
Conventum tamen, & pactum, & sponsalia, nostrâ
Tempestate paras, jamque a tonsore magistro
Pecteris, & digito pignus fortasse dedisti.
Certè sanus eras. Uxorem, Posthume, ducis!
Dic quâ Tisiphone, quibus exagitare colubris?
Ferre potest dominam, salvis tot restibus, ullam?
Cùm pateant altæ caligantesque fenestræ?

*juramentum conciperent, cùm nemo fur immineret caulibus aut fructibus alienis, & horti paterent impunè. Posthæc sensim Astræa in cœlum se recepit, Pudicitiâ comitante, & ambæ illæ sorores simul mortalium cœtus reliquerunt. Non est novum crimen, Posthume, ac nostris inventum temporibus, alienum thalamum attentare, præsidemque conjugalis tori Deum aspernari. Postpaulò ætas ferrea reliqua omnia scelera produxit; & adulteria, quæ argenteo seculo nata erant, increbrescere ac augeri sunt cœpta. Tu tamen cogitas vocare amicos, ut ad nuptias tuas conveniant: tu pacisci cum uxore, inire sponsalia, hoc tempore meditaris, jamque caput forsan pectendum tonsori perito commisisti, & annulum puellæ, quo pignore illi fidem tuam obligares, donavisti. Profectò sanæ mentis hactenus fueras; nunc autem sapisne tandem qui uxorem ducere cogites? Quæ te, obsecro, Furiæ, quæ intemperiæ vexant? Tune, cùm tibi tot suppetant, quos faucibus innectas, laquei;*

19. *Astræa.* Dea justitiæ præses: eadem ac Themis.

22. *Genium.* Sat. IV, nota 65.

*Fulcri.* Sic propriè vocatur *lignum* seu *columella quæ lectum sustinet fulcitque.*

25. *Sponsalia.* Sic appellatur *promissio matrimonii.*

28. *Sanus eras.* Legi potest cum nota interrogationis. An sanus es? *Eras* pro *es*, poëticè.

29. *Tisiphone.* Vide app. c. XI.

31. *Caligantes.* Vel ob noctem; vel quia propter suam altitudinem objiciunt

Cùm tibi vicinum se præbeat Æmilius pons ?
Sed placet Urfidio lex Julia : tollere dulcem
Cogitat heredem, cariturus turture magno,
Mullorumque jubis, & captatore macello.
Quid fieri non posse putes, si jungitur ulla
Urfidio ? si mœchorum notissimus olim
Stulta maritali jam porrigit ora capistro ?
Quid, quod & antiquis uxor de moribus illi
Quæritur ? O Medici, mediam pertundite venam.

*cùm te præcipitem e tot feneſtris, aut e vicino ponte Æmilio dejicere poſſis, mavis ſub impotentis dominæ jugo vitam infelicem trahere ? Atenim cenſet Urſidius morem gerendum eſſe legi ab Auguſto in cœlibes latæ ; quamobrem filium & heredem ſuſcipere deſtinat, quamvis intelligat ſibi non donandos deinceps fore, ſi uxorem duxerit, turtures, barbatos mullos, & cetera id genus munera, quæ in macello coëmunt captatores alienarum hereditatum, orbiſque aut viduis largiuntur. Sed quid eſt tam monſtri ſimile, quod non putemus fieri poſſe, ſi uxorem Urſidius reperiat, ſi ipſe, propter adulteria ſua notiſſimus, jam certis honeſti matrimonii legibus & jugo ſe obliget ? Immo verò uxorem etiam veteris caſtimoniæ ac probitatis quærit. Ah ! medici, venam illi, quæ in brachio media eſt, ape-*

caliginem oculis deſpectantium.

32. *Æmilius Pons.* Factus ab Æmilio Scauro Cenſore, dictus quoque pons Milvius, nunc *Ponte Mole.*

33. *Urſidio.* Homini notæ nequitiæ.

*Lex Julia.* In cœlibes, quam tulerat Auguſtus, ut civium numerum bellis civilibus imminutum ſuppleret, pœnâ conſtitutâ, ſi quis vitam conjugii expertem, matrimonio anteferret.

*Tollere.* Educare. Infantes primùm natos humi deponebant : ac ſiquidem illos educare decreviſſent, tollebant ab humo, & ſuſcipiebant : ſi vellent enecare vel exponere, abjectos relinquebant, & ſervis necandos aut exponendos tradebant.

35. *Captatore.* Sat. V, nota 98.

38. *Capiſtro.* Capiſtrum, *eſt* lignum quod inſeritur equorum collo dum jugo admoventur, *aut* vinculum quo illorum os, collumve tunc obſtringitur. Comparatur autem matrimonium jugo, quia cùm duos jungat, ſimul onerat.

40. *Mediam, &c.* Aiunt in brachio tres venas eſſe, ab hepate derivatas, quarum me-

Delicias hominis! Tarpeium limen adora
Pronus, & auratam Junoni cæde juvencam,
Si tibi contigerit capitis matrona pudici.
Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ;
Quarum non timeat pater oscula. Necte coronam
Postibus, & densos per limina tende corymbos,
Ut testudineo tibi, Lentule, conopeo
Nobilis Euryalum mirmillonem exprimat infans.
Nupta Senatori comitata est Hippia Ludium

*rite, ut huic furori medicinam faciatis. Næ hominem delicatum ac lepidum! I, perge porrò ad Capitolium, Jovè grates illic solve humi provolutus; vitulam aureis ornamentis insignem Junoni immola, si feminam castam probamque nanciscaris. Paucas omnino reperire est dignas quæ Cereris sacris ac mysteriis tractandis adhibeantur: quarum oscula pater ipse non reformidet. O, Lentule, januam tuam lemniscis ac floreis corollis adorna, & sertis hederæ togam obtege, ut tibi nascatur in geniali thalamo, nobilis videlicet filius, qui patrem suum Euryalum mirmillonem vultu referat. Hippia, cùm Senatori collocata esset*

dia soleat aperiri, si quis furore ac delirio tentetur.

41. *Tarpeium.* Mons Capitolinus, in quo Jovis templum; dictus est initio Tarpeius, a Tarpeia quadam Virgine Vestali, quæ arcem olim ibi positam Sabinis prodidit, a quibus subinde interfecta, ibidem sepulta est.

42. *Junoni.* Præsidi matrimoniorum: hinc appellabatur vulgò *Pronuba.*

44. *Cereris vittas.* Vide app. c. 2. Vittæ sunt redimicula, quibus amiciuntur capita crinesque sacerdotum.

45. *Timeat, &c.* Quia suspicatur filiam suam parum pudicam esse.

46. *Corymbos.* Coronam ex hedera. Hederæ baccas vocamus Corymbos. Lauro, hederâ, floribus, velis, ornabant januam, cùm uxorem quis ducebat.

47. *Conopeo.* Lecto. Propriè conopeum *est* velum oppansum lecto, ad arcendos culices, qui cùm e Nilo frequentes emergunt, conopeo maximè utuntur Ægyptii. Κώνωψ, *culex.*

*Testudineo.* Lecto sectis testudinum putaminibus ornato: vel, conopeo in orbem expanso circa lectum, & eum ita tegente, ut concha piscem ac testudinem obvolvit.

*Lentule.* Hunc pro *quolibet nobili* posuit.

48. *Mirmillonem.* Lege Sat. II, nota 101, & Sat. VIII, nota 198.

49. *Ludium.* Postrema hujus vocis syllaba aut elidi-

Ad Pharon, & Nilum, famoſaque mœnia Lagi,
Prodigia, & mores urbis, damnante Canopo.
Immemor illa domûs, & conjugis, atque ſororis,
Nil patriæ indulſit, ploranteſque improba natos,
Utque magis ſtupeas, ludos, Paridemque reliquit.
Sed quamquam in magnis opibus, plumaque paterna,
Et ſegmentatis dormiſſet parvula cunis,
Contempſit pelagus: famam contemſerat olim,

*in matrimonium, tamen Ludium quemdam in Ægyptum uſque ſequuta eſt, ipſo Canopo libidinem portenti ſimillimam, & Romanos mores, condemnante. Illa domum & viri & ſororis oblita, patriam & lugentes liberos penſi nihil habuit; quodque multò magis mirere, hiſtriones ac ſpectacula æquo animo reliquit. Quamvis autem in re ampla & paternæ domûs deliciis educata fuiſſet, ac mollibus in cunis, quas tæniæ divites ornabant, ipſa infans jacuiſſet; navigationis tamen labores non extimuit: nec mirum, quippe antea famam neglexerat, cujus perexiguam*

tur propter poſitam in ſequenti verſu vocalem *ad Pharon...* aut per ſynalœphàm cum priore ſyllaba coaleſcit, quaſi eſſet *ludum*. Sunt autem Ludii, *hiſtriones* & *actores ſcenici*, quorum uxores etiam *Ludiæ* vocabantur, a *ludis ſcenicis* quos exhibebant, dicti.

50. *Pharon.* Pharus eſt inſula Canopico Nili oſtio prætenta, poſtea verò ipſi Alexandriæ ponte conjuncta, in qua viſebatur turris ingens e candido marmore, & ipſa *Pharos* dicta, ad cujus noctu accenſæ navigantium regebant curſum: a cujus ſimilitudine ceteræ quoque ſpeculæ ſimilem in uſum conſtructæ, *Phari* appellatæ ſunt.

*Lagi.* Lagus, miles in Græcorum exercitu gregarius fuit, cujus filius Ptolemæus, magnæ apud Alexandrum Macedonem auctoritatis, poſt ejus mortem Ægypto & Africâ potitus eſt, a quo deinceps Ægyptii Reges, Ptolemæi appellati ſunt. Ptolemæorum autem urbs regia & Ægypti caput, Alexandria; quam famoſam hic vocat, *id eſt* deliciis ac libidinibus infamem.

51. *Canopo.* Sat. I, nota *Canops.*

54. *Ludos.* Circenſes & ſcenicos, quibus mirè delectabantur Romani.

*Paridem.* Hiſtrionem & pantomimum, Domitiano acceptiſſimum.

56. *Segmentatis.* Sat. II, nota 93.

Cujus apud molles minima eſt jactura cathedras.
Tyrrhenos igitur fluctus, latéque ſonantem
Pertulit Ionium conſtanti pectore, quamvis
Mutandum toties eſſet mare. Juſta pericli
Si ratio eſt, & honeſta; timent, pavidoque gelantur
Pectore, nec tremulis poſſunt inſiſtere plantis.
Fortem animum præſtant rebus, quas turpiter audent.
Si jubeat conjux, durum eſt conſcendere navim.
Tunc ſentina gravis, tunc ſummus vertitur aër.
Quæ mœchum ſequitur, ſtomacho valet. Illa maritum
Convomit; hæc inter nautas & prandet, & errat
Per puppim, & duros gaudet tractare rudentes.

*rationem habent, jacturamque levem cenſent, otioſæ ac protervæ mulieres. Itaque Tyrrheni & Ionii maris tempeſtates excepit impavida, licèt aliud ex alio pelagus ineundum, alia ex aliis pericula perferenda eſſent. Si qua de cauſa, juſta & honeſta, periculi quippiam eſt ſubeundum, tunc videlicet metu exanimantur, linquuntur animo, conſiſtere in pedes, & ingredi non poſſunt: at ſi quid audendum improbè & facinorosè, fortes & validæ ſunt. Si vir imperet ut navim conſcendant, imperium ferunt moleſtiſſimè; tunc nauſeam movet ſentinæ odor, tunc vertigine corripiuntur, & aërem ſuſque deque verti queruntur. Sin autem adulterum ſequi oporteat, ſtomacho adversùs nauſeam firmo & valenti ſunt. Illa quæ maritum jubentem comitatur, eum vomitu ſuo conſpergit ac fœdat: hæc, mœchi comes, cum nautis ipſis prandet, expers nauſeæ, alacris per navim vagatur, ac nauticos funes attrectare geſtit. Sed, ut ad Hippiam redeamus, quid cauſæ fuit cur Sergium ludium amaret? Cur ejus uxor eſſe, ac ludia*

58. *Cathedras.* Mulieres domi ſedentes & feriantes notat vel ſolitas vectari in molli ſella, & pulvinaribus ſtrata.

59. *Tyrrhenos fluctus.* Sat. V, nota 96.

60. *Ionium.* Subaudi, *pontum.* Mare Ionium *dicitur* ea pars maris Mediterranei, quæ inter Epirum, Siciliam & Cretam expanditur, incipitque ubi ſinus Adriaticus deſinit.

66. *Sentina.* Navis fundus, quo ſordes confluunt: unde gravis odor.

Quâ tamen exarsit formâ ? Quâ capta juventa est
Hippia ? Quid vidit propter quod Ludia dici
Sustinuit ? Nam Sergiolus jam radere guttur
Cœperat, & secto requiem sperare lacerto.
Præterea multa in facie deformia, sicut
Attritus galeâ, mediisque in naribus ingens
Gibbus, & acre malum semper stillantis ocelli.
Sed gladiator erat : facit hoc illos Hyacinthos.
Hoc pueris, patriæque, hoc prætulit illa sorori,
Atque viro. Ferrum est, quod amant. Hic Sergius idem
Acceptâ rude cœpisset Veiento videri.
Quid privata domus, quid fecerit Hippia, curas ?
Respice rivales Divorum ; Claudius, audi,

*nominari vellet ? an capta est ejus formâ, an juventute, an aliâ aliquâ dote, quæ oculos illius perstrinxerit ? Certè pulchellus iste Sergius barbato & hispido non tantùm mento, sed collo erat : deindè brachio uno mutilus, quæ res illi spem obtinendæ missionis & vacationis ab arte gladiatoria faciebat : tum complures in vultu nævi : tumor fœdus in medio naso, quem galea etiam attriverat, denique oculus acri & molesto humore semper lippiens. Verùm erat gladiator : ars tam præclara pares Hyacinthis ipsis Ludios facit : hoc illud fuit, quod Hippia patriæ, sorori, liberis, marito antepositit : delectantur scilicet ferro generosæ mulieres, & eumdem Sergium, si donatus fuisset rude, si artem gladiatoriam desivisset, non pluris, quàm Veientonem suum virum, Hippia feciſſet. Miraris hoc sæculus admissum fuisse a privata, & nullus ferè nominis muliere ? Ipsos Cæsares contemplare, intuere illos Deorum æmulos, audi, quid Claudio Imperatori contigerit. Cùm*

72. *Radere guttur.* Barba faucibus innasci tum solet, cùm quis ætate provectior est.

73. *Requiem.* Emeritis gladiatoribus, aut aliquo membro captis, dabatur missio ut vocabant, seu vacatio ab ludo & muneribus gladiatoriis.

77. *Hyacinthos.* Apollo discum imprudens in Hyacinthi caput vibravit, eumque interemit. E pueri sanguine flos ortus est ejusdem nominis. Ovid. Lib. X Met.

80. *Rude.* Rudis, *erat* virga scabra & impolita, quâ donabantur gladiatores emeriti, honoris insigne, & testis datæ vacationis missionisque ab arena. Suprà, nota 73.

82. *Claudius.* Sat. V, vers. 147.

Quæ tulerit. Dormire virum cùm ſenſerat uxor,
Auſa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Auguſta cucullos, 85
Linquebat, comite ancillâ non amplius unâ.
Optima, ſed quare Ceſennia, teſte marito?
Bis quingenta dedit, tanti vocat ille pudicam;
Nec Veneris pharetris macer eſt; aut lampade fervet;
Inde faces ardent, veniunt a dote ſagittæ. 90
Libertas emitur: coram licet innuat, atque
Reſcribat, vidua eſt locuples, quæ nupſit avaro.
Cur deſiderio Bibulæ Sertorius ardet?
Si verum excutias, facies, non uxor amatur.
Tres rugæ ſubeant, & ſe cutis arida laxet; 95
Fiant obſcuri dentes, oculique minores;

*altiore ſomno illum teneri uxor ſua ſentiebat, tunc ab ejus cubiculo clam ſe proripiebat nocturno cucullo involuta, & unâ duntaxat ancillâ comitante, Cæſareo thalamo vilem alicujus fornicis torum meretrix Imperatoris conjux anteponere non erubeſcebat. Tamen Ceſenniam uxorem vir ſuus ut probam & pudicam laudat. Quæris cauſam? nimirum mille ſeſtertia pro dote, viro attulit: hoc pretio pudicam appellat: inde illam diligit, neque amorem aut a facibus Veneris, aut a Cupidinis telis, quibus ardere & macreſcere ſolent amatores, hauſit; ſed ab luculenta dote. Hoc pretio ipſius uxor emit licentiam ſuo more vivendi. Itaque præſente licèt viro, amatoribus ſuis impunè arridebit ac innuet, ab iiſdem accipiet epiſtolas, ac viciſſim ipſis reſcribet. Uno verbo, mulier dives, quæ avarum nacta virum eſt, aurique cupidum, eâdem fruitur libertate, ac ſi vidua eſſet, virumque planè non haberet. Cur Bibulam deamat Sertorius libertus? Si veritatem ipſam ſcrutaris, formam uxoris, non uxorem amat. Et verò fiat illa rugis ac ſenio deformis, flaccеſcat ac ſolvatur pellis areſcens, nigreſcant dentes putridi, oculi attenuentur,*

83. *Uxor.* Meſſalina.

84. *Palatino.* Imperatorio, Cæſareo.

88. *Bis quingenta.* Mille ſeſtertia.

95. *Laxet.* In ſenibus cutis fit laxior, quia ſuccus & vitalis humor exhauritur, ac remittuntur nervuli, quibus pellis intenditur.

Collige sarcinulas, dicet libertus, & exi;
Jam gravis es nobis, & sæpe emungeris; exi
Ocius, & propera; ficco venit altera naso.
Interea calet, & regnat, poscitque maritum
Pastores, & ovem Canusinam, ulmosque Falernas.
Quantulum in hoc? Pueros omnes, ergastula tota,
Quodque domi non est, & habet vicinus, ematur.
Mense quidem brumæ, cùm jam mercator Iason

*continuò eam jubebit valere libertus a marito missus; & res tuas tibi habe, inquiet; ferre te præterea non possumus, ita tibi mucosus nasus est, abis confestim, moras præcide: in promptu est altera non mucosa. Interim autem donec forma Bibulæ & ætas floret, non friget cessatve imperiosa mulier, cupidè omnia ardenterque gerit, regnum quoddam obtinet in Sertorii domo; a viro postulat ut oves cum pastoribus, in Apulia: vineas, in agro Falerno, sibi coëmat: parum est; quoscumque videt servos, integros mancipiorum greges, quidquid est quo caret, quodque vicinis suppetit, comparari jubet. Quin, Decembri mense, cùm in septis & Campo Martio cessant mercatores; ac porticus Argonautarum, clausis ob frigoris vim,*

101. *Canusinam.* Canusium, *Canosa*, urbs Apuliæ in Italia, ubi præstantes lanæ ac pascua uberrima.

*Ulmos Falernas.* Vitem solebant ad ulmos applicare. De Falerno dictum. Sat. IV, nota 135.

102. *Ergastula.* Sic appellabantur *ea prædia & agri, in quibus mancipia compedibus vincta opus faciebant.*

104. *Iason.* Pars campi Martii ad Tyberim siti, fudibus & cancellis erat inclusa, instar caularum, quam ob causam vocabatur etiam hic locus *Septa*, sive *Ovilia.* In eo loco populus Rom. includebatur, divisus per suas Tribus aut Centurias, cùm habebantur comitia, quæ per hyemem vulgò celebrabantur. Occupabant mercatores eumdem locum, necnon vicinas porticus, inter quas una vocabatur *Porticus Argonautarum*, sive *Jasonis* eorum ducis, quia in ea porticu visebatur picta expeditio Argonautarum, quos Jason Æsonis filius, fabricata in Thessalia, navi Argo, duxerat in Colchidem, ad rapiendum vellus aureum; & quos Juvenalis *armatos nautas* hic vocat. Ipsum verò Jasonem appellat *mercatorem*, quia in ejus porticu Romani mercatores negotiabantur. Porrò isti mercatores, dum habebantur comitia, claudebant tabernas, ne comitia interturbarentur.

Clausus, & armatis obstat casa candida nautis,
Grandia tolluntur crystallina, maxima rursus
Murrina, deinde adamas notissimus, & Berenices
In digito factus pretiosior. Hunc dedit olim
Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori,
Observant ubi festa mero pede sabbata Reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis.
Nullane de tantis gregibus tibi digna videtur?
Sit formosa, decens, dives, fœcunda, vetustos

*tabernis, a nemine frequentatur, cogit maritum tamen eò se conferre, ut vasa e crystallo ingentia mercetur, ac domum ferat; mox pocula murrina, tum adamantem celeberrimum, cui pretium fecit Berenice, cujus annulo iste adamas insertus fuit. Annulum hunc barbarus Agrippa dedit, dedit, inquam, incestæ sorori in ea regione, ubi festis diebus coguntur vel ipsi Reges pedibus iter facere, & veteri instituto ac benignitate gentis sinuntur porci ad summam usque senectutem vivere. Quid igitur, o Juvenalis, nulla tibi e tanto numero mulierum videtur digna quam ducam? Tu verò, per me licet formosam aliquam reperias, divitem, fœcundam, nobilem, quæ majorum imagines in*

ementium concursationibus: quo tamen tempore jubebat mulier eò pergere suum maritum, ibique multa emere.

*Brumæ.* Bruma propriè vocatur *hibernum solstitium*, quâ de voce consule, Sat. IV, nota 92.

105. *Casa candida.* Tabernæ mercatorum nive albicantes.

107. *Murrina.* Murra, lapidis quoddam erat genus nitidum & odoratum, non tamen pellucens.

*Berenices.* Berenice fuit Agrippæ soror, ultimi Judæorum Regis, qui cum sorore parum pudicè vivere ferebatur. Romam cum ea venit, ibique est mortuus. Unde istæ gemmæ Romanis mercatoribus obtingere potuerunt.

109. *Barbarus.* Barbari appellabantur *quicumque non erant Græci.*

110. *Observant, &c.* Nefas apud Judæos erat, vel ipsis Regibus, operari sacris, nisi pedibus nudis. Sabbata dicuntur *Judæorum festa* communi vocabulo, quia diem sabbati colebant ut sacrum, & operum immunem.

111. *Senibus porcis.* Judæi ex instituto veteri Mosis, ac divinâ potiùs lege, abstinebant carne porcinâ: itaque securi apud eos senescebant porci.

Porticibus disponat avos, intactior omni
Crinibus effusis bellum dirimente Sabinâ:
*Rara avis in terris, nigroque simillima cycno.*
Quis feret uxorem, cui constant omnia? Malo,
Malo Venusinam, quàm te, Cornelia mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.
Tolle tuum, precor, Annibalem, victumque Syphacem

*atrio dispositas ostentet; pudicam, quæ ipsas etiam castimoniâ vincat Sabinas, quarum opera bellum atrox compositum olim fuit: quas dotes in una collectas femina* tam rarum est, quàm Phœnicem, aut nigrum cycnum invenire. *Hanc tamen, quæ istis omnibus dotibus prædita sit, ob easdem istas dotes egregias nego tolerari posse. Malim sanè, malim rusticanam ex agro Venusino uxorem, quàm Corneliam Gracchorum matrem, si arrogantiam cum egregiis virtutibus quoque affert, ac triumphos avorum suorum in parte aliqua suæ dotis esse censet. Valeas, cum tuo Annibale ac Syphace castris exuto, cum domita & subacta Car-*

114. *Porticibus disponat avos.* Servabant Romani majorum imagines e cera, vivis similimas, cum insignibus honorum quos gesserant: easque in armariis ordine dispositas habebant in atrio domûs, unde eisdem efferebant, si ducendum funus, si triumphus cohonestandus.

115. *Sabina.* Cùm Romam Romulus condidisset, eamque cerneret ineundis cum vicino populo conjugiis esse frequentandam, Sabinos evocavit quasi ad spectandos Circenses ludos. Venêre illi cum filiabus, quas Romani promiscuè rapuerunt: hinc bellum atrox: jamque ambæ acies erant in procinctu cùm Sabinæ, Romanorum mulieres, crinibus passis, & scissâ veste in medium proruperunt, aciesque infestas diremerunt: composita pax, & regna consociata Livius, Lib. I.

117. *Cui constant omnia.* Cui omnes egregiæ dotes insunt.

118. *Venusinam.* Sat. I, nota 41.

*Cornelia.* Africani majoris filia: ex qua nati Caius & Tiberius Gracchus. Cornelia triumphos Scipionis patris sæpe commemorabat, Plutarcho teste.

121. *Annibalem, &c.* Ducem Carthaginiensium, qui bellum secundum Punicum movit, anno U. C. 536, ac primò quidem duos Consules, P. Corn. Scipionem ad fluvium Ticinum, Sempronium ad fluvium Trebiam

In castris ; & cum tota Carthagine migra.
Parce, precor, Pæan, & tu depone sagittas ;
Nil pueri faciunt ; ipsam configite matrem,
Amphion clamat : sed Pæan contrahit arcum.
Extulit ergo gregem natorum, ipsamque parentem,
Dum sibi nobilior Latonæ gente videtur,
Atque eadem scrofâ Niobe fœcundior albâ.
Quæ tanti gravitas ? quæ forma, ut se tibi semper

*thagine. Ignosce, quæso, Apollo, exclamat Amphion, & tu, o Diana, sagittas abjice ; nihil mei liberi peccaverunt, ipsam Niobem telis vestris perimite ; sed Phœbus arcum contendit, ac torquere tela pergit. Sic Amphion complures filios, atque adeo illorum matrem sepelivit, quæ alba porca fœcundior, se Latonæ filiis anteponebat, ac nobilitatem suam venditabat. Est-ne ulla virtus, aut pulchritudo in muliere tanti æstimanda, ut velis idcirco pati ejus superbiam, dum insultabit tibi, idque jactabit*

vicit. Deinde C. Flaminium ad Trasymenum lacum, mox Terentium Varronem ad Cannas, viculum Apuliæ, cecidit. Sed revocatus ad tutandam Carthaginem a suis Pœnis in Africam, ubi P. Corn. Scipio, victo Syphace Africæ Regulo, rem bene ac fortiter gerebat, ab eodem Scipione victus, & in Asiam fugere coactus, ad extremum hausto veneno sibi necem consciv it. Scipio, captâ Carthagine, ac tributo Pœnis imposito, Romam triumphans ingressus est, anno U. C. 553.

123. *Pæan.* Apollinis, cùm iratus describitur, est nomen.

125. *Amphion.* Rex Thebanorum, maritus Niobes, quæ cùm liberos ex eo duodecim suscepisset, Latonam contempsit quæ geminam duntaxat prolem edidisset ; quod iniquè ferentes Apollo & Diana, ut matrem ulciscerentur, omnes Liberos Niobes sagittis, hæc feminas, ille mares, confixerunt. Amphion luctu contabescens manus sibi attulit, ipsa Niobe in saxum diriguit. Ovid. VI Metam.

*Contrahit.* Contendit. Curvatur enim arcus cùm sagitta emittitur, ita ut duo ejus cornua ferè coëant.

126. *Extulit.* Efferre, propria vox funerum : ad pyram deportavit.

128. *Scrofa.* Respicit hunc Virgilii locum in quo dicitur Æneas inveniisse in ripa Tiberis sub ilicibus ingentem suem albam, quæ triginta porcellos albos enixa erat. VIII Æneid. v. 43. & Lib. III, v. 390.

Imputet? hujus enim rari, ſummique voluptas
Nulla boni, quoties animo corrupta ſuperbo,
Plus aloës, quàm mellis habet. Quis deditus autem
Uſque adeo eſt, ut non illam, quam laudibus effert
Horreat, inque dies ſeptenis oderit horis?
Quædam parva quidem, ſed non toleranda maritis.
Nam quid rancidius, quàm quòd ſe non putat ulla
Formoſam, niſi quæ de Thuſca, Græcula facta eſt?
De Sulmonenſi mera Cecropis? Omnia Græcè,
Cùm ſit turpe magis noſtris neſcire Latinè.
Hoc ſermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi ſecreta. Quid ultra?

*velut ingens beneficium, & immerenti datum, quòd eſſe tua voluerit? Eſto enim, quamvis concedam pudicitiæ & formæ concordiam, rarum eſſe ac maximum in muliere bonum, hujus tamen boni fructus capi nullus poteſt, quoties femina depravato per ſuperbiam animo, plus multò acerbitatis, quàm ſuavitatis habet. Ecquis verò ejuſmodi uxori adeo eſt addictus, ut eamdem, quam probat laudatque ſimul, plus dimidiâ diei parte non averſetur aut oderit? Sunt in mulierum vitiis alia nonnulla levioris quidem momenti, ſed quæ maritis non leviter ſunt moleſta. Quid enim, exempli causâ, putidius, quàm quod nulla ſe pulchram & ornatam putat, niſi quæ, licèt nata ſit in media Italia, in ipſa Etruria, Græcorum tamen mores conſectatur? cùm Sulmone ſit oriunda, Athenienſis cenſeri gaudet. Nihil Græco ſermone non loquuntur, licèt multò ſit fœdius Latinam linguam ignorare. Eâ linguâ ſtupent, eâ iracundiam, lætitiam, ægritudines, eâ mentis arcana proferunt univerſa. Quid amplius? Si uxorem tibi legitimo junctam*

132. *Aloës.* Aloë, herba Indica, ſucci peramari, & odoris gravioris. Plin. Lib. XXVII.

134. *Septenis horis.* Atque adeo plus dimidiâ diei parte: dies enim Romanus duodecim conſtabat horis.

137. *Thuſca.* Sat. V, nota 164.

138. *Sulmonenſis.* Sulmo, Pelignorum oppidum in Italia; patria Ovidii.

*Cecropis.* Cecrops, Rex primus Athenienſium: Cecropidæ, Athenienſes. Cecropis, Cecropidis, femina Athenienſis.

140. *Hoc ſermone pavent, &c.* Pavorem, iram, gaudium alioſque animi affectus, Græco ſermone exprimunt.

Si tibi legitimis pactam, junctamque tabellis
Non es amaturus; ducendi nulla videtur
Causa, nec est quare cœnam & mustacea perdas.
Si tibi simplicitas uxoria, deditus uni
Est animus: submitte caput, cervice paratâ
Ferre jugum: nullam invenies, quæ parcat amanti.
Ardeat ipsa licet, tormentis gaudet amantis,
Et spoliis. Igitur longè minus utilis illi
Uxor, quisquis erit bonus, optandusque maritus.
Nil umquam invitâ donabis conjuge: vendes
Hac obstante nihil; nihil, hæc si nolit, emetur.
Hæc dabit affectus; ille excludetur amicus
Jam senior, cujus barbam tua janua vidit.
Testandi cùm sit lenonibus, atque lanistis
Libertas, & juris idem contingat arenæ,

*matrimonio non amabis, ob ejus vitia; non est cur eam ducas, & sumptum in cœnam nuptialem facias. Quod si nihilominus eam amabis; si tibi est ea facilitas, ut illi obsequi velis in omnibus, teque totum illi dedere; omnino necesse erit ut collum jugo subdas, & ad indignam servitutem ferendam te accingas. Nullam reperies quæ virum sibi addictum nolit regere, quæ illi superbè non imperitet. Quamvis ipsa virum amet impensè, gestiet eumdem tamen cruciare ac spoliare. Quocirca eò plus ab uxore detrimenti quisque vir capit, quo se illi meliorem & amantiorem præbet. Nihil cuiquam largieris, nihil vendes, nihil emes, eâ invitâ & reluctante. Hæc suos tibi amores, odia, ceteraque animi perturbationes afflabit ac transmittet: amicum aliquem jam annis provectum ejicies domo tuâ, etsi hanc ille a prima juventute sua frequentaverit & coluerit. Quam lenones, lanistæ, & gladiatores facultatem habent condendi testamenti, & suos sibi heredes legendi, hæc tibi eripietur; cogeris eos heredes in testamento tuo scribere, quos uxor tibi dictabit, quæ rivales*

142. *Tabellis.* Scriptis & instrumentis, quibus continetur matrimonii contractus.

144. *Mustacea.* Placentas & quædam liba musto condita.

147. *Jugum.* Suprà, nota 38.

155. *Lanistis.* Sat. III, nota *Lanistæ.*

156. *Arenæ.* Gladiatoribus. Sat. II, nota 101, nota *Arenam*; & Sat. III, nota *Arenæ.*

Non unus tibi rivalis dictabitur heres.
Pone crucem servo : meruit quo crimine servus
Supplicium ? Quis testis adest ? quis detulit ? Audi,
Nulla umquam de morte hominis cunctatio longa est.
O demens ! ita servus homo est ? Nil fecerit, esto ;
*Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.*
Imperat ergo viro : sed mox hæc regna relinquit,
Permutatque domos, & flammea conterit ; inde
Advolat, & spreti repetit vestigia lecti.
Ornatas paulò ante fores, pendentia linquit
Vela domûs, & adhuc virides in limine ramos.
Sic crescit numerus ; sic fiunt octo mariti,
Quinque per autumnos : titulo res digna sepulcri.
Desperanda tibi salvâ concordia socru :
Illa docet spoliis nudi gaudere mariti.
Scilicet exspectas, ut tradat mater honestos,

*tuos bene multos non omittet. Suffige, inquiet, servum hunc cruci : at quid sceleris admisit, ut hoc supplicio mactetur ? Quis eum accusat, quis hominem testimonio suo condemnat ? Auscultа, quæso, & rem repende, conjux, neminem pœnitere debet moræ, cùm agitur de homine interficiendo. At tu, reponet illa, non sapis, qui servum inter homines censeas numerandum : nihil verò ille peccaverit, agetur in crucem nihilominus*, quia sic volo, sic impero, legis & rationis locum obtinere voluntas mea debet. *Sic viro conjux leges imponit, sic domi una regnat : nec diu tamen idem regnum servat : aliam, ubi imperet, domum quærit, ac velum nuptiale rescindit abjicitque : mox ab hac domo, eâdem levitate discedens, ad torum, quem spreverat, revertitur, ac januam novissimi mariti velis & sertis pro more ornatam subitò deserit. Ita virorum augetur numerus, & annis quinque, maritis octo nubit, exemplo memorabili & digno, quod in ipsius aliquando tumuli inscriptione & elogio perscribatur. Quod si matrem uxoris tuæ habeas domi, frustra pacem concordiamque speraveris. Illa filiam erudiet, quo pacto virum emungere argento ac spoliare possit. Exspectas videlicet dum mater gnatam imbuat honestis moribus & aliis, quàm suis ? nescis aniculæ*

164. *Flammea.* Sat. II, nota *Flammea.*

165. *Vela.* Suprà, nota 46.

Atque alios mores, quàm quos habet? Utile porrò
Filiolam turpi vetulæ producere turpem.
Nulla ferè causa est, in qua non femina litem
Moverit. Accusat Manilia, si rea non est.
Componunt ipsæ per se, formantque libellos,
Principium, atque locos Celso dictare paratæ.
Endromidas Tyrias, & femineum ceroma
Quis nescit? vel quis non vidit vulnera pali,
Quem cavat assiduis sudibus, scutoque lacessit?
Atque omnes implet numeros; dignissima prorsus
Florali matrona tubâ: nisi si quid in illo

*facinorosæ & obscenæ rationes hoc postulare, ut filiam iisdem facinoribus assuefaciat. En tibi vitium aliud mulierum: vix ulla est causa ex iis quæ in foro agitantur, in qua litis & suscipiendæ & agendæ auctor aliqua femina non extiterit. Si Manilia in jus vocata non est, alios vocat. Ipsæ suâ sponte componunt ac fabricantur illa scripta, quibus lites instruuntur, & causæ perorantur: confidunt-que se posse Celsum ipsum docere, unde sit petendum exordium, quibus e locis oratoriis ducendæ rationes & argumenta. Jam verò, quis ignorat esse nunc in more positum, ut mulieres, athletarum ritu, induant endromiden & ceromate perungantur? Quis non interfuit, cùm se in campo Martio adversùs palum, tamquam verum hostem exercerent, eumque clavâ & scuto armatæ, repetitis ictibus peterent, vexarentque ex omnibus artis gladiatoriæ regulis? Quis neget matronam istis præclaris assuetam exercitationibus, cùm ad celebranda Floralia personantibus tubis vo-*

176. *Manilia.* Rixosa & litigiosa mulier.

*Rea.* Reus appellatur *quicumque in jus vocatur, quamvis innocens.*

178. *Locos.* Loci oratorii, *sunt* argumentorum quasi loculi & scrinia, unde rationes educuntur.

*Celso.* Cornelius Celsus, rhetor, floruit Augusti ævo.

179. *Endromidas.* Sat. III, nota 97.

*Ceroma.* Sat. III, nota 67.

180. *Vulnera pali.* Tyrones milites exercebantur ad palos, quos singulos singuli defigebant in terram, & contra quos, tamquam contra veros hostes, depugnabant ensibus ligneis armati, aut ligneis sudibus; & rotundi crete viminea, instar scuti.

183. *Florali tubâ.* Accia quædam Tarratia fuit famosa meretrix Romæ, quæ postea sub Deæ Floræ nomine consecrata & culta fuit. Hæc

Pectore plus agitat, veræque paratur arenæ.
Quem præstare potest mulier galeata pudorem,
Quale decus rerum, si conjugis auctio fiat,
Balteus, & manicæ, & cristæ, cruriſque sinistri
Dimidium tegmen: vel si diversa movebit
Prælia; tu felix, ocreas vendente puellâ.
Hæ sunt, quæ tenui sudant in cyclade, quarum
Delicias, & panniculus bombycinus urit.
Aspice quo fremitu monstratos perferat ictus,

*cabitur, ceteras mulieres facilè superaturam? nisi fortè, spretis mulierum ludis ac festis, majus aliquid meditatur, seque præparat veris certaminibus gladiatorum obeundis in arena. Quem pudori, quæso, locum relinquit mulier, quæ tam impudenter galeam & arma gladiatoria induere non veretur, quam innata sexui verecundia & modestia non deterret? Quàm illustre præbebit populo spectaculum conjux tua, si domesticam supellectilem, auctione constitutâ, velit vendere, cùm proferentur in medium balteus, ferrea manuum tegmina, cristæ, & sinistri pedis integumentum; aut, si uxorem tuam vera delectant bella, habebis profectò cur tibi plaudas, cùm ocreas ipsa suas vendet. Atqui illæ ipsæ, si leviori veste per æstatem induantur, sudare se & enecari clamitant: earum delicatam cutem premit cruciatque tunica levis e subtili bombyce confecta: eædem verò cùm ad gladiatoriam artem a lanista exercen-*

populum Romanum moriens heredem reliquit eâ lege, ut editis ludis suum natalem diem Roma celebraret. Illi ludi *florales* dicti sunt, seu *Floralia*, erantque pleni omnis spurcitiæ ac turpitudinis: iis inchoandis signum dabatur tubâ: in iisdem mulieres, instar gladiatorum, depugnabant inter sese.

186. *Auctio*. Sat. III, nota *Sub hasta Domina*.

187. *Cruris sinistri*, &c. Olim in hello muniebatur pes sinister usque ad genu, aliquo tegmine; cùm enim scuto uterentur, eo pars pedis superior, seu crus, protegebatur: pes verò sinister armabatur, non dexter; quia in pugna protenditur vulgò pes lævus, alter retrahitur. Hinc dimidium tegmen appellatur, nempe *unius pedis*; aut *pedis* tantùm, & non cruris.

*Balteus*. Hoc in loco significat *cingulum e corio latiore*, quo gladiatores firmabant latera. *Ocreæ* sunt militum.

190. *Cyclade*. Vestis est feminea: cyclas vocatur a voce Græca κύκλος *circulus*, *ambitus*.

Et quanto galeæ curvetur pondere : quanta
Poplitibus ſedeat ; quàm denſo faſcia libro ;
Dicite vos neptes Lepidi, cœcive Metelli,
Gurgitis aut Fabii, quæ ludia ſumpſerit umquam
Hos habitus ? quando ad palum gemat uxor Aſyli ?
Semper habet lites, alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet : minimum dormitur in illo.
Tunc gravis illa viro, tunc orbâ tigride pejor,
Cùm ſimulat gemitus occulti conſcia facti :
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat
Uberibus ſemper lacrymis, ſemperque paratis

*tur, vide quâ contentione vocis ac vultûs, dictatos a magiſtro ictus in adverſarium dirigant ? quàm fortiter ac ſtrenuè ferant onus impoſitæ capiti galeæ, quamvis eo pondere incurvetur cervix ac ſubſidat ? quàm denſis multiſque corticibus & faſciis muniant ſibi poplites, ne inflectantur ac fatiſcant ? Vos hîc appello Lepidorum neptes, aut ejus Metelli, cui cognomentum Cæco fuit, vel ejus Fabii, qui Gurges appellatus eſt ; an vidiſtis aliquam veſtrâ tempeſtate Ludiam, quæ iſto cultu ac veſtibus uteretur ? An ipſa conjux Aſyli, & ceteræ gladiatorum uxores ad palum ſudantes & anhelantes, exercentur ? Quid dicam de jurgiis & litibus, quibus uxor improba domum perturbat, per quas viro ſomnos placidè carpere numquam licet ? Tunc maximè tamen eſt moleſta, & ſævior tigride ſuis ſpoliatâ catulis, cùm ream ſe alicujus facinoris taciti ſentiens, fingit ſe ingemiſcere, quaſi virum alienis implicatum ſciret amoribus ; ſimulatque ſe dolere quòd ex eo pueros ſuſceperit, ab eo pellicem amari dictitans, nec lacrymis parcit, quas velut in ſtatione ſemper habet ad*

194. *Poplitibus*, &c. Ne inter pugnandum fatiſcerent genua, & inflecterentur poplites, eos muniebant mollibus corticibus, multâ faſciâ conſtrictis. Liber, libri propriè *corticem* ſignificat : primi enim libri ex arborum phyliris, *id eſt*, tenuiſſimis corticibus fiebant.

*Sedeat.* Adſtricta firmiter & compacta ſit, nempe *faſcia.*

197. *Aſyli.* Aſylus hoc in loco nomen eſt hiſtrionis aut gladiatoris tunc noti. Ait igitur nobiles matronas deteriores ac nequiores eſſe ludiorum uxoribus, quæ ad palum non exercentur.

200. *Orbâ tigride.* Dum catulis ablatis, frendet & ſævit in raptorem, quem inſectatur.

In ſtatione ſua, atque exſpectantibus illam,
Quo jubeat manare modo: tu credis amorem,
Tu tibi tunc curruca places, fletumque labellis
Exſorbes. Quæ ſcripta, & quas lecture tabellas,
Si tibi zelotypæ retegantur ſcrinia mœchæ!
Unde hæc monſtra tamen, vel quo de fonte requiris?
Præſtabat caſtas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parva ſinebant
Tecta labor, ſomnique breves, & vellere Tuſco
Vexatæ, duræque manus, ac proximus urbi
Annibal, & ſtantes Collina in turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala: ſævior armis
Luxuria incubuit, victumque ulciſcitur orbem.
Nullum crimen abeſt, facinuſque libidinis, ex quo

*nutum expeditas, ut quâ parte, quove pacto jusſerit, fluant. Tu eas ab amore proficiſci arbitraris, & ſimilis currucæ, tibi gratularis, lacrymaſque præ gaudio tibi manantes tacitus exſorbes, ac premis. Infelix! quas litteras, quos libellos amatorios legeres, ſi tibi paterent arculæ in quibus uxor adultera, quæ ſe fingit zelotypam, ſuarum libidinum conſcias recondere chartas ſolet? Roget quiſpiam fortaſſe, quænam tot ſcelerum ſit cauſa, quo ex fonte libidines tam portentoſæ fluxerint? Veterum Latinorum uxores tenuitas & inopia rei familiaris caſtas efficiebat; arcebat ab eorum caſis vitia durus labor, & in multam productus noctem; vigiliæ, lanificium, vicini Annibalis terror, qui viros ipſarum cogebat ad portam Collinam in turribus excubias agere. Nunc exitio nobis eſt diuturna pax. Luxuria omni bello crudelior occupavit Romanos, ac per eam orbis, noſtris olim armis domitus, pœnas a nobis repetit. Ex quo priſcam majorum noſtrorum paupertatem copia & luxus expulit, omnis vitiorum cohors ac libidinum invaſit urbem. Iis enim opibus factum*

204. *In ſtatione.* Eſt metaphora a re militari.

206. *Curruca.* Eſt avicula, quæ ova ſibi a cucullo poſita, pro ſuis fovet excluditque.

214. *Annibal.* Sup. not. 121.

*Collina.* Porta collina Romæ, proxima erat monti Quirinali, a cujus variis colliculis ac tumulis portæ nomen eſt factum.

Paupertas

Paupertas Romana perît. Hinc fluxit ad istos
Et Sybaris colles; hinc & Rhodos, & Miletos,
Atque coronatum, & petulans, madidumque
Tarentum.
Prima peregrinos obscena pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt secula luxu
Divitiæ molles. Quid enim Venus ebria curat?
Grandia quæ mediis jam noctibus ostrea mordet,

*est ut venirent Romam deliciæ, moresque corruptis Sybaritarum, Rhodiorum, Milesiorum, & Tarentinorum. Romanorum igitur opes in causa præsertim fuerunt, cur aliarum gentium obsceni mores & luxus Romam inveherentur, pristinamque frugalitatem & sanctimoniam depravarent. Quam enim pudoris & parcimoniæ rationem habeant mulieres epulis & vino accensæ, cùm indulgent gulæ ad me-*

218. *Hinc fluxit, &c.* Crimen omne ac facinus libidinis ex eodem fonte manavit, nimirum ex abundantia.

*Istos colles.* Nempe Romanos. Urbs enim in septem collibus magnam partem sedet. Sat. III, nota *Diotum, &c.*

219. *Sybaris.* Est fluvius in extrema Italia, & in sinum Tarentinum effunditur. Non procul est oppidum ejusdem nominis, cujus incolæ, Sybaritæ dicti, omnium voluptatum ingeniosissimi fuisse narrantur architecti. Cùm igitur vates dicit Sybarim ad Romanos colles fluxisse, significat invectam in Romanos mores, Sybaritarum lasciviam, comessationes Tarentinorum, &c.

*Rhodos, Miletos.* Sunt recti casus, Græco more.

*Illinc Rhodos, &c.* Sunt illæ duæ urbes in Asia: Rhodus quidem, in Rhodo insula, *l'île de Rhode*, quæ objacet Asiæ minori, ad Meridiem: Miletus verò, nunc *Melasso*, in Ionia, ad oram occidentalem ejusdem minoris Asiæ: lanis olim suis & pannis inclyta. Illinc igitur, *id est*, ex abundantia & nimiis opibus vitia Græcorum ad nos profluxerunt.

220. *Tarentum.* Urbs ultimæ Italiæ, in ea parte quæ olim magna Græcia vocabatur: in intimo recessu sinûs, qui ab ea Tarentinus appellatur.

*Coronatum.* Coronas e floribus imponebant capiti inter vina.

*Madidum.* Ebrium.

221. *Obscena pecunia.* Cujus habendæ gratiâ nihil non obscenum admittitur.

*Mores.* Vitia, flagitia.

224. *Mediis jam noctibus.* Protracto ad mediam noctem convivio.

Cùm perfusa mero spumant unguenta Falerno,
Cùm bibitur conchâ, cùm jam vertigine tectum
Ambulat, & geminis exsurgit mensa lucernis.
Audio quid veteres olim moneatis amici:
Pone seram, cohibe. Sed quis custodiet ipsos
Custodes? Cauta est, & ab illis incipit uxor.
Jamque eadem summis pariter, minimisque libido:
Nec melior, pedibus silicem quæ conterit atrum,
Quàm quæ longorum vehitur cervice Syrorum.
Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,

*diam usque noctem, comedunt ostrea delicata, immiscent unguenta exquisito vino, cùm majoribus inter se poculis, e capaci concha factis, poscunt, ebrietate oculos & caput ita perturbante, ut ipsis moveri lacunaria, geminari lucernæ, mensæ assurgere videantur. Rectè me admonetis, o candidi & veteres amici: nempe dicitis observanda esse domi omnia diligenter, compescendam prodigæ mulieris & libidinosæ intemperantiam adhibitis custodibus. Sed quæro, quis custodes ipsos custodiet? Ingeniosa & vigil est conjux, hoc primùm curat ut illos ipsos custodes deliniat corrumpatque. Neque verò primarias tantùm matronas & locupletes iste luxus, prodigalitatis, & ambitionis furor tenet, eodem & infimæ sortis mulieres laborant; neque modestior est ea quæ pedes iter facit, quàm quæ lectica sublimi gestatur a proceris & valentibus servis. Ogulnia, ignobilis illa muliercula, ut*

225. *Unguenta.* Ita delectabantur odoratis illis unguentis, ut non solùm iisdem caput ungerent, sed etiam vinum condirent. Unguento igitur in imo calice posito falernum superfundebant. Plin. Lib. XXXI, cap. 3.

*Falerno.* Sat. IV, nota 136.

226. *Tectum ambulat.* Ebriis omnia videntur moveri & circumagi. Iidem ebrii omnium gemina vident.

230. *Ab illis incipit.* Primos omnium uxor corrumpit & sibi conciliat quos sibi custodes novit adhibitos.

232. *Pedibus silicem quæ conterit atrum.* Ignobilis & paupercula nudis pedibus incedens per vias cœnosas silice stratas. Viæ silice sternuntur.

*Atrum.* Lutulentum.

233. *Syrorum.* Servorum e Syria, parte Asiæ, Romam advectorum; ab iis lecticæ nobilium ferebantur; ita ut ipsæ a servorum eas subeuntium numero nomen haberent, dicereturque lectica hexaphoros, quæ a sex famulis gestabatur: octophoros; quæ ab octo, &c. ἕξ, *sex*, ὀκτὼ, *octo*; & φέρω, *porto.*

Conducit comites, sellam, cervical, amicas,
Nutricem, & flavam, cui det mandata, puellam.
Hæc tamen argenti supereſt quodcumque paterni
Lævibus athletis, ac vaſa noviſſima donat.
Multis res anguſta domi eſt: ſed nulla pudorem
Paupertatis habet; nec ſe metitur ad illum,
Quem dedit hæc, poſuitque modum. Tamen utile quid ſit,
Proſpiciunt aliquando viri; friguſque, famemque
Formicâ tandem quidam expavere magiſtrâ.
Prodiga non ſentit pereuntem femina cenſum:
At velut exhauſtâ redivivus pullulet arcâ
Nummus, & e pleno ſemper tollatur acervo,
Non umquam reputat quanti ſibi gaudia conſtent.
Si gaudet cantu, radiant teſtudine totâ

*ſpectaculis interſit ibique ſe oſtentet, mutuatur veſtem, comites, lecticulam, pulvinum, amicas, nutricem, & puellam elegantiorem, cui det mandata. Cúmque par eſſet, ut quod ipſi reſtat e patrimonio, ſervaret alendæ familiæ, hoc ipſum tamen, ac reliqua vaſa, & domeſticam ſupellectilem, juvenibus pugilibus largitur. Quamvis plurimæ egeſtate vexentur, & exiguo ſint admodum cenſu, nullæ tamen paupertatis pudore deterrentur, quominus prodigæ ſint; nullaque eum, quem inopia ſuadet, modum ac frugalitatem ſervat. Sanè viri ſuæ utilitatis rationem interdum habent, quantumlibet prodigi, & exemplo formicæ proſpiciunt in futurum, quo pacto famem & frigus arceant. At feminæ profundunt ac perdunt omnia, nullo futuri metu; neque ſecum umquam expendunt quanto eas nugas quibus delectantur, emant; quaſi exhauſta in arca nummi ſuâ ſponte reviviſcerent, ac repullularent, neque illorum acervus eſſet aliquando minuendus. Finge aliquam oblectari cantu, cy-*

236. *Nutricem.* Matronam aliquam & anum, quæ puellis nobilibus moderatrix & comes addebatur.

238. *Lævibus.* Tonſis, comptis, imberbibus.

*Athletis.* Pugilibus, qui pugno, vel nudo, vel armato cæſtu, inter ſe dimicant, & alter alterum dejicere nititur.

248. *Teſtudine.* Cithara, vocata eſt *teſtudo*, quia primùm e putamine teſtudinis confecta fuit, nervis ſuper inductis & extenſis.

Sardonyches : crispo numerantur pectine chordæ,
Quo tener Hedymeles operam dedit : hunc tenet, hoc se
Solatur, gratoque indulget basia plectro.
Quædam de numero Lamiarum, ac nominis alti,
Cum farre & vino Janum, Vestamque rogabat,
An Capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare, & fidibus promittere. Quid faceret plus,
Ægrotante viro ? Medicis quid tristibus erga
Filiolum ? Stetit ante aram, nec turpe putavit

*tharam comparabit gemmis ornatam ; feriet cytharæ fides egregio aliquo & pretioso plectro, quo usus fuerit Hedymeles ; illud non dimittit e manibus, osculatur, amplectitur. Mulier quædam nobilis, & e Lamiarum familia, Janum & Vestam, cùm illis farre & vino sacrificaret, interrogabat num Pollio citharœdus sperare posset se coronam e quercu reportaturum in certaminibus musicis, institutis in honorem Jovis Capitolini ; an hoc industriæ suæ & cytharæ præmium polliceri sibi posset. Quid aliud, amabo, faceret, si vir ipsius periculoso tentatus morbo jaceret ; aut quo majori argumento, quàm ejusmodi sacrificio, sollicitudinem suam significaret, si filii parvuli vita & valetudo foret a medicis deposita ? Stetit ante altare, ut vota*

249. *Sardonyches.* Sardonix est gemma, duarum aliarum colorem referens : nempe sardi, subrubrum ; & Onychis, subalbum : necnon distincta lineolis partim nigris, partim miniatis.

*Crispo.* Tremente, subsiliente.

*Numerantur.* Percurruntur, ordine tanguntur ac certâ lege.

*Pectine. Un archet :* dicitur pecten, quia dentibus quibusdam armatum olim erat : nunc ferè fit ex equinis setis oblongo bacillo & paululum incurvo impositis.

250. *Hedymeles.* Nomen cytharœdi, tunc noti : vel fictum ex ἡδὺς, *suavis*, & μέλος, *cantus.*

252. *Lamiarum.* Sat. IV, nota 151.

253. *Farre.* Far frumenti purioris genus.

*Janum.* Vide app. c. 1.

*Vestam.* Vide app. c. 1.

254. *Capitolinam quercum.* Domitianus, in Jovis honorem instituit certamen solenne triplex, musicum, equestre, & gymnicum ; quinto quoque anno celebrandum. Victoribus dabatur corona querna, quia quercus Jovi sacra.

*Pollio.* Citharœdus illustri illi matronæ adamatus.

256. *Medicis quid tristi-*

Pro cithara velare caput ; dictataque verba
Protulit ( ut mos est ) & apertâ palluit agnâ.
Dic mihi nunc, quæso, dic, antiquissime Divûm,
Respondes his, Jane pater ? Magna otia Cœli ;
Non est ( ut video ) non est, quid agatur apud vos.
Hæc de Comœdis te consulit, illa Tragœdum
Commendare volet ; varicosus fiet aruspex.
Sed cantet potiùs, quàm totam pervolet urbem
Audax, & cœtus possit quàm ferre virorum ;
Cumque paludatis ducibus, præsente marito,
Ipsa loqui. Novit quid toto fiat in orbe,
Quid Seres, quid Thraces agant : secreta novercæ,

*& preces pro cytharœdo conciperet ; nec erubuit, velato capite, verba solemnia & usitata quæ ipsi præibat haruspex, recitare : diductis agnæ, quam immolabat, extis, metum pavoremque præ se tulit, si quid in illis infaustum citharœdo portendi videretur. Jane pater, Superûm vetustissime, obsecro, an aurem ejusmodi votis præbes ? Si ita est, certè oportet vos in cœlo valde otiosos esse, neque gravioribus negotiis detineri. Aliæ de comœdorum, aliæ de tragœdorum ludis & successu te consulunt, & vota tibi eorum in gratiam faciunt : ipse haruspex, dum operatur tam multis ac diuturnis sacris, pedibus insistens, periculum est ne varicosus evadat. Quamquam, esto sanè, cantet, ludatque mulier, longè id satius ac tolerabilius est, quàm si totam concursèt civitatem insigni impudentiâ, & mediis se virorum cœtibus interponat, ubi multa turpiter aut stolidè deblateret. Nam exploratum habet quid orbe terrarum toto geratur : quid agatur apud Seras, Thracasve ; novercarum & mancipiorum arcana callet ; aliorum*

*bus.* Ob conclamatam puerùli salutem, de qua jam desperant.

258. *Velare caput.* Inter sacrificandum stabant, velato capite, ante aram, & conceptis verbis, præeunte haruspice, preces fundebant.

*Pro cithara.* Pro citharœdo vota facere, capite velato ; ex more.

264. *Varicosus.* Varices sunt venæ quædam majores in cruribus, quæ, ex nimia ferè standi mora, implentur vitioso sanguine.

*Haruspex.* Inspector victimarum. Sat. II, nota *Haruspice.*

267. *Paludatis.* Indutis Paludamento. Sagum erat, seu chlamys Imperatorum in acie.

269. *Seres.* Populi Scythiæ

Et pueri : quis amet, quis decipiatur adulter.
Inſtantem regi Armenio, Parthoque cometen
Prima videt : famam, rumoreſque illa recentes
Excipit ad portas : quoſdam facit iſſe Niphaten
In populos, magnoque illic cuncta arva teneri
Diluvio : nutare urbes, ſubſidere terras,
Quocumque in trivio, cuicumque eſt obvia narrat.
Nec tamen id vitium magis intolerabile, quàm quòd
Vicinos humiles rapere, & concidere loris
Exorata ſolet : nam ſi latratibus alti
Rumpuntur ſomni; fuſtes huc ocyus, inquit,

*amores, aliorum deluſas libidines. Prima deprehendit fulgentem in cœlo cometam, & Armeniorum Parthorumque Regi funeſtum aliquid portendentem : advolantem aliunde famam, & novellos rumores, occurrens ipſa pro portis urbis excipit. Narrat fluvium Niphaten prorupiſſe ultra ripas in regionem quamdam, quæ tota diluvio ingenti demerſa fuerit ; alibi urbes integras terræ motu labefactatas, alibi montes depreſſos, & æquatos ſolo : id paſſim in triviis, id omnibus quos habet obvios, denarrat. Eſt hoc illius vitium tamen ferendum leviter, ſi cum ejus immanitate comparetur, quæ tanta eſt, ut vicinos, humilis fortunæ homines ac loci, abripi jubeat, loriſque, licèt veniam deprecantes, lacerari. Nam ſi quis in vicinia canis, edito latratu, dormientem illam excitarit, continuò, Expedite fuſtes, exclamat ; iiſque vapulare do-*

Aſiaticæ prope Indos & Sinas, qui e molli lanugine foliis quarumdam arborum innaſcente, conficiunt lanam & vellera. Virg. II Georg. 121.

*Thraces.* Europæ populi ad Septentrionem Macedoniæ, ſupra Ægeum mare.

271. *Regi Armenio.* Armenia, pars eſt Aſiæ inter montes Taurum & Caucaſum ſita, & a Cappadocia ad Caſpium uſque mare pertinens, vocatur nunc *Ararath.*

*Parthoque.* Imperium Parthorum veterum ac Medorum Parthi obtinuere : qui olim inter Perſidem & Hircaniam habitabant.

*Cometen.* Cometæ, metum imperitæ plebeculæ incutiunt, quaſi funeſtum aliquid portenderent.

273. *Niphaten.* Fluvium Armeniæ, de qua facta eſt mentio ſuprà nota 271.

275. *Nutare urbes.* Terræ motu concuſſas.

279. *Exorata.* Cùm finit ſe exorari ut ne illos interficiat.

Afferte, atque illis dominum jubet antè feriri,
Deinde canem. Gravis occursu, teterrima vultu,
Balnea nocte subit: conchas, & castra moveri
Nocte jubet; magno gaudet sudare tumultu,
Cùm lassata gravi ceciderunt brachia massâ.
Convivæ miseri intereà, somnoque, fameque
Urgentur. Tandem illa venit rubicundula, totum
Œnophorum sitiens, plenâ quod tenditur urnâ
Admotum pedibus, de quo sextarius alter
Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexim,
Dum redit, & terram luto fecit intestino.
Marmoribus rivi properant, aut lata Falernum

*minum canis, deinde canem, jubet. Illius occursus metum incutit, adspectus ipse immanitatem spirat. Petit balnea nocte, & vasa in hunc usum apta, ceteramque supellectilem, haud secus ac si moveret castra, illuc deportari magno cum tumultu per tenebras imperat: nec minore strepitu in thermis sudorem provocat, plumbeâ massâ in aërem, donec brachia defatigentur, sæpius jactatâ. Interim convivæ illam domi exspectantes, fame ac somno cruciantur: ad extremum adest, ore inflammato, & sitientibus faucibus, adeo ut vas vinarium totum videatur exhaurire velle, quod ante ipsius pedes mero plenum, & urnam totam continens, statuitur. Ex eo sextarios duos ebibit ante ipsam cœnam, mox evomit, postquam illis stomachum abluit, ita maximam cibi appetentiam ad epulas affert. Dum sic potat, quantum bibit anguis, dolium plenum nactus, dum rursus vomit, conspergit vino Falerno stratum*

283. *Conchas.* Pelves factas in concharum morem.

285. *Gravi massa.* Qui balneo utebantur, solebant, ut sudorem faciliùs eliceret, plumbeas massas jactare, ex uno loco in alium transferre, &c.

288. *Œnophorum.* Vas vinarium.

*Tenditur.* Distenditur, refertum est.

289. *Sextarius.* Sexta pars Congii: uncias capiens 20.

290. *Orexim.* Cibi appetentiam.

291. *Redit.* Redditur vomitu, e stomacho pellitur. Consueverant crebro vomitu stomachum exonerare & purgare.

*Luto.* Participium est præteriti temporis ab antiquo verbo *luo*, unde composita, *eluo*, *abluo*, *diluo*, &c. pro, *lavo*.

Pelvis olet : nam sic tamquam alta in dolia longus
Deciderit serpens, bibit, & vomit. Ergo maritus
Nauseat, atque oculis bilem substringit opertis.
Illa tamen gravior, quæ cùm discumbere cœpit,
Laudat Virgilium, perituræ ignoscit Elisæ :
Committit vates, & comparat inde Maronem,
Atque aliâ parte in trutina suspendit Homerum.
Cedunt Grammatici, vincuntur Rhetores, omnis
Turba tacet; nec causidicus, nec præco loquatur,
Altera nec mulier; verborum tanta cadit vis.
Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas
Pulsari. Jam nemo tubas atque æra fatiget :
Una laboranti poterit succurrere Lunæ.

*marmore pavimentum, aut eodem pelvim subjectam implet, non sine odore gravissimo, quem nauseans maritus, oculisque nictantibus, ægrè fert, vixque sibi a vomitu temperat. Haud paulò tamen molestior est mulier, cùm in vino & mensâ laudes Virgilii persequitur, cùm excusat Didonem, quòd sibi necem ipsa consciverit : cùm poëtas inter se componit, atque hinc in una quasi trutinæ lance Virgilium, in altera Homerum collocans, uter utri sit præferendus disputat, tantâ verborum copiâ, tam garrulâ loquacitate, ut Grammaticos omnes Rhetoresque facilè vincat : silent quicumque adsunt : neque verò, si vocem vellent mittere, audirentur, licèt causidici mille, ac præcones verba facerent, aut alia quæpiam adesset mulier, tantam hæc una verborum copiam effundit, effutitque. Credas complures concuti pelves, & æra sonantia pererepare ; nec jam fuerit opus ad opem Lunæ deficienti ferendam, ut edantur inconditi strepitus personantibus tubis, aut æreis cacabis, crepitaculisque pulsatis ; una, quan-*

294. *Serpens.* Testatur Plinius, Lib. X, cap. 72, serpentes vinum præcipuè appetere.

297. *Elisæ.* Hoc Didonis proprium nomen fuit : Dido verò, cognomen. Vide Lib. IV Æneid.

298. *Committit.* Committi dicuntur gladiatores & componi, quando pares junguntur paribus, ut dimicent.

305. *Lunæ.* Ethnici putabant Lunam cùm deficeret, eclypsim pati propter incantationes veneficorum, quæ illam arte magicâ privarent luce, in terras devocarent, &c. Quare ut eas incantationes ne audiret, edebant

Imponit finem sapiens & rebus honestis.
Nam quæ docta nimis cupit & facunda videri,
Crure tenus medio tunicas succingere debet,
Cædere Sylvano porcum, quadrante lavari.
Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit, 310
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato
Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes:
Sed quædam ex libris & non intelligat. Odi
Hanc ego, quæ repetit, volvitque Palæmonis artem,

*tum satis erit, clamabit. Eadem sapientum ac philosophorum more, de virtute, de fine, quem spectare debeant honestæ actiones, differit. Quid restat, nisi ut, dum eloquentis & doctæ famam ac nomen ambit, tunicam, oratorum more, paulum infra genua demissam gerat; porcum, ut poëtæ, Sylvano immolet; quadrante denique persoluto, ut egentes philosophi, lavetur in balneis. Si me audis, cavebis ne tua uxor certo quodam loquendi genere ac stylo utatur, ne brevitatem ac robur sermonis, in quo crebra sunt enthymemata, usurpet; ne omnium historiarum seriem calleat: liceat illi aliquid in libris legendis nescire. Ferre illam ego non possum quæ a Palæmone tradita oratoriæ artis præcepta, recolit ac perdiscere studet; quæ le-*

inconditos strepitus, pulsatis æreis cacabis, & pelvibus.

308. *Crure tenus medio.* Quintilianus, Lib. XI, dum quænam esse debeant oratorum vestes, differit, *Tunicæ*, inquit, *prioribus oris infra genua paulum; posterioribus ad medios poplites usque perveniant. Nam infra, mulierum est; supra, Centurionum.*

309. *Sylvano.* Sylvarum hic Deus præses erat; illi porcus immolabatur. Nefas verò mulieribus erat adesse sacrificiis quæ in honorem Sylvani a rusticis fiebant. Colebatur etiam a Poëtis, qui sylvis, otio, & secessu gaudent.

*Quadrante.* Erat quadrans, quarta pars assis: hunc pauperes, & philosophi qui egentiorem & severiorem vitam profitebantur, solvebant vulgò balneatoribus.

312. *Palæmonis.* Q. Rhemnius Palæmon, sub Tiberio & Claudio Imperatoribus docuit rhetoricam Romæ; homo ineptè arrogans, qui diceret Musas secum natas, secum morituras esse.

314. *Antiquaria.* Qui antiqua & obsoleta vocabula sectantur, & inde captant

Servatâ semper lege, & ratione loquendi,
Ignotoſque mihi tenet antiquaria verſus,
Nec curanda viris opicæ caſtigat amicæ
Verba. Solœciſmum liceat feciſſe marito.
Nil non permittit mulier ſibi; turpe putat nil,
Cùm virides gemmas collo circumdedit, & cùm
Auribus extenſis magnos commiſit elenchos.
Intolerabilius nihil eſt, quàm femina dives.
Interea fœda aſpectu, ridendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana
Spirat; & hinc miſeri viſcantur labra mariti.
Ad mœchum veniet lotâ cute: quando videri

*ges omnes ac regulas exacti ſermonis obſervat inter loquendum, quæ nonnulla ignota mihi & obſoleta recinit carmina, antiquæ ac putidæ eruditionis ſtudio: quæ amicæ barbarè loquentis voces parum accuratas & emendatas corrigit, quas ipſi viri ſi proferant, nemo valde reprehendat. Detur hæc marito venia, ut poſſit impunè ſolœciſmum facere. Jam verò illæ mulieres quæ contexta e Smaragdis monilia, & pretioſas inaures geſtant, nihil nefas ſibi ducunt eſſe, & omnia pudoris repagula brevi perfringunt. Nihil eſt audacius, nihil proclivius ad omnem luxum feminâ locuplete. En ut vultum deformem ac ridiculum pane macerato incruſtat, & Poppæanis unguentis pingue quiddam & olidum ſpirantibus oblinit, quorum viſco mariti oſculantis labia inquinantur. Cùm domo prodibit ad mœchum aliquem, deterget illa unguenta,*

eruditionis antiquæ famam, antiquarii vocantur.

317. *Opicæ.* Indoctæ, barbarè loquentis. Sat. III, nota 192.

320. *Virides gemmas.* Ut ſmaragdos.

321. *Elenchos.* Elenchi vocantur gemmæ majores, oblongæ & in extremo turgidæ, inſtar pyrorum, Plin. Lib. IX, cap. 35. Ejuſmodi gemmas interdum plures auribus ſuis mulieres appendebant quo pondere protendebantur aures.

324. *Pane tumet facies.* Lege verſum 82, Sat. II.

*Poppæana.* Unguenta quædam & medicamenta inventa & uſurpata a Poppæa Sabina, Neronis uxore, ad curandam & poliendam faciem.

325. *Viſcantur.* Non enim abſtergere pinguia & olida ejuſmodi unguenta curat, quando eſt domi, quia viro parum ſatagit placere: abluit

Vult formosa domi? mœchis foliata parantur.
His emitur, quidquid graciles huc mittitis Indi.
Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit;
Incipit agnosci, atque ideo illo lacte fovetur,
Propter quod secum comites educit asellas,
Exsul hyperboreum si dimittatur ad axem.
Sed quæ mutatis inducitur, atque fovetur
Tot medicaminibus, coctæque siliginis offas

*& faciem lavabit : cùm verò domi versatur, num censes illam formæ valde studiosam esse? Unguenta e foliis nardi pretiosis confecta domi præparantur & reservantur adulteris, quorum in gratiam emuntur quæcumque ab ultima India Romam deportari solent. Cùm ad eos pervenit, tum denique ut agnoscatur, vultum retegit, crassioribus integumentis, quibus operiebatur, amotis; cutem lacte asinino mulcet ac linit; quod ut in promptu semper habeat, armentum asinarum semper deducit secum, etsi ad polum usque Septentrionalem in exsilium amandetur. Ego verò libenter quæsierim, an illa facies, quæ tot pigmentis tam sæpe mutatis, tot medicatis odoribus & unguentis curatur ac integitur, cui adhibentur tot candidissimi panis offæ modò coctæ, modò lacte madefactæ, utrum, inquam, illa fa-*

eadem quando est foris, cùm adulteros invisit.

227. *Mœchis.* Ut mœchis placeat mulier, exquisitis se perfundit odoribus, & nitidam se illis numquam non objicit, non ita verò studet viro placere.

*Foliata.* Confecta e foliis & spicis nardi, quæ est arbuscula bene olens, cujus cacumen in aristarum morem crescit: hinc *Nardinum unguentum spicatum* appellatur.

328. *Graciles.* Exiles, macilenti. Tales sunt ob æstum, quo exsiccantur corpora.

*Indi.* Hi sunt Asiæ populi valde Orientales, ab Indo fluvio dicti.

329. *Tectoria.* Fucum, cerussam, Tectorium propriè dicitur *calx*, aut *crusta*, quâ parietes obducuntur.

331. *Asellas.* Affirmat Plinius cutem erugari, ac tenerescere lacte asinino. Quam ob causam Poppæa, conjux Neronis, circumferebat secum Asinas quingentas, quarum e lacte balneum sibi conficiebat.

332. *Hyperboreum.* Subjectum Boreæ: vel, ultra Boreæ ipsius quasi domum & fines, positum.

334. *Siliginis.* Est siligo excellentis tritici genus, ex quo fit purissimus panis.

Accipit & madidæ; facies dicetur, an ulcus?
Eſt operæ pretium penitùs cognoſcere, toto
Quid faciant, agitentque die. Si nocte maritus
Averſus jacuit, periit libraria; ponunt
Coſmetæ tunicas, tardè veniſſe Liburnus
Dicitur, & pœnas alieni pendere ſomni
Cogitur: hic frangit ferulas, rubet ille flagellis,
Hic ſcuticâ. Sunt quæ tortoribus annua præſtent.
Verberat, atque obiter faciem linit; audit amicas,
Aut latum pictæ veſtis conſiderat aurum;
Et cædens longi relegit tranſacta diurni,
Et cædit, donec laſſis cædentibus, exi,
Intonet horrendum, jam cognitione peractâ.

*cies, an ulcus potiùs debeat appellari? Non erit alienum ab inſtituto exponere quibus diem totam occupationibus traducant. Si maritus per noctem averſo ab uxore vultu ſomnum cepit, eum ſibi iratum putans mulier, in familiam ſævit. Vapulat ancilla quæ res familiæ neceſſarias diſpenſat: ſervi qui operam ornandæ & comendæ navant, coguntur tunicas deponere, ut cædantur: lecticæ geſtator accuſatur, quòd domum ſeriùs redierit, ac pœnas dat ſomni parum commodè a marito capti. Hujus in tergo rumpuntur crebris ictibus ferulæ: illius ſcapulæ flagris, alterius humeri ſcuticis laniantur: immo etiam reperiuntur nonnullæ mulieres, quæ tortores annuâ mercede conducant. Dum ſic verberari famulos jubet, ipſa interim vultum fuco pingit, amicarum colloquiis aures præbet, veſtem auro intertextam contemplatur ac verſat, aut ephemerides, & diurnas ſervorum rationes recognoſcit: nec cædere tamen ceſſat, donec defatigatis lorariis, quaſi peracta cauſa, & abſoluto judicio, immani voce inclamat, Abi furcifer, faceſſe.*

338. *Libraria.* *L'Intendante.* Ancilla quæ adhibitâ librâ diſpenſabat res familiæ neceſſarias.

339. *Coſmetæ.* Græca vox: κοσμήτης, *ordinator, compoſitor*; a κοσμέω, *orno, como.*

*Liburnus.* Servus e Liburnia, Illyrici regione. Satir. III, nota 225.

345. *Tranſacta.* Res geſtas a ſervis totâ die.

*Diurni.* Codicis, in quo res per dies ſingulos geſtæ notantur; ſumptus, *v. g.* factî, &c.

Præfectura domûs Siculâ non mitior aulâ.
Nam si constituit, solitoque decentiùs optat
Ornari, & properat, jamque exspectatur in hortis,
Aut apud Isiacæ potiùs sacraria lenæ;
Componit crinem laceratis ipsa capillis,
Nuda humeros Pfecas infelix, nudisque mamillis.
Altior hic quare cincinnus? Taurea punit
Continuò flexi crimen, facinusque capilli.
Quid Pfecas admisit? Quænam est hic culpa puellæ,
Si tibi displicuit nasus tuus? Altera lævum

*Quis hanc domum, cui talis hera est præposita, Phalaridis Siciliæ Tyranni crudelissimi regiâ mitiorem putet? Si condixit in aliquem locum, si elegantiùs adornari cupit, ut eos properè conveniat, qui operiuntur ipsam in publicis hortis aut Isidis templo; statim adest, ejusque comam digerit Pfecas ancilla, tam festinanter, tam maturè jussa surgere, ut satis otii non habuerit ad componendos capillos, & vestes induendas. Cur iste cirrus nimium assurgit, inquit hera impotens? nec mora Taurinis nervis laceratur ancilla, & crimen peccantis comæ luit. Quid verò commeruit infelix puella, aut cujus est rea sceleris, si te invenustam esse doles? Naso tuo potiùs irascare, ac vultui, cujus deformitatem nulla satis comarum elegantia compensabit. Dum Pfecadem imperat laniari, altera puella sinistram capitis & capillorum partem explicat, pectit,*

348. *Siculâ aulâ.* Phalaris, Agrigentinorum in Sicilia Tyrannus, præmia novorum suppliciorum, quibus homines torquere posset, inventoribus proponebat. Perillus quidam artifex, ut ab eo gratiam iniret, æneum taurum conflavit, in quem homo cruciandus abderetur, & subjecto igne sensim torreretur. At primus omnium Perillus, jubente Phalaride, illo suo tauro inclusus periit.

351. *Isiacæ lenæ.* Isis, Ægyptiorum Dea, fuit filia Inachi Regis Argivorum, a Jove in vaccam, ut est in fabulis, mutata. Ejus templum Romæ visebatur prope Campum Martium & Tiberim. Eò conveniebant mœchi ad captandas conditiones. Quorum flagitiorum conciliatrix ipsa Isis, propter loci opportunitatem, hoc in versu dicitur.

352. *Laceratis.* Dissectis, incomptis, vel ab hera furente laniatis.

353. *Pfecas.* Nomen unius e Dianæ comitibus & ancillis, apud Ovid. Metam.

354. *Taurea.* Subaudi, *scutica*: facta scilicet e corio bubulo, *une étrivière.*

Extendit, pectitque comas, & volvit in orbem.
Est in consilio matrona, admotaque lanis
Emeritâ quæ cessat acu: sententia prima
Hujus erit; post hanc ætate, atque arte minores
Censebunt; tamquam famæ discrimen agatur
Aut animæ: tanta est quærendi cura decoris!
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput. Andromachen a fronte videbis:
Post minor est, aliam credas. Cedo, si breve parvi
Sortita est lateris spatium, breviorque videtur
Virgine Pygmæâ, nullis adjuta cothurnis.

*in varios annulos flectit; adhibetur in consilium ancilla quædam senior, quæ olim ad componendos acu crinali capillos adhibita, & vacationem hujus laboriosi muneris adepta, lanificium exercet. Hæc sententiam de capitis ornatu & comis prior dicet. Secundùm illam aliæ ætate & experientiâ inferiores pronuntiabunt, perinde ac si veniret in dubium fama, aut vita; tantum formæ ornatusque studium est! En quàm multis capillorum quasi substructionibus, ornat oneratque caput: si a fronte illam inspicias, putabis Andromachen: si a tergo, breviorem esse miraberis, aliam dices. Quid verò si staturam fuerit minorem nacta, si Pygmeæ puellæ par sit, ac nullis utatur ad staturam augendam, cothurnis, quàm tibi ridicula videbitur? Istæ porro corporis & capitis ornandi curæ nullum domesticis curis relinquunt locum: virum, & detrimento*

360. *Emerita acu.* Emeriti dicebantur milites, qui legitimum stipendiorum tempus confecerant: hinc metaphorâ dicitur ad significandos artifices quoslibet in arte aliqua diu, & cum laude versatos.

*Sententia prima, &c.* Quare prima dicet sententiam? Quia diu tractavit artem illam, atque adeo ceteris est peritior.

365. *Andromachen.* Fuit uxor Hectoris, procera mulier.

*A fronte.* Gall. *En face.*

366. *Cedo.* Particula hæc interrogationi familiari servit. Quid deinde? Age verò.

368. *Pygmæa.* Pygmæi, homines brevissimi, staturæ vix cubitalis, in Thracia, vel India fuisse perhibentur.

*Cothurnis.* Cothurnus est altior calceus quo utuntur actores tragœdiarum, *un patin, un brodequin.*

Nulla viri cura intereà, nec mentio fiet
Damnorum; vivit tamquam vicina mariti.
Hoc solò propior, quòd amicos conjugis odit
Et servos: gravis est rationibus. Ecce furentis
Bellonæ, matrisque Deûm chorus intrat: & ingens
Antistes, cui rauca cohors, cui tympana cedunt
Plebeia, & Phrygiâ vestitur bucca tiarâ.
Grande sonat, metuique jubet septembris, & Austri
Adventum, nisi se centum lustraverit ovis,
Et xerampelinas veteres donaverit ipsi;
Ut quidquid subiti, & magni discriminis instat,
In tunicas eat, & totum semel expiet annum.

*rei familiaris negligit: haud secùs domi versatur, ac si mariti vicina esset, non conjux; eo duntaxat nomine illi propior, quòd ejus amicos odio prosequitur & servos, quòd ejus fortunas imminuit sumptibus intempestivis, & damnosâ superstitione dilapidat. Ecce enim ingreditur illius domum turba sacerdotum Bellonæ & Cybeles, cui præest aliquis procerus antistes, Tiara redimitus, quem ceteri inferioris notæ sacrificuli reverentur & observant, & cui sua submittunt tympana. Ille vultu & voce ad terrorem composita, sinistrum aliquid eventurum mulieri denuntiat ineunte Septembri, & Australi vento flante, nisi se ovis centum expiaverit ad iram Superûm avertendam, atque illi ipsi antistiti vestes xerampelini coloris largiatur, ut quidquid ipsa periculi toto anno pertimescendum habet, illud detonet ac recidat in vestes. Eadem mediâ hyeme conferet se*

372. *Rationibus.* Liber rationum, *un livre de compte.* In eo libro apparent immanes sumptus quos uxor facit.

373. *Bellonæ.* Martis erat soror, belli præses.

*Matris Deûm.* Cybeles. Vide app. c. 2.

374. *Rauca cohors.* Sacerdotum Cybeles infima plebs, & multitudo, clamando & cursitando rauca.

375. *Phrygia Tiara.* Pilei sacri genus est, quo Persæ ac Phryges utebantur.

377. *Lustraverit.* Sat. II, nota 115.

*Ovis.* Oblatis & sacrificatis Bellonæ, aut Cybelæ: vel ipsi sacerdoti donatis: ova in lustrationibus, *id est*, piacularibus sacrificiis, adhiberemos erat.

378. *Xerampelinas vestes.* Gall. *Des robes couleur de feuille morte.*

380. *Expiet annum.* Placando superos donatis vestibus, ut mala omnia hoc anno eventura depellant.

Hybernum fractâ glacie descendet in amnem,
Ter matutino Tyberi mergetur, & ipsis
Vorticibus timidum caput abluet. Inde Superbi
Totum Regis agrum, nuda, ac tremebunda cruentis
Erepet genibus. Si candida jusserit Io,
Ibit ad Ægypti finem, calidasque petitas
A Meroe portabit aquas, ut spargat in æde
Isidis, antiquo quæ proxima surgit ovili;

*ad Tyberim glacie constrictum, ac mane ter in eum se immerget, superstitioso metu perculsa: inde campum Martium, quem olim Tarquinius Superbus possidebat, nudis pedibus, & offendiculo cruentatis trepidans emetietur. Si jubeat Io, in extremam usque Ægyptum proficiscetur, & aquas ab insula Meroë, quæ torridæ Zonæ vicina est, sumptas Romam deportabit, quibus templum ejusdem Isidis propinquum ovilibus, respergat; credit enim id sibi ab Iside in somnis*

383. *Timidum caput.* Vel quia feminæ sunt meticulosæ: vel quia superstitio ex inani & pravo Numinis metu proficisci solet.

*Superbi Regis.* Tarquinii Superbi. Ad eum campus ille & planities sub mœnibus Romæ posita pertinebat, quæ postea *campus Martius* dicta est, postquam Tarquinio Româ pulso, Marti consecrata fuit.

385. *Io.* Inachi, primi Argivorum, in Græcia, Regis filia, quam Jupiter mutasse in vaccam fertur. Eadem œstro ab Junone immisso agitata, varias orbis regiones peragravit, ac tandem in Ægyptum venit, ubi reddita humanæ formæ, culta est pro Dea, & *Isis* nuncupata.

387. *Meroë.* Insula est Nili, omnium, quæ eo fluvio ambiuntur, maxima.

*Æde Isidis.* Io, sive Isis, de qua proximè dictum, Romæ templum habuit prope campum Martium, cujus campi pars quædam dicebatur *ovile*, quia ibi greges Tarquinii olim pascebantur. Porro in sacris Isidis una e præcipuis cæremoniis hæc erat, ut aqua e Nilo petita, per ipsius templum spargeretur.

388. *Proxima surgit Ovili.* Prope eum locum *ubi Romulus & pastores assueverant pecora pascere; aut Regiam dicit Romuli & Palatium.* Quæ quidem ait vetus Scholiastes. Alii dicunt Tarquiniorum ovilia ibi fuisse; vel cum aliis intellige *Septa*, id est, loca in campo Martio tabulis circumcincta, ob similitudinem *Ovilia* dicta; in qui-

Credit enim ipſius dominæ ſe voce moneri.
En animam, & mentem, cum qua Dii nocte390
loquantur!
Ergo hic præcipuum, ſummumque meretur honorem,
Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo,
Plangentis populi currit deriſor Anubis.
Cùm dedit ille locum, cophino fœnoque relicto,

*imperari. Dignum ſcilicet caput nocturno Deorum colloquio & familiaritate! Eam ob rem inter illos præſtigiatores ſummo habetur in pretio, qui comitantibus aliis ſacerdotibus Iſidis, lineâ indutis veſte, & raſo vertice conſpicuis, vagatur, ut olim Anubis Apim quærens, & lugentem populum tacitus deridens. Cùm ille mulieris domo di-*

bus Populus Romanus ad ferenda ſuffragia claudebatur.

390. *En animam.* Accipi hoc poteſt tamquam dictum de ſuperſtitioſa muliere: porro, animâ vivimus, mente intelligimus.

392. *Linigero.* Sacerdotibus Iſidis nefas erat alias geſtare veſtes, quàm lineas: iidem radebant caput, maximè cum Apim quærebant.

393. *Anubis.* Ægyptiorum Dii præcipui fuere Oſiris Rex, ejuſque uxor Iſis: item Anubis, eorum vel filius, quem ut Deorum interpretem & ſuperos inter inferoſque nuntium colebant; vel potius ſtipator & ſatelles, qui Iſidem adjuvit in quærendis & colligendis mariti membris, a Tiphone fratre occiſi. Ejus fidelitatem ut adumbrarent Ægyptii, caninum illi caput impoſuerunt. Hinc *latrator Anubis*, a Virgilio appellatur VIII Æn. V, 698. Anubim hoc in Libro Vates appellat *ſacerdotem qui Apim quærit*, ut olim Anubis Oſiridis disjectos artus quæſivit: quique interpretis Deorum perſonam ſuſtinet.

*Plangentis populi, &c.* Oſiris, ut modò memoravi, Deus Ægyptiorum, Jovis filius ex Niobe Phoronei filia, ipſi Phoroneo ſucceſſit in regno Argivorum: idem poſtea in Ægyptum venit, Ægyptios docuit varias artes, ac præſertim terræ, bobus adhibitis, arandæ rationem. Eam ob cauſam cultus eſt poſt mortem ſub bovis forma, & *Apis*, ſive *Serapis* dictus, quâ voce *vitulum* Ægyptii appellant. Habebant autem vitulum certis notis inſignem, qui ubi obiiſſet, vel etiam poſt certos annos cæſus a ſacerdotibus fuiſſet, alius ab iiſdem feſtinantibus totâ Ægypto quærebatur grandi luctu.

394. *Cophino.* Corbe ſeu ciſtâ utebantur Judæi ad ſer-

395 Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, & magna Sacerdos
Arboris, ac ſummi fida internuntia Cœli.
Implet & illa manum, ſed parciùs, ære minuto.
Qualiacumque voles, Judæi ſomnia vendunt.
400 Spondet amatorem tenerum, vel divitis orbi
Teſtamentum ingens, calidæ pulmone columbæ
Tractato, Armenius, vel Comagenus haruſpex.
Pectora pullorum rimatur, & exta catelli,
Interdum & pueri: faciet quod deferat ipſe.
405 Chaldæis ſed major erit fiducia: quidquid

*greſſus eſt, Judæi legum Solymæarum interpretes, & in Aricina ſylva ſuis ſacris operari, ac Superum arcana mortalibus renuntiare ſoliti, accedunt, relictis fœno ſuo & corbe. Tum clam, atque in aurem mulieris inſuſurrantes, ſtipis aliquid corrogant; neque nihil corradunt illi; ſed multò minorem tamen quàm ſacerdotes Iſidis, quæſtum faciunt, nec aliud quidquam præter paucos ex ære nummulos auferunt. Quæcumque optaveris ſomnia, hæc tibi tamquam vera vendent Judæi. Haruſpex aliquis ex Armenia vel Comagena, poſtquam pulmonem columbæ recens mactatæ contrectavit, pollicetur mulieri optatas nuptias, vel divitis cujuſpiam ſine liberis demortui luculentam hereditatem. Scrutatur pullorum exta; & caniculi viſcera, nonnumquam & infantis, quem non dubitabit eam ob rem occidere, ac ſcelus admittere, cujus alium inſimulabit. At Chaldæis longè maximam feminæ adhibent fidem. Quod-*

vandam ſtipem ſibi erogatam: fœno & ſtramentis, ubi cubarent. Quaſi nihil haberent aliud ſupellectilis domeſticæ.

396. *Sacerdos arboris.* Judæi a Domitiano Româ pulſi receperant ſe in proximam ſylvam Aricinam: ibi ſua peragebant ſacrificia, conſulentibus reſponſa dabant, &c. Reſpicere videtur Juvenalis ſacerdotes Dodonæi nemoris. Erat Dodona civitas Epiri: prope illam nemus & templum Jovis, oraculumque vetuſtiſſimum: immo arbores ipſæ vocales conſulentibus oracula edere jactabantur.

402. *Armenius.* Armenia eſt pars Aſiæ, inter montes Taurum & Caucaſum: item Comagena, inter Ciciliam & Meſopotamiam.

404. *Quod deferat ipſe.* Poteſt hoc ita exponi: quod flagitium, ſi alius quiſpiam faceret, ipſe tamquam immane ſcelus accuſaret, ac judici denuntiaret.

405. *Chaldæis.* Populis A-

Dixerit aſtrologus, credent a fonte relatum
Ammonis; quoniam Delphis oracula ceſſant,
Et genus humanum damnat caligo futuri.
Præcipuus tamen eſt horum, qui ſæpiùs exſul,
Cujus amicitiâ, conducendâque tabellâ
Magnus civis obìt, & formidatus Othoni.
Inde fides arti, ſonuit ſi dextera ferro,
Lævaque ſi longo caſtrorum in carcere manſit.

*cumque pronuntiatum ab aſtrologo fuerit, ex ipſo Jovis Ammonis oraculo hauſtum credent. Jam enim oracula Delphica conticeſcunt, & ignoratione futurorum mortales ob ſua ſcelera plectuntur. Inter aſtrologos autem locum principem obtinet qui ſæpius exſilio multatus fuit, qui flagitioſis ſuis prædictionibus obrepſit in Principis amicitiam, & pretiosâ vaticinatione perfecit ut egregius ille civis, quem Otho metuebat, interficeretur. Tunc maximo aſtrologo, ejuſque arti creditur, ſi conjectus fuerit in vincula, ſi manus utraque ferreis manicis revincta; ſi diu verſatus ſit in caſtrenſi carcere. Nullus Mathematicus felix in divinando & auſpicatus habebitur, niſi fuerit ab aliquo judice condemnatus. Is demum numeris omnibus abſolutus eſſe*

ſiæ, qui Babyloniæ regionem obtinuerunt, & aſtrologiæ peritiſſimi habebantur.

407. *Ammonis.* Celebre fuit in Ægypto, Jovis Ammonis templum & oraculum.

*Delphis.* Delphi, urbs Græciæ prope Parnaſſum in Phocide: nunc vicus, *Delfo.* Ibi templum Apollinis longè celeberrimum fuit, & oraculum, quod Chriſto nato conticuit.

410. *Cujus, &c.* Otho inter Imperatores Romanos octavus fuit. Neroni cùm eſſet inviſus, ab eo in exſilium amandatus eſt. Mœrentem ac ſuis rebus deſperantem erexit Ptolemæus quidam, aſtrologus, affirmans fore ut Neroni eſſet ſuperſtes, ac rerum etiam potiretur. Quod reipsâ contigit, cùm magnus civis, nempe Sergius Galba, qui Neronem exceperat, ab Othone interfectus eſt.

*Conducendâque tabellâ.* Tabella *eſt* Charta, in qua ſcripſerat Ptolemæus, quid Othoni eſſet eventurum. Quæ *conducenda*, id eſt, magno pretio emenda erat ab Othone, ſiquidem Imperium ipſi portendebat.

413. *Caſtrorum carcere.* Solebant iſti Aſtrologi ducibus promittere victoriam: ac ſi fallerent, conjiciebantur in caſtrenſem carcerem, ubi luebant pœnas inſcitiæ ſuæ ac temeritatis.

Nemo mathematicus genium indemnatus habebit :
Sed qui penè perît, cui vix in Cyclada mitti
Contigit, & parvâ tandem caruisse Seripho.
Consulit ictericæ lento de funere matris,
Ante tamen de te, Tanaquil tua ; quando sororem
Efferat, & patruos ; an sit victurus adulter
Post ipsam. Quid enim majus dare numina possunt ?
Hæc tamen ignorat quid sidus triste minetur
Saturni ; quo læta Venus se proferat astro ;

*censebitur, qui vix capitis pœnam evolarit ; cui pro magno fuerit beneficio concessum, ut in aliquam Cycladum insulam exsul amandaretur, aut e Seripho, in quam fuerat relegatus, aliquando redire fineretur. Uxor tua, futuri cognoscendi non minus cupida, quàm prisca illa Tanaquil, astrologum interrogans de morte suæ matris morbo regio laborantis ac diutius quàm vellet vivacis ; de tua tamen morte priùs ex eodem percontatur an brevi sit eventura ; tum de sorore sciscitatur, ac patruis, quandonam rogo sint imponendi : num adulterum sit habitura superstitem ; hæc enim summa votorum, hoc tamquam maximum beneficium a Superis postulat. Tamen ista mulier astrologiæ est imperita, nec tenet quid infausium portendat inauspicata Saturni stella, cui astro juncta Venus oriatur felix*

415. *Cyclada.* Cyclades vocantur *insulæ minores*, fermè quinquaginta, in mari Ægeo, in orbem sitæ : κυκλὸς, *orbis, circulus.*

416. *Seripho.* Seriphus quæ est una Cycladum, angusta & sterilis est. Huc famosi exsules deportabantur.

417. *Ictericæ.* Ictericus, ἰκτερὸς Græca vox, morbum significans, qui a Gallis vocatur *la jaunisse.*

418. *Tanaquil.* Uxor Tarquinii Prisci, Regis Romanorum quinti : mulier proba & pudica, nonnihil tamen, ut apparet, astrologiæ dedita, quippe quæ viro suo Regnum augurata est.

419. *Efferat.* Efferre, verbum funebre est : ad rogum domo cadaver exportare.

422. *Saturni.* Saturnus, unus planetarum a terra distat longissimè : frigidum sidus & maleficum.

*Venus.* Inter planetas locum obtinet sextum, & circa solem volvitur cum Mercurio. Si cum Luna jungatur, salutare sidus est pueris nascentibus, ut ait Cicero, Lib. I, de Divinatione.

Qui menſis damno, quæ dentur tempora lucro.
Illius occurſus etiam vitare memento,
In cujus manibus ceu pinguia ſuccina tritas
Cernis ephemeridas; quæ nullum conſulit, & jam
Conſulitur; quæ caſtra viro, patriamque petente
Non ibit pariter, numeris revocata Thraſylli.
Ad primum lapidem vectari cùm placet, hora
Sumitur ex libro: ſi prurit fractus ocelli
Angulus, inſpectâ geneſi, collyria poſcit.
Ægra licet jaceat, capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, niſi quam dederit Petoſiris.

*& bene ominata : quinam inter menſes damnoſi & triſtes, quinam ad rem bene gerendam idonei ſint. Quantò illam igitur magis fugere, nec tantum illius colloquium, ſed ipſum etiam occurſum vitare debes, quæ artem hanc aliquo pacto callet? quæ ſemper habet in manibus diaria & perſcriptas ſiderum rationes computationeſque, uſu diuturno æquè tritas ac politas atque ſuccina : quæ nullum jam ipſa conſulit mathematicum, ſed quam alii, ut iſtius artis peritam, conſulunt : quæ virum proficiſcentem in caſtra vel in patriam, non ſequetur, affirmans prohiberi ſe mathematicis Thraſylli computationibus : immo, etſi breviſſimum ſit iter ſuſcipiendum, putà ſi uſque ad mille ab urbe paſſus geſtari libeat, hora itineri apta conſtituitur ex aliqua ephemeride : ſi oculus fricando proritatus, prurigine tentatur, non admovet collyria niſi ante horoſcopum ſuum in tabula aſtronomica ritè deſcriptum conſuluerit. Laborat morbo? non ſumet cibum, niſi certâ horâ quam Petoſiris*

423. *Qui menſis.* Certos dies menſeſque fauſtos & bene ominatos, alios infelices & malè ominatos eſſe cenſebant. Lege Virgil. I Georg. v. 276.

425. *Succina.* Succinum ſive electrum, *de l'ambre.*

428. *Numeris.* Obſervationes ſiderum maximè conſtant certis computationibus.

*Thraſylli.* Mathematici celeberrimi, & Tiberio cariſſimi.

429. *Lapidem primum.* Romani ſolebant ſingula paſſuum millia ſeu milliaria, ſingulis lapidibus notare, quos in viis publicis collocabant : initio ducto ab urbe, in cujus foro extabat ingens columna aurata, in qua notatæ viſebantur omnes viæ, quæque milliarium aureum vocabatur.

431. *Geneſi.* Hora natali.

433. *Petoſiris.* Inſignis aſtrologus, de quo meminit

Si mediocris erit, ſpatium luſtrabit utrumque
Metarum, & ſortes ducet; frontemque, manumque
Præbebit vati crebrum poppyſma roganti.
Divitibus reſponſa dabit Phryx augur, & Indus
Conductus, dabit, aſtrorum mundique peritus:
Atque aliquis ſenior, qui publica fulgura condit.
Plebeium in Circo poſitum eſt, & in aggere fatum.
Quæ nullis longum oſtendit cervicibus aurum,

*ediderit. Sin erit mulier mediocris conditionis, circum adibit, & metas hinc inde pererrabit; ibique oblatas ab aliquo hariolo & circulatore ſortes educet e ciſta: frontem inſpiciendam ac manum dabit vati, dextram ejus pertractandam & examinandam non ſine blanditiis & arte veteratoria poſtulanti. Locupletes feminæ conſulent augurem aliquem Phrygem, aut Indum, magno pretio comparatum, & in ſideribus pernoſcendis exercitatum, aut aliquem denum ſenem ex illis ſacerdotibus qui adhibentur ad publica fulmina procuranda, & humo condenda. Plebs ab illis vatibus ſua fata diſcit qui verſantur in Circo & in aggere Tarquinii; & feminæ ignobiles, quæ nullos aureos torques e collo ſuſpenſos geſtant, ante ligneas illas quæ ſunt*

Plin. Lib. VII, cujus e libris & placitis cibum illa mulier ſumit.

434. *Spatium metarum.* In extremo Circo erant metæ lapideæ quas circumibant currus ſepties. Prope illas metas hinc & inde conſiſtebant harioli & præſtigiatores: quos vulgus conſulebat. Poteſt exponi ſpatium *utrumque metarum* de ſpatio toto quo a carceribus ibatur ad metas.

437. *Phryx.* Eſt Phrygia, pars Aſiæ minoris.

*Augur.* Qui ex avium cantu futura prædicit.

439. *Publica fulgura.* Aliquam calamitatem publicam ſignificantia.

*Condit.* Cùm fulmen cecidérat aliquem in locum, ibi victimæ immolabantur, vulgò bidentes, a quibus idem ille locus *bidental* vocabatur: tum parietinâ ſpatium illud claudebatur, ac nefas erat eo pedem inferre. Denique res ictæ fulmine & ambuſtæ, in unum colligebantur, ac tacitâ quâdam prece humo defodiebantur. Sic fulmina dicebantur condi: Lucanus: *Diſperſos fulminis ignes colligit, & terræ tacito cum murmure condit.*

440. *In Circo.* Sat. III, nota 208.

*Aggere.* Sat. V, nota 153.

441. *Nullis cervicibus oſtendit.* Pro, *nullo modo oſtendit in cervice*: nullâ parte colli geſtat.

Consulit ante Phalas, delphinorumque columnas:
An saga vendenti nubat, caupone relicto.
Hæ tamen & partûs subeunt discrimen, & omnes
Nutricis tolerant, fortunâ urgente, labores.
Sed jacet aurato vix ulla puerpera lecto:
Tantùm artes hujus, tantùm medicamina possunt,
Quæ steriles facit, atque homines in ventre necandos
Conducit. Gaude infelix, atque ipse bibendum
Porrige quidquid erit: nam si distendere vellet,
Et vexare uterum pueris salientibus, esses
Æthiopis fortasse pater: mox decolor heres
Impleret tabulas, numquam tibi mane videndus.

*in circo turres, & columnas marmoreas ibidem collocatas, Delphinis in summo impositis ornatas, interrogant aliquem ex illis proletariis fatorum interpretibus, num potius nubant viro sagorum venditori, quàm Cauponi. Hæ tamen partûs labores ac pericula perferunt, & molestias nutriendorum infantium suscipiunt inopiâ coactæ: at nobilem feminam & divitem, quæ fœtus vivos in lucem edat, vix ullam jacentem in lecto, ubi revera pepererit, invenies. Adeo præsentia sunt veneficarum pharmaca, quæ aut sterilitatem feminis conciliant, aut eorum liberos in alvo materna interficiendos pactâ mercede suscipiunt. Tu verò, infelix marite, actum præclarè tecum puta, & qualecumque sit poculum, quod abortum inferet, porrige uxori tuæ: si enim impleri alvum fœtu maturo pateretur, uterumque ferre vellet, pareret tibi fortasse Æthiopem: & deformis infans, quam mane obvium habere, tamquam omen si-*

442. *Consulit.* Nempe astrologum, & ab eo quærit, utri e duobus quibusdam viris nubat.

*Ante Phalas.* Phalæ, sive ut quidam scribunt, *falæ*, sunt *turres ligneæ*, *tabulata quædam* & *pegmata*, in Circo posita, unde spectabantur ludi.

443. *Saga.* Sagum est *vestis militaris.*

444. *Discrimen.* Feminæ parientes magnum vitæ periculum persæpe adeunt.

451. *Pueris salientibus.* Commovent se pueri nonnumquam in matrum utero, non sine ipsarum gravi molestia.

453. *Mane videndus.* Erat hæc veterum superstitio, ut quælibet res fœda, mane visa, mali effet ominis, & propterea diem totam in-

Transeo suppositos, & gaudia, votaque sæpe
Ad spurcos decepta lacus, atque inde petitos
Pontifices Salios, Scaurorum nomina falso
Corpore laturos. Stat Fortuna improba noctu
Arridens nudis infantibus; hos fovet omnes,
Involvitque sinu: domibus tunc porrigit altis,
Secretumque sibi mimum parat: hos amat, his se
Ingerit, utque suos ridens producit alumnos.
Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit
Philtra, quibus valeant mentem vexare mariti,
Et soleâ pulsare nates. Quod desipis, inde est;

*nistrum, nolles, tibi scribendus heres in testamento foret. Sileo partus supposititios, non dico quàm sæpe mulieres pro legitimo filio, quem ipsarum viri natum sibi & optabant & gaudebant, spurium fœtum e lacu Velabrensi accipiant, spemque maritorum & vota turpiter deludant: ex hoc lacu sæpè assumuntur infantes noti, qui, cùm adoleverint, in Pontificum Saliorum collegium adoptentur, & Scaurorum nomina falsò gerant. Adest per noctem Fortuna cæca, projectis infantibus blandiens, eos complectitur gremio, nobilium in domos introducit, adornatque comœdiam, unde sibi risum ipsa quærat: illis dona sua largitur affatim, & in orbis terræ theatrum, ut suos filios, producit, jocari sic ac ludere gestiens. Porrò ex illis, quos feminæ consulunt, præstigiatoribus, alius incantationes, alius etiam amatoria vendit pocula, quibus possint viros de statu mentis ac sanitate dejicere, & eos per indignissimam contumeliam sandalio verberare. Hæc est illa tuæ*

faustam inauspicatamque centerent.

455. *Spurcos lacus.* Erat in urbe lacus Velabrensis, ita dictus a *Velabro*, urbis regione: cœnosus, ob viarum sordes eò derivari solitas: ibi meretrices deponebant & adjiciebant spurios partus.

*Decepta.* Desumpta ab uxoribus decipientibus maritos simulato partu.

456. *Salios.* Erant Salii sacerdotes Martis, a *saliendo* sic appellati; quia certis anni temporibus saltationem quamdam obibant Romæ in honorem Martis.

*Scaurorum.* Sat. II, nota 19.

457. *Improba.* Pervicax, ridicula, jocosa.

462. *Thessala.* In Thessalia, Græciæ regione, crebri erant venefici, necnon herbæ venenatæ.

Inde

Inde animi caligo, & magna oblivio rerum,
Quas modò geſſiſti: tamen hoc tolerabile, ſi non
Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Cæſonia pulli
Infudit. Quæ non faciet, quod Principis uxor?
Ardebant cuncta, & fractâ compage ruebant;
Non aliter, quàm ſi feciſſet Juno maritum
Inſanum. Minùs ergo nocens erit Agrippinæ
Boletus: ſi quidem unius præcordia preſſit
Ille ſenis, tremulumque caput deſcendere juſſit
In cœlum, & longam manantia labra ſalivam.

*inſaniæ cauſa, infelix marite, hinc illæ tenebræ offuſæ ſunt tuæ menti, ita ut ea quæ modò feciſti, obliviſcaris. Quamquam hoc ferendum, ſi non & furore corripiaris, ut Caligula, cujus in poculum Cæſonia uxor infudit totam illam, quæ in fronte pulli equini recèns nati conſpicitur, caruncalam. Quæ mulier privatæ mediocriſque fortunæ, facere dubitabit, quod facit Auguſta? Reſpublica quaſi communi incendio deflagrabat, & ſolutis fractiſque veluti compagibus præceps in exitium ruebat orbis, imperante Caligula, non ſecus ac ſi Juno Jovem ad inſaniam adegiſſet. Minus igitur Agrippina peſtifero ſuo boleto peccavit, quàm hæc ſuâ veneficâ potione Cæſonia. Boletus enim ille ſenem unum capite tremulo, & ſpumante rictu deformem extinxit, & cœlo conſecravit: at iſto poculo*

467. *Avunculus Neronis.* Caligula, Romanorum Imperator quartus, cujus ſoror Agrippina, fuit Neronis mater.

468. *Frontem pulli.* In equorum recèns natorum fronte exſtat caruncula, quod Hippomanes vocant. Hæc valere dicitur ad amorem conciliandum. Illam totam infudit poculo Cæſonia, Caligulæ uxor, ut ejus amorem in ſeipſam accenderet, verùm hauſta ejuſmodi potione, Caligula in furorem verſus, rempublicam dirè vexavit.

*Tremuli.* Adhuc vacillantis, nondum inſiſtere pedibus valentis, recèns ex alvo materna fuſi.

471. *Non aliter, &c.* Jove enim, qui omnia gubernat, inſaniente, cetera peſſum ire neceſſe foret.

473. *Boletus.* Sat. V, nota 147.

474. *Senis.* Eâdem Sat. V, nota *Claudius.*

475. *In cœlum deſcendere.* Cæſares poſt obitum conſe-

Hæc poscit ferrum atque ignes, hæc potio torquet;
Hæc lacerat mistos Equitum cum sanguine Patres.
Tanti partus equæ, tanti una venefica constat.
Oderunt natos de pellice, nemo repugnet,
Nemo vetet: jam jam privignum occidere fas est.
Vos ego, pupilli, moneo, quibus amplior est res,
Custodite animas, & nulli credite mensæ:
Livida materno fervent adipata veneno.
Mordeat antè aliquis, quicquid porrexerit illa
Quæ peperit: timidus prægustet pocula pappas.
Fingimus hæc, altum Satirâ sumente cothurnum
Scilicet; & finem egressi, legemque priorum,
Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu

*teterrimo versus in furorem Caligula flammas ac tela, quibus in homines sæviret, postulabat; Senatum & Equestrem ordinem tristissimâ carnificinâ laniabat. En pretium, quo unum Hippomanes emitur, una venefica conducitur! oderint filios per me licet, quos ex aliqua pellice maritus ipsarum susceperit, hoc illis concedatur: prope jam iisdem impune licet virorum filios, ex alia legitima uxore susceptos interficere: at suis ipsarum filiis parcant. Ego verò vos esse monitos volo, pupilli, quibus opes solito majores obtigerunt, ut vitæ vestræ consulatis, neque oblatas promiscuè dapes attingatis. Illa, quæ cernitis pallido colore suffusa fercula, pinguia in speciem & probè condita, venenum a vestris matribus immixtum tegunt. Auctor igitur vobis sum, ut cibos, quoscumque mater vobis obtulerit, aliquis antè degustet, ac senex sapiens & amicus pateras non sine timore primoribus labris delibet. Erunt fortasse qui putent, monstra hæc scelerum a nobis fingi, nosque tragico more, instar Sophoclis alicujus, declama-*

crabantur, & inter Divos referebantur insigni pompâ. Ceteri mortales in inferos aut Elysium descendebant: Cæsares in cœlum.

*Manantia.* Stillantia.

481. *Pupilli.* Sic vocantur *pueri minores ann.* 14, qui sunt in tutoris potestate.

485. *Pappas.* Vox antiqua, *patrem* seu *natu grandiorem virum* & *veneratione dignum*, sonans; altor, tutorque pueri.

486. *Cothurnum.* Suprà nota *Cothurnis*, v. 368.

488. *Sophocleo.* Sophocles Athenienſis, poëta tragicus.

*Bacchamur.* Bacchari, *est furere*: ferri eo impetu quo

Montibus ignotum Rutulis, cœloque Latino.
Nos utinam vani! sed clamat Pontia, Feci,
Confiteor, puerisque meis aconita paravi,
Quæ deprensa patent; facinus tamen ipsa peregi.
Tune duos unâ sævissima vipera cœnâ?
Tune duos? Septem, si septem fortè fuissent.
Credamus Tragicis, quidquid de Colchide torva
Dicitur, & Progne. Nil contrà conor: & illæ
Grandia monstra suis audebant temporibus; sed
Non propter nummos. Minor admiratio summis
Debetur monstris, quoties facit ira nocentem
Hunc sexum; & rabie jecur incendente, feruntur
Præcipites: ut saxa jugis abrupta, quibus mons

*re, ac nullâ ratione habitâ terminorum, intra quos Satirici veteres consistebant, flagitia Romanis ignota, nec in Latio umquam visa magno ore & cothurnato stylo describere. Utinam verò ista fingeremus! sed ecce Pontia palàm & apertè se hæc feciſſe prædicat. A me, inquit, venenum liberis meis propinatum: deprehensum est crimen, constat, neque ipsa illud dubito confiteri. Duos tu filios crudelis vipera unâ cœnâ sustulisti! Tu duos, inquam? immo septem, si septem ex me nati essent. Jam nihil est tam incredibile, a Tragicis vatibus, de Medea, de Progne cantatum, cui fidem ego abrogem. Equidem non diffiteor ab ejusmodi feminis in theatrum sæpe productis, ævo suo edita fuisse monstrorum simillima scelera; nihilominus eò adductæ non sunt lucri & nummorum causâ: minus habent admirationis immania facinora, quoties ab ira percitis mulieribus admittuntur: furore incensa mulier præceps rapitur saxi ritu, quod a monte sensim divulsum, & diu pendu-*

Bacchantes & Mænades solent.

489. *Rutulis.* Rutuli populus Italiæ veteris.

490. *Pontia.* Romana quædam mulier, tunc nota. Vectii Bolani uxor, geminam prolem veneno sustulisse convicta.

491. *Aconita.* Sat. I. n. 143.

493. *Colchide.* Sic vocatur *Medea*, quia oriunda erat e Colchide, minoris Asiæ regione: & Æetæ Regis Colchorum filia.

496. *Progne.* Pandionis Athenarum regis filia, quæ ut vindicaret illatam Philomelæ sorori suæ a Tereo, marito suo, Rege Thraciæ, injuriam, susceptum e Tereo filium Ityn eidem epulandum apposuit.

Subtrahitur, clivoque latus pendente recedit.
Illam ego non tulerim, quæ computat, & scelus ingens
Sana facit. Spectant subeuntem fata mariti
Alceſtim, & ſimilis ſi permutatio detur,
Morte viri cupiant animam ſervare catellæ.
Occurrent multæ tibi Belides, atque Eriphylæ,
Mane Clytemneſtram nullus non vicus habebit.
Hoc tantum refert, quòd Tyndaris illa bipennem
Inſulſam, & fatuam dextrâ lævâque tenebat:
At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ;

*lum, denique abrumpitur & proruit. Illam longè nocentiorem puto, quæ rationes perficiendi ſceleris ſubducit ſecum, & prudens ſcienſque, ſcelere ſe obſtringit. Alceſtim quæ mortem obire loco mariti non dubitavit, placidè conſiderant, ac ſi qua ſe offerat occaſio ſimilis permutationis, mori virum ſuum, quam caniculam aliquam, malint. Ubivis Belidas complures & Eriphylas reperies. Cras, ſi lubet, percurre vicatim urbem primâ luce, nullus erit vicus in quo aliqua Clytemneſtra non ſit. Hoc unum eſt inter illam noſtraſque diſcrimen, quod illa Tyndari filia, bipennem in manus ad maritum enecandum ſumpſerit, parum ſubtiliter & acutè; Romanæ uxores negotium confi-*

504. *Sana.* Suî compos.

*Spectant.* Nempe cùm hæc tragœdia in theatro exhibetur. Ab Euripide olim edita eſt.

505. *Alceſtim.* Fuit Alceſtis uxor Admeti Theſſaliæ Regis; qui cùm gravi laboraret morbo, & oraculo reſponſum eſſet ipſum extinctum iri, niſi aliquis pro eo mortem ſponte obiret; Alceſtis mariti vitam ſuâ morte redimere non recuſavit.

507. *Belides.* Danai filias 50, quæ viros poſt nuptiales epulas interfecerunt. Sola Hypermneſtra Lynceo viro ſuo pepercit. Belides vocantur a Belo Danai patre.

*Eriphylæ.* Amphiaraïs vates Argius cùm ſe in bello Thebano, quod ejus affinis Adraſtus movebat, perituram cognoviſſet, tamdiu latuit dum ab uxore ſua Eryphila, ſorore Adraſti, detegeretur, quæ aureo monili corrupta, virum indicavit.

508. *Clytemneſtram.* Uxorem Agamemnonis, quæ, ſuadente Ægyſtho adultero, virum e bello Trojano reverſum interfecit.

509. *Tyndaris.* Clytemneſtra, Tyndari filia.

511. *Rubetæ.* Sat. I, nota 56.

Sed tamen & ferro, si prægustaret Atrides
Pontica ter victi cautus medicamina Regis.

*ciant unico rubetæ pulmone : paratæ nihilominus rem agere ferro, si earum conjux Regem Ponti ter a nobis victum imitatus, antidotis contra veneni vim improvisam prudenter uteretur.*

512. *Atrides.* Agamemnon, Atrei filius. Sic appellat *virum Romanæ mulieris*, ab ea videlicet perimendum quemadmodum Clytemnestra suum Agamemnonem interemit.

513. *Pontica medicamina.* Antidota, quæ Rex Ponti Mithridates sumere consueverat.

*Ter victi.* Primùm victus est a Sylla, deinde a Lucullo, demum a Pompeio.

# SATIRA VII.

## ARGUMENTUM ET SYNOPSIS.

*Litteras Romæ neglectas dolet, eruditosque in contemptu & egestate consenescere, Poëtas primùm, deinde Historicos, tum Causidicos, postea Rhetores, ipsos denique Grammaticos, quorum omnium singillatim conditionem miserrimam describit.*

Et spes, & ratio studiorum in Cæsare tantùm.
Solus enim tristes hac tempestate Camœnas
Respexit, cùm jam celebres, notique poëtæ

*Viri litteris dediti nullam habent spem utilitatis alicujus e suis laboribus capiendæ, nullam, cur incumbant in studia, rationem, nisi in Imperatoris benevolentia & liberalitate sitam. Unus ille Musas, hac ætate contemptas miseratus, earum inopiam ac solitudinem sublevavit, cùm jam clarissimi poëtæ meditarentur dare operam, certa mer-*

1 *Cæsare.* Domitiano, non autem Trajano, ut censet Britannicus.

Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos
Tentarent; nec fœdum alii, nec turpe putarent
Præcones fieri; cùm, desertis Aganipes
Vallibus, esuriens migraret in atria Clio.
Nam si Pieriâ quadrans tibi nullus in arca
Ostendatur, ames nomen, victumque Machæræ,
Et vendas potiùs, commissa quod auctio vendit
Stantibus, œnophorum, tripodes, armaria, cistas,

*cede pactâ, calefaciendis Romæ furnis, aut artem balneatoriam Gabiis exercere: immo nequaquam indignum putarent, si fierent præcones: cùm ipsa Clio, fame premente, amœnas, quibus fons Aganippe cingitur, valles relinquere, & in divitum domos urbanas recipere se cogeretur. Et verò si ex improbo, quem in litteris collocas labore ne teruncius quidem tibi redit in crumenam; quid dubites nomen inter præcones, ut Machæra, profiteri, & eodem atque ille modo quæstum facere? Præstat sanè circumstanti populo ea divendere, quæ auctione constituta vendi solent, vinaria vasa, tripodes, capsas, armaria, libros, tragœ-*

4. *Gabiis.* Gabii, urbicula Italiæ, in via Prænestina.

*Furnos.* Ut alienum coquerent panem, eoque modo quæstum facerent.

6. *Præcones.* Eorum erat munus rerum pretia in auctionibus indicare; reos in judicio citare, edicta magistratuum publicè pronuntiare, populum summovere, &c.

*Aganippes.* Aganippe, fons in Bœotia, Musis sacer.

7. *Clio.* Musarum una pro poëtis & eruditis quibuslibet accipitur, qui relictis ob egestatem Parnasso & fontibus Apollini sacris, in atria nobilium commigrant, ut illis famulentur, ut atrium custodiant, ut sportulam accipiant. Vid. Sat. I.

8. *Pieria.* Pierus, mons est Thessaliæ, in quo Musas natas volunt. Est item Pieria ejusdem Græciæ regio.

*Quadrans.* Est quarta pars assis: tres unciæ.

10. *Auctio.* Est publica venditio certarum rerum, quæ illi addicuntur, qui earum pretium unus omnium maximè auxerit, obtuleritque.

11. *Œnophorum.* Vas vinarium.

*Tripodes.* Mensas tribus fultas pedibus, vel ænea quædam aut ferrea instrumenta, quibus impositi lebetes calefiant.

*Armaria.* Scrinia, loculos, *des armoires.*

Halcyonen Bacchi, Thebas & Terea Fausti:
Hoc satius, quàm si dicas sub judice, vidi,
Quod non vidisti. Faciant Equites Asiani
Quamquam, & Cappadoces faciant, Equitesque
Bithyni,
Altera quos nudo traducit Gallia talo.
Nemo tamen studiis indignum ferre laborem
Cogetur posthac, nectit quicumque canoris
Eloquium vocale modis, laurumque momordit.

*diam quæ Halcyone inscribitur, a Baccho scriptam, vel Tereum, a Fausto compositam: præstat, inquam, hac arte vitam tolerare, quàm facere quæstum dicendo falsum testimonium, & affirmando rem a te visam esse, quæ visa non sit: quamvis hoc illis Equitibus, qui ex Asia, Cappadocia, Bithynia, & Gallo-græcia nudis pedibus Romam commigrant, usitatum & solenne sit. Ceterum neminem in posterum ex iis qui ad poësim animum applicant, egestas coget ad artes sordidas & ipsis indignas descendere. Macti*

12. *Halcyonen.* Proditum fabulis est Halcyonen fuisse uxorem Ceycis Regis Thrachiniæ: qui cùm naufragio periisset, cadaver ejectum in littus uxor adspiciens, in mare se dejecit: ambo in aviculas conversi, quæ medio in mari congerunt. Ovid. XI Metam.

*Thebas.* Thebæ, urbs Græciæ, in Bœotia. Ejus Rex olim fuit Laius, quem filius Œdipus imprudens interemit; idem Jocastam matrem suam ignarus duxit. Quod ubi resciv it, ipse sibi eruit oculos: ex eo nati Etheocles & Polynices mutuis se vulneribus peremerunt. Materia fabularum dives.

*Terea.* Tereus Thraciæ Rex, maritus prognes.

14. *Equites.* Servi venales, ex Asia deportati, qui malis artibus opes & equestrem locum censumque obtinebant.

15. *Cappadoces, &c.* Cappadocia, pars Asiæ minoris: item Bithynia, & Gallo-græcia, e quibus regionibus mancipia vulgò Romam advecta.

16. *Altera Gallia.* Galatia vocatur, seu *Gallo-græcia*, Provincia est minoris Asiæ, inter Cappadociam & Bithyniam.

*Nudo talo.* Sine calceis, ob egestatem.

*Traducit.* Transportat, transvehit. Traducere, est etiam, *ad ignominiam circumducere.*

19. *Laurum momordit.* Qui lauri folia dentibus tereret, eum putabant afflari poëtico spiritu.

Hoc agite, o juvenes: circumspicit, & stimulat vos,
Materiamque sibi Ducis indulgentia quærit.
Si qua aliunde putas rerum exspectanda tuarum
Præsidia, atque ideo croceæ membrana tabellæ
Impletur; lignorum aliquid posce ocyus, & quæ
Componis, dona Veneris, Telesine, marito:
Aut clude, & positos tineâ pertunde libellos.
Frange miser calamos, vigilataque prælia dele,
Qui facis in parvâ sublimia carmina cellâ,
Ut dignus venias hederis, & imagine macrâ.

*animis, eruditi adolescentes; en Princeps munificentissimus considerat singulos, & acuit ad præclarum laborem, nihilque habet optatius quàm ut aliquos reperiat idoneos in quibus remunerandis suam liberalitatem promat. Si quid opis ac mercedis ab alio exspectas, Telesine, & eâ spe ad scribendum inductus, versibus libros comples, falleris, auctorque tibi sum, ut ignem quamprimùm excites, & carmina, librosque tuos Vulcano dones, vel certè in scrinio clausos abditosque, tineis absumendos dedas. Potes jam, scriptor infelix, qui angusto in museo præclara condis carmina, ut coronam sterilem ex hedera merearis, aut macilentam imaginem, potes inquam, calamos frangere, & bellorum egregias descriptiones tot vigiliis elaboratas*

21. *Ducis.* Domitiani.

23. *Croceæ, &c.* Carmina elaborata & emendata perscribebant in membranis, quarum pars interior, candida & polita; pars exterior, abrasis pilis croceo colore, aut purpureo, &c. pingebatur.

*Tabellæ.* Membranas interdum involvebant circa teretem baculum, aliquando dividebant in folia, & tabellis cedrinis, pro *tegmine*, muniebant.

25. *Marito Veneris.* Vulcano. Igni.

*Telesine.* Amicum poëtam alloquitur.

26. *Clude.* Vox antiqua, pro *claude.*

*Pertunde.* Perfora, perforari patere. Tineæ, & blattæ vermiculi sunt, librorum pestes.

29. *Hederis.* Hederis poëtæ coronabantur, quia sunt in tutela Bacchi, cui sacra hedera. Tum eadem semper viret, gloriamque immortalem sic adumbrat ac famam, quam poëtica cultoribus suis parit. Denique fumos vini discutere dicitur: vinosi autem poëtæ.

*Imagine.* Imagines & statuæ poëtarum bonorum po-

Spes nulla ulterior: didicit jam dives avarus
Tantùm admirari, tantùm laudare disertos,
Ut pueri Junonis avem. Sed defluit ætas
Et pelagi patiens, & cassidis, atque ligonis.
Tædia tunc subeunt animos, tunc seque, suamque
Terpsichoren odit facunda, & nuda senectus.
Accipe nunc artes, ne quid tibi conferat iste
Quem colis, & Musarum, & Apollinis æde relictâ.
Ipse facit versus, atque uni cedit Homero
Propter mille annos. At si dulcedine famæ
Succensus recites, Maculonus commodat ædes;
Ac longè ferrata domus servire jubetur,

*delere. Nihil est omnino quod præter hederas & imaginem speres, nullus quem ex eruditis laboribus consequare, fructus. Nostri divites, in opibus congerendis retinendisque toti; viros eloquentes ac peritos admiratione suâ duntaxat ornare, laudibusque norunt, sicut pueri pavonem solent. Interim conteritur in scribendo vitæ pars melior, abit juventus quæ navigando, militando, agris colendis, utiliter exerceri potuisset, senectus obrepit, ac demum poëta præstantissimus inopiâ & mœrore confectus, se ac suas Musas diris devovet. Sed operæ pretium est animadvertere quibus artibus utatur ille dives patronus, quem relictis Musis Phœboque, tamquam numen omni Apolline præsentius, adoras, ne quid largiri tibi cogatur. Ipse carmina quoque producit, nec poëtam ullum se præstantiorem putat, nisi fortè Homerum, cui palmam idcirco tantùm defert ac priorem locum, quòd mille annis vetustior sit. Jam, si famam in vulgus capiens tua carmina publicè recitare ames, Maculonus quidem tibi suam commodare domum non gravabi-*

nebantur in templo Apollinis Palatini, aut bibliotheca illi adjuncta.

*Macra.* Sterili: vel, quæ te exhibeat macrum & pallentem: quales ferè sunt qui diu student.

35. *Terpsichoren.* Una est e Musis.

38. *Ipse facit versus.* Quos tibi nempe muneris loco & pecuniæ offerat. Vel, ut ostendat se tuis versibus non egere.

*Homero.* Homerus poëtarum Græcorum princeps.

39. *Propter, &c.* Non quòd Homerus fuerit ingeniosior; sed quia tantùm est antiquior.

41. *Servire.* Operam tibi navare declamanti.

In qua ſollicitas imitatur janua portas.
Scit dare libertos extrema in parte ſedentes
Ordinis, & magnas comitum diſponere voces:
Nemo dabit regum, quanti ſubſellia conſtent,
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,
Quæque reportandis poſita eſt orcheſtra cathedris.
Nos tamen hoc agimus, tenuique in pulvere ſulcos
Ducimus, & littus ſterili verſamus aratro.
Nam ſi diſcedas, laqueo tenet ambitioſi

*tur, amplam, ingentem, ferreis munitam clauſtris, qualia viſuntur in urbibus, quæ vicinum hoſtem metuunt: idem jubebit quoſdam e ſuis libertis & aſſeclis, qui voce valeant, ſedere in remotiori aulæ, ubi recitas, parte, poſtremiſque cathedrarum ordinibus, & ibi plaudere, teque dicentem fauſtis clamoribus & admurmurationibus proſequi: at illorum divitum nullus pecuniæ tantum tibi largietur, quantum impendiſti ſive ad conducendas auditorum cathedras, & gradus, qui ſuſpenſi ſunt e trabibus, quibus impoſitum eſt pulpitum ſeu ſuggeſtum, ex quo ipſe ſtans declamas, ſive ad includendum ſeptis ligneis ſpatium, in quod, tamquam in orcheſtram aliquam, inferuntur honoratiora ſubſellia foras deinde exportanda. Studere tamen ac ſcribere pergimus, miſeri, aramus infœcundum littus & pulverulentam ac ſterilem humum colimus. Neque artem, quantumvis ingratam & inutilem, poſſumus deponere, adeo nos velut irretitos inſana gloriæ*

42. *Portas.* Majus oſtium quale in urbibus eſt, *porta* nuncupatur; minus, quale in domibus, *janua.*

43. *Libertos.* Libertus, ſervus *eſt* manumiſſus, ſive donatus libertate.

45. *Regum.* Sic patronos ſuos vocabant clientes.

46. *Anabathra.* Gradus, vel ſcalæ, per quas ad ſuggeſtum adſcendebat poëta, vel orator declamaturus.

*Tigillo.* Suggeſtus ille, altiore poſitus erat loco, & ſubjectis tignis fultus.

47. *Orcheſtra.* Locus erat propinquior theatro, ubi honoratiores ſedebant; vulgò dicimus *le parquet.* Ad eumdem modum in aula, ubi vates recitabat, ſpatium illud quod erat ſuggeſto vicinius, orcheſtram vocat, ubi ſedilia eſſent ornatiora, non tamen ſtabilia, & perpetua ut in theatro, ſed ad tempus poſita, quæ foris adportata, poſt declamationem reportarentur.

48. *In pulvere, &c.* Proverbium eſt, arare pulverem, littus, pro, *inanem operam ſumere.*

Consuetudo mali; tenet insanabile multos
Scribendi cacoëthes, & ægro in corde senescit.
Sed vatem egregium, cui non sit publica vena,
Qui nihil expositum soleat deducere, nec qui
Communi feriat carmen triviale monetâ; 55
Hunc, qualem nequeo monstrare, & sentio tantùm,
Anxietate carens animus facit, omnis acerbi
Impatiens, cupidus sylvarum, aptusque bibendis
Fontibus Aonidum. Neque enim cantare sub antro
Pierio, thyrsumve potest contingere sana 60

*cupiditas tenet; adeo vetus atque innatum hæret in medullis malum, hæc prava scribendi libido plurimos vexat, nec eos, vel in ultima senectute, tamquam morbus insanabilis, deserit. Ceterùm ad formandum excellentem poëtam, cui sit mens divinior, qui nihil vulgare scribat, qui versus non populari ac tritâ signatos notâ producat: qualem intueor neminem, sed cogitatione tantùm informo, ad ejusmodi Poëtam efficiendum, inquam, opus est animo curis vacuo, nullâ sollicitudine districto; qui duri nihil ac molesti patiatur; qui per amœna spatiari amet nemora, & liquidis Musarum fontibus proluere labra tutò possit. Pauper, quantumvis sapiens & animo bene sanus,*

53. *Venæ.* Metaphora ducitur a fontibus, qui longo tractu & quasi venâ sub terris fluunt, unde scaturiunt erumpuntque. Publica igitur ingenii vena, est *vulgare ingenium.*

54. *Expositum.* Obvium & promptum omnibus: facile, in medio positum.

*Deducere.* Propriè dicitur *lana deduci*, cùm e colo trahitur: metaphoricè vox eadem tribuitur carmini. Virgil. *Deductum dicere carmen.* Ecloga VI, versu 5. Horat. Epist. 1, Lib. II, *Tenui deducta poëmata filo.*

55. *Feriat, &c.* Sententia est: Qui non scribat versus plebeio & vulgari stylo, instar monetæ, quæ ubique signatur eâdem & communi, neque admodum excellenti, notâ.

59. *Aonidum.* Musarum, quæ in Aonia, Græciæ regione, colebantur.

60. *Pierio.* Suprà, nota 8.

*Thyrsum, &c.* Erat Thyrsus, brevis hasta quædam, involuta pampinis, quam bacchantes gestabant. Thyrsum contingere, est Bacchi comitem & clientem esse; entheo furore, quem Bacchus afflat, corripi. Favere Bacchus poëtis fingebatur. Lege-

Paupertas, atque æris inops, quo nocte, dieque
Corpus eget. Satur est, cùm dicit Horatius, ohe!
Quis locus ingenio, nisi cùm se carmine solo
Vexant, & dominis Cirrhæ, Nysæque feruntur
Pectora nostra, duas non admittentia curas?
Magnæ mentis opus, nec de lodice paranda
Attonitæ, currus & equos, faciesque Deorum
Adspicere, & qualis Rutulum confundat Erynnis.
Nam si Virgilio puer, & tolerabile desit

*si nummis egeat, quibus res ad alendum corpus, vitamque sustentandam necessariæ comparantur, suaves in Musarum antris cantus edere, vel tractare thyrsum nequit. Horatius cùm suum illud* ohe *lætus recinit, potu ciboque luculenter est pastus. Ecquæ datur ostendendi facultas ingenii & copia, nisi cùm de unis carminibus fingendis solliciti sumus? nisi cùm se totos Phœbo & Baccho mancipant, & ab illis sacro perciti furore rapiuntur animi nostri, duabus ac dissimilibus curis impares? Oportet solutam esse nec in res varias divisam, aut de emenda tegete ac stragula veste anxiam poëtæ mentem, qui Deorum currus, equos, vultus, intueri ac describere cum dignitate valeat: qui Furiam occursantem Turno, & illius consilia viresque pingat. Si Virgilius servulo, si paulò com-*

Horatii Epistolam 19, Lib. I. *Prisco, &c.*

*Sana paupertas.* Vel sobria & frugalis ob egestatem: vel, poëtici furoris expers.

62. *Ohe.* Vocula hæc *satietatem* & *hilaritatem quamdam* sonat. Fortasse respicit vates Horatii Oden, Lib. II, quæ ultimæ proxima est. Ubi hæc legere est: *Ohe recenti mens trepidat metu, &c.*

64. *Dominis Cyrrhæ, &c.* Cyrrha, urbs Græciæ vetus fuit, prope Parnassum, Phœbo sacra, qui propterea *Cyrrhæus* appellatur; item, unus e duobus Parnassi bicipitis verticibus.

*Nysæque.* Nisa, urbs Arabiæ, Baccho sacra. Alia cognominis erat in India, ab eodem Baccho exstructa. Eidem sacer fuit alter Parnassi vertex, *Nysa* pariter appellatus.

65. *Duas curas.* Unam faciendi carminis, alteram domesticæ rei procurandæ.

66. *Lodice.* Lodix, vestis quâ lectus operitur. Pro *qualibet supellectili* ponitur.

68. *Rutulum.* Turnum Regem Rutulorum, quem a Jove immissa Furia perterret, Lib. XII Æneid. vers. 865, quem Alecto a Junone excitata, incendit ad bellum, Libro VII, vers. 456.

*Erinnys.* Furia.

Hoſpitium, caderent omnes a crinibus hydri;
Surda nihil gemeret grave buccina. Poſcimus, ut ſit
Non minor antiquo Rubrenus Lappa cothurno,
Cujus & alveolos, & lænam pignerat Atreus.
Non habet infelix Numitor, quod mittat amico,
Quintillæ quod donet, habet: nec defuit illi
Unde emeret multâ paſcendum carne leonem

*modiore domicilio caruiſſet, nequaquam adeo graphicè intortos crinibus Furiæ Alectus angues implicuiſſet: numquam illa tam terribili voce feralem tubam, quàm in Maronis adhuc videmur audire verſibus, impleviſſet. Volumus enimvero ut Rubrenus Lappa non deteriores tragœdias componat, quàm veteres poëtæ Tragici, qui tamen tantâ premitur egeſtate, ut dum tragœdiam ſcriberet, quam Atreum nuncupavit, coactus fuerit ſuas lances veſteſque opponere pignori. Poterat illum quidem Numitor, ejus amicus, ab inopia vindicare; ſed nimirum homini libidinoſo & avaro quod amico largiatur, nihil ſuppetit; ſuppetit quod Quintillæ impertiat. Quid quod pecuniæ ſatis habuit ut Leonem emeret cicurem, multo nutriendum cibo ſumptuque;*

70. *Hydri.* Comatam ſerpentibus Alecto Virgilius deſcribit, Lib. VII, v. 447.

71. *Buccina.* Eadem Alecto eodem, Lib. VII Æn. v. 513, Bello *canit ſignum cornuque recurvo Tartaream intendit vocem.*

72. *Rubrenus.* Poëta tragicus, eruditus ille quidem & ingenioſus, at pauper.

*Cothurno.* Calceus eſt altior quo utuntur actores tragœdiarum.

*Alveolos.* Sat. V, v. 88.

*Lænam.* Veſtem villoſam & craſſam.

*Pignerat.* Pignerare, *eſt* dare pignus, ſeu aliquid pignori dare.

*Atreus.* Atreus hîc ſignificat *tragœdiam de Atreo conſcriptam.* Qui Atreus, quæ tragœdia, in cauſa eſt, cur Rubrenus Lappa pigneret ſuas lances, ut nempe vitam toleret, donec Atreum abſolverit. Poteſt in eum quoque ſenſum hic verſus accipi, ut Atreus dicatur eſſe fœnerator improbus, qui cùm Rubrenum videat ſolvendo non eſſe, aufert ab eo pignora & ejus veſtes abripit, *le fait exécuter*; nam pignero *ſæpe ſumitur pro* pigneror, *prendre en gage.*

74. *Non habet infelix Numitor.* Ironicè. Infelix ſanè is qui divitias in luxum ac voluptates effundit, parcus autem in clientes, amicos, & honeſtos viros.

75. *Quintillæ.* Scorto ſupræ.

Jam domitum. Constat leviori bellua sumptu
Nimirum; & capiunt plus intestina poëtæ.
Contentus famâ jaceat Lucanus in hortis
Marmoreis; at Sarrano, tenuique Saleio,
Gloria quantalibet, quid erit, si gloria tantùm est?
Curritur ad vocem jucundam, & carmen amicæ
Thebaïdos, lætam fecit cùm Statius urbem,
Promisitque diem: tantâ dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur: sed cùm fregit subsellia versu,
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.
Ille & militiæ multis largitur honorem,
Semestri vatum digitos circumligat auro.

*minori videlicet pretio alitur immanis fera, plusque cibi stomachus poëtæ, quàm Leonis, capit. Lucanus sanè contentus eâ, quam adeptus est, gloriâ, otio indulgeat in amœna, & statuis marmoreis insignibus ornata villa; verùm Sarrano, & inopi Saleio quid afferet emolumenti gloria, quantacumque demum illa sit, si præter gloriam nihil aliud ipsis præmii tribuitur? Ingens fit undique populi concursus ad audiendum Statium, & incredibili voluptate omnes afficiuntur quoties promisit se carmina suæ Thebaïdos certâ die recitaturum, adeo civium aures animosque suavissimi versus deliniunt. Sed postquam ipsa propemodum scamna declamando rupit, fame conficitur, nisi tragœdiam Agaven Paridi priùs vendat, quàm in lucem edita sit. Hic ille est Paris qui primos exercituum Magistratus plurimis impertit, qui poëtas ferendi per sex*

79. *Lucanus.* Cordubensis poëta, Senecæ philosophi ex fratre nepos, historiam civilis belli, Cæsarem inter & Pompeium, versibus conscripsit, Nerone imperante.

83. *Thebaïdos.* Thebaïs Poëma de rebus ad Thebas gestis, compositum a Statio. Vide sup. nota *Thebas*, v. 12.

86. *Fregit subsellia.* Sat. I, nota 11.

87. *Agaven.* Agave Cadmi filia, in furorem versa, Pentheum filium, Regem Thebanorum, dilaniavit.

*Paridi.* Paris, pantomimus & histrio, gratissimus primùm Domitiano, & urbi toti: postea ob libidines & flagitia morte multatus est.

89. *Semestri auro.* Annulus aureus insigne fuit Tribunatus militaris, qui ad sex menses durabat: itemque ordinis Equestris. Porro annu-

Quod non dant proceres, dabit Histrio. Tu 90
Camerinos,
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas?
Præfectos Pelopea facit, Philomela Tribunos.
Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt.
Quis tibi Mœcenas? Quis nunc erit aut Proculeius,
Aut Fabius? Quis Cotta iterum? Quis Lentulus 95
alter?
Tunc par ingenio pretium, tunc utile multis
Pallere, & vinum toto nescire Decembri.

*menses aurei annuli jure donat, & eos ad equestrem ordinem, ad militarem Tribunatum evehit. Factum bene, quod repertus histrio sit, quû quod poëtis non donant civitatis principes, iisdem pro sua liberalitate & munificentia largiatur. Omittite deinceps, o Poëtæ, obsequiis vestris & carminibus demereri Camerinos, & Bareas: potentium superbas domos ne præterea frequentate; nihil eâ viâ proficitur. Pelopea tragœdia Paridi oblata Præfecturas opimarum provinciarum parit; Philomela Tribunatus militares promeretur. Neque tamen est cur succenseamus vatibus, qui e suis carminibus victum sibi & opes quærunt, siquidem nulli jam sunt Mœcenates, nulli Proculeii, aut Fabii, qui eos ultro pascant. Ubi Cottæ, ubi Lentuli, ubi aurea illa secula sunt, cùm pro ingenii modo, merces eruditis laboribus tribuebatur? Cùm libris impallescere, vino & conviviis per integrum Decembrem abstinere, ma-*

los hybernis mensibus graviores gestabant; æstivis autem leviores. Sat. I, nota 27 & *seq.*

90. *Camerinos, Bareas.* Pro nobilibus Romanis quibuslibet illi duo ponuntur.

92. *Pelopea.* Thyestæ filia, ex qua natus Ægisthus, qui Atreum & Agamemnonem interfecit.

*Philomela.* Prognes soror. Sat. VI, nota 496.

93. *Pulpita.* Propriè loca sunt editiora in theatro. Hîc ponitur ea vox pro *suggestu* ex quo poëta suos versus recitabat: vel pro *ipso theatro*, in quo exhibendas tragœdias a se compositas vendit actoribus poëta inops.

94. *Mœcenas.* Romanus Eques, Augusto gratiosus, eruditorum patronus.

*Proculeius.* Eques Romanus, cujus liberalitas celebratur ab Horat. Od. 2, Lib. II.

95. *Fabius, Cotta.* Romani divites, iidemque liberales.

97. *Pallere.* Libri, in quos incumbunt viri litterati, pal-

Vester porro labor fecundior, historiarum
Scriptores; petit hic plus temporis, atque olei plus;
Namque oblita modi millesima pagina surgit
Omnibus, & crescit multâ damnosa papyro.
Sic ingens rerum numerus jubet, atque operum lex.
Quæ tamen inde seges? terræ quis fructus apertæ?
Quis dabit historico, quantum daret acta legenti?
Sed genus ignavum, quod tecto gaudet & umbrâ.
Dic igitur, quid causidicis civilia præstent
Officia, & magno comites in fasce libelli?
Ipsi magna sonant; sed tunc cùm creditor audit

*gni res emolumenti ac utilitatis erat? At vos, historici, majorem ex arte vestra fructum fortasse percipitis. Illa certè plus otii laborisque postulat: vestri enim libri supra modum omnem ac mensuram excrescunt, & mille interdum paginas implent, ac vestro quidem damno, qui tantam papyri copiam frustra impendatis. Sed fieri aliter scilicet nequit ob rerum narrandarum multitudinem, eaque lex historiæ vel sanctissima est, ut omnia minutatim & enucleatè perscribantur. Age verò, quod laboris tanti præmium? quam affert messem excultus & aratus tanto sudore ager? Quis tantumdem historico mercedis donabit, quantum præconi aut scribæ edita & alia id genus acta recitanti daret? Atenim, inquies, historici sunt genus hominum otiosum ac deses: domi se in umbra continent. Esto sanè, sed causidicis, hominibus utique laboriosis, cedo quid afferant utilitatis causæ quas agunt in foro, & litium tractatio molestissima? Quid eos juvat deferre secum & habere semper in comitatu collectos in fascem libellos, & prægrandem chartarum sarcinam? Vides quantâ contentione vociferentur, præsertim si causam agant creditoris, qui a de-*

lorem ipsis & maciem afferre solent.

*Toto decembri.* Hoc mense Saturnalia celebrabantur, quibus diebus genio & crapulæ indulgere fas pulchrumque erat. Quocirca jure laudantur eruditi, qui tunc temporis abstinerent vino; & quantum alii temporis ludo & genio tribuebant, tantùm ipsi litteris impenderent.

99. *Olei plus.* Litteris operam noctu dabant ut plurimum & ad lucernam elaborabant si quid accuratius scriptum.

104. *Acta.* Gall. *Registres.*

106. *Civilia officia.* Intellige *operam civibus litigantibus navatam.*

107. *Comites libelli.* Sine quibus numquam domo prodire causidici solent.

Præcipuè, vel, si tetigit latus acrior illo,
Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen.
Tunc immensa cavi spirant mendacia folles,
Conspuiturque sinus. Veram deprendere messem
Si libet, hinc centum patrimonia causidicorum,
Parte aliâ solum russati pone Lacertæ.
Consedêre duces; surgis tu pallidus Ajax
Dicturus dubiâ pro libertate, bubulco
Judice. Rumpe miser tensum jecur, ut tibi lasso
Figantur virides, scalarum gloria, palmæ.

*bitore nummos reposcat, quique præsens in judicio adsit; vel si stimulos illis etiam acriores subdat, ac vehementius urgeat alius quispiam creditor debitum non ita certum repetens, & codicem acceptæ expensæque pecuniæ proferens. Tunc pulmones ac fauces tamquam cavos folles inflant, & labantem dubiamque causam fulcire mendaciis dum laborant, spumâ & sputis gremium suum, tantus est dicendi ardor, implent. Age quid præmii nihilominus consequuntur? Ut hoc intelligas, congere in alteram veluti lancem centum causidicorum fortunas & annuos proventus; in alteram unius militis Lacertæ patrimonium; prægravabit ac præponderabit. Prodis in forum, patrone infelix, sedent judices, surgis ad dicendum anxius ac de causæ eventu trepidans, instar Ajacis illius in Græcorum ducum consessu peroraturi: præest quæstioni Bubulcus: defendis causam hominis, de quo, servus sit an liber, dubitatur, & quæritur. Pugnas pro vindicanda illius libertate. Urge, enece te declamando, id mercedis capturus videlicet, ut postquam pulmonem vociferando ruperis, virides palmarum rami, tamquam victoriæ de adversario reportatæ monumentum, appendantur foribus tuæ domus, & iis ornentur extremi gradus scalarum, per quas in cubiculum tuum adscen-*

109. *Tetigit latus.* Urget, excitat ad dicendum, latus fodicando.

110. *Nomen.* Sic appellatur *debitum*, quia debitoris sui nomen scribebant in codice creditores aut argentarii.

114. *Russati.* Veste russâ, seu russatâ, *id est*, coccineâ, sive rubrâ, induti.

115. *Consedere duces.* Est hoc initium, Libri XIII Metam. quo loco recitat Ovidius eloquentissimam hinc Ajacis, inde Ulyssis, de Achillis armis certantium, orationem.

116. *Bubulco.* Nomen judicis est. Fortasse fictum ad ejus insectitiam indicandam.

118. *Scalarum gloria.* Ap-

Quod vocis pretium ? Siccus petaſunculus, & vas
Pelamidum, aut veteres, Aſrorum epimenida, bulbi;
Aut vinum Tiberi devectum, quinque lagenæ.
Si quater egiſti. Si contigit aureus unus,
Inde cadunt partes, ex fœdere Pragmaticorum.
Æmilio dabitur, quantum petet: & meliùs nos
Egimus. Hujus enim ſtat currus aheneus, alti
Quadrijuges in veſtibulis, atque ipſe feroci
Bellatore ſedens curvatum haſtile minatur

*dis. Quid præterea lucri e cauſa tantâ vocis contentione peroratâ facis ? Nempe mittitur ad te exigua perna, teſta piſciculorum plena, aut Epimenida vetuſta & rancida, qui bulbi frequentes ex Africa deportantur in Italiam, aut vini ſecundo flumine Romam advecti lagenæ quinque, ſi quater peroraſti. Quod ſi felici quodam fato accidat ut aureus unicus tibi donetur, ne is quidem integer ad te perveniet, ſed ex eo detrahenda pars erit, quam des pragmaticis, qui te adjuverunt, quemadmodum cum illis paſtus es. Quidquid præmii poſtulabit Æmilius, dives ille ac nobilis patronus, impetrabit, quamvis nos majori fide ac eloquentiâ cauſam dixerimus. Quid ita porrò ? quia in prima ejus ædium parte viſitur ingens ex ære currus, ab quatuor equis ſublimibus tractus : ipſe in equeſtri ſtatua ſpectatur armatus haſtâ, quaſi ictum in hoſtem dirigens, & altero oculo clauſo, ut ſit, collineans. At dum Æmilium tentant imitari cauſidici tenues, & famam divitia-*

poſitio : qui rami ſunt gloria & decus tuorum graduum.

119. *Siccus petaſunculus.* Gall. *Un jambon deſſéché.*

120. *Vas pelamidum.* Gall. *Un plat de poiſſons bourbeux.*

*Veteres bulbi.* Gall. *de méchants ognons d'Afrique.*

121. *Tyberi devectum.* Ab Etruria ſcilicet deductum, aut Veiis, ubi vina longè deteriora, quàm vina Latii & Campaniæ ; vel tranſmarina, quæ adverſo Tiberi Romam devehuntur.

122. *Aureus.* Valebat centum ſeſtertios, *hoc eſt* decem libras noſtrates, ſeu nummos, ut vocamus, *Francicos.*

123. *Ex fœdere.* Ex pacto cum ipſis inito.

*Pragmaticorum.* Sic appellabantur qui cauſidicis & oratoribus, leges, juris formulas, & alia litium inſtrumenta ſubminiſtrabant.

126. *Quadrijuges.* Quatuor equi jugo juncti.

Eminus, & ſtatuâ meditatur prælia luſcâ.
Sic Pedo conturbat, Matho deficit, exitus hic eſt
Tongilli, magno cum rhinocerote lavari
Qui ſolet, & vexat lutulentâ balnea turbâ,
Perque forum juvenes longo premit aſſere Medos
Empturus pueros, argentum, murrhina, villas:
Spondet enim tyrio ſtlataria purpura filo.
Et tamen hoc ipſis eſt utile: purpura vendit
Cauſidicum, vendunt amethyſtina: convenit illis

*rum ac nobilitatis captant, eo fit, ut fortunas omnes dilapident. Sic Pedo decoquit: Matho ad egeſtatem redigitur: ad eumdem modum bonis Tongillus evertitur qui vaſe facto e cornu rhinocerotis utitur in balneis, ubi honoris & pompæ cauſâ ſtipari ſe jubet a multis comitibus & aſſeclis luto ſordidis, ceteriſque unà lavantibus maleſtus eſt: qui per medium forum ingenti lectica geſtatur, perinde quaſi vellet illic emere mancipia, vaſa argentea vel murrhina, & villas. Illum enim ſatis eſſe locupletem ut hæc emere poſſit ac ſolvere, veſtis purpurea perſuadet. Porrò licèt rem familiarem oſtentatores iſti diſperdant, hoc tamen haud ſine aliquo emolumento faciunt. Veſtes enim purpurei coloris, & Amethyſtini ſunt in cauſa, cur cau-*

128. *Luſca.* Obliquè poſita, ita ut unus tantùm oculus videatur: vel clauſo, ſicut explanavi, oculo, inſtar luſcorum, quod factitant qui ad ſignum dirigunt ſagittam aut telum.

129. *Conturbat.* Subaudi *rationes, fortunas: fait banqueroute.*

130. *Rhinocerote.* Rhinoceros, ferum animal, unum in ipſo naſo cornu habet. Eo cornu divites utebantur in balneis ad fundendum oleum, cùm pauperibus hanc navaret operam guttus e bubulo cornu.

132. *Aſſere.* Lecticâ ex aſſeribus factâ, & a ſervis Medis geſtatâ: vel baculis, & ſudibus, quibus lectica ſuſtinetur, ac deportatur.

*Medos.* Media, pars Aſiæ, prope Perſidem.

133. *Murrhina.* Sat. VI, nota 107.

134. *Spondet.* Promittere videtur: ipſi Tongillo veſtis pretioſa pro ſponſore eſt: *luiſert de caution, de répondant.*

*Stlataria*, peregrina, tranſmarina; vel juxta alios, lata, ampla.

135. *Vendit.* Facit ut vendatur, ut conducatur majori pretio, ut eligatur præ ceteris.

136. *Amethyſtina.* Subaudi, *veſtimenta.* Amethyſtus

Et strepitu, & facie majoris vivere census.
Sed finem impensæ non servat prodiga Roma.
Ut redeant veteres, Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, nisi fulserit annulus ingens.
Respicit hoc primum, qui litigat, an tibi servi
Octo, decem comites, post te an sit sella, togati
Ante pedes. Ideo conductâ Paulus agebat
Sardonyche, atque ideo pluris, quàm Cossus agebat,
Quàm Basilus. *Rara in tenui facundia panno.*
Quando licet Basilo flentem producere matrem?
Quis bene dicentem Basilum ferat? Accipiat te

*fidicus pluris conducatur a clientibus, cur doctior & majori auctoritate præditus existimetur : eam ob rem expedit patronis ostentationem & pompam quamdam in vestibus, in servis, in reliquo apparatu præ se ferre, ac majores, quàm revera possideant, opes simulare : in quo si modum tenerent, tolerabile malum esset ; verùm, ut est Romanorum indoles, qui nullam in sumptibus moderationem adhibent, eos funditus perire ac fortunis everti necesse est. Quamvis prisci oratores reviviscerent, nemo Ciceroni ducentos nummos pro agenda causa daret, nisi micare in ejus digito annulum prægrandem videret. Litigator qui patronum quærit, primum omnium illud inspicit, num tibi servi saltem octo sint, asseclæ decem ; num te subsequatur lectica, num præcedant ante ambulones togâ induti. Quod, cùm probe intelligeret Paulus, gerebat quoties verba faceret, conductum annulum præstanti sardonyche insignem, & idcirco longè majus ab suis clientibus stipendium accipiebat, quàm Basilus.* Sic est : rarò pauper eloquens existimatur. *Quandonam Basilo majores illæ causæ committuntur, in quibus mater producitur in medium, deprecans pro vita filii, & perfusa lacrymis, ad movendam judicum miserationem ? Immo quis illum etsi commodè perorantem, æquis auribus audire potest ? Age ergo, infelix ora-*

gemma *est* violacei coloris.

139. *Ducentos nummos.* Sestertios videlicet, qui efficiunt libras Turonicas viginti.

143. *Ante pedes.* Servi quidam honestiores, qui hominem honoris causâ præcedebant.

*Paulus.* Aliquis causidicus egentior.

144. *Sardonyche.* Sat. VI, nota 249.

Gallia, vel potiùs nutricula cauſidicorum
Africa, ſi placuit mercedem imponere linguæ.
Declamare doces, o ferrea pectora, Vecti,
Cùm perimit ſævos claſſis numeroſa tyrannos.
Nam quæcumque ſedens modò legerat, hæc eadem ſtans
Proferet, atque eadem cantabit verſibus iſdem.
Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.
Quis color, & quod ſit cauſæ genus, atque ubi ſumma
Quæſtio, quæ veniant diversâ parte ſagittæ,

*tor, ſi lucri quidpiam facere dicendo paras, Italiam relinque, concede in Galliam vel in Africam, ubi cauſidici in pretio adhuc & honore ſunt. O Vecti, pueros domi artem declamandi & cauſas agendi doces: cùm plena diſcipulorum ſchola tractat fictum aliquod argumentum, verbi gratiâ, de tyrannis interficiendis. Næ pectus illi eſſe ferreum oportet, qui tanto labori par eſſe poſſit. Quidquid enim diſcipulis ſuis modò ſedens perlegit, hoc idem recitat in pedes erectus, & totidem verbis recinit. Hæc illa nimirum earumdem rerum & ſcriptionum repetitio miſeros præceptores, ut Braſſica ſæpius appoſita convivas, tædio & moleſtiâ enecat. Nemo eſt qui nolit doceri quibus rationibus quælibet probari cauſa poſſit, quibus ornamentis illuſtrari, quo in genere dicendi verſetur illa; ubi rei ſumma, & quæſtionis vertatur cardo: quænam ab adverſariis*

150. *O ferrea pectora, Vecti.* Eſt appoſitio, o Vecti, ferrea pectora.

154. *Crambe repetita.* Senſus eſt. Quemadmodum nihil reperitur moleſtius, & ad ciendam nauſeam aptius, quàm crambe, ſeu braſſica recalfacta, & bis terve menſæ appoſita: ſic *v. g.* magiſtri dum eadem diſcipulis ſuis toties repetita inculcant, tædio & moleſtiâ prope interficiuntur.

155. *Color.* Interdum ſic a rhetoribus appellatur *probabilis ratio, ad ſuadendum, excuſandum, &c. idonea.*

*Cauſæ genus.* Triplex ab iiſdem rhetoribus ſtatuitur, deliberativum, judiciale, exornativum.

*Summa quæſtio.* Exempli cauſa, ſi Milonem defendas, huc omnia tibi ſunt referenda, ut probes illum inſidias Clodio non ſtruxiſſe. Hoc enim ſi conſtet, viciſti. Statum quæſtionis rhetores vocant.

Scire velint omnes, mercedem solvere nemo.
Mercedem appellas ? quid enim scio ? Culpa docentis
Scilicet arguitur, quod læva in parte mamillæ
Nil salit Arcadico juveni, cujus mihi sextâ
Quâque die miserum dirus caput Annibal implet.
Quidquid id est, de quo deliberat, an petat urbem
A Cannis ; an post nimbos & fulmina cautus

*obiciantur, & tamquam tela intorqueantur : at mercedem qui velit solvere quotumquemque reperias ? Mercedem postulas ? atqui didici ex te nihil. Nimirum accusatur magister, quod discipulus hebes, & arcadicâ pecude tardior sit : cùm ille tamen singulis diebus Veneris aures mihi obtundat dum recitat scriptionem, cujus argumentum est Annibal deliberans an Romam continuò post Cannensem pugnam se conferat ; an exercitum attonitum fulminibus, & imbre vexatum, a Roma longiùs in circumpositas urbes abducat. Ego verò tecum paciscar, & quidquid poposcris actutum dabo, hac lege ut vel ipsius adolescentis pater eadem mer-*

158. *Culpa, &c.* Responsio est magistri : scilicet hæc est mea, qui te docui, culpa, quòd hebes, tardusque sis : cùm tamen laborem nullum prætermiserim, ut aliquid scires : cùm stylum tuum assiduis scriptionibus diligenter exercuerim, &c.

159. *Læva in parte.* In sinistra pectoris parte cor humanum situm est. Cor autem sæpe accipitur pro *ingenio, prudentia, &c.*

160. *Nil salit, &c.* Cor perpetuo cietur motu. Homo tardus, & stupidus vulgò excors, seu vecors, *id est*, sine corde, esse dicitur.

*Arcadio.* In Arcadia, (Græciæ regio est in Peloponneso) maximi gignuntur asini.

161. *Annibal.* Satir. VI, nota 121.

163. *A Cannis.* Sat. II, nota *Cannis*. Post Cannensem pugnam Maharbal Equitum Præfectus urgebat Annibalem, ut rectâ Romam ac citò peteret, promittens illi cœnam in Capitolio post diem quintum. Cunctatus Annibal occasionem & Romam, quæ in manibus, si victoriâ uti sciisset, erat, amisit.

*An post nimbos, &c.* Cùm ad obsidendam Romam pergeret Annibal, staretque jam ad tertium lapidem, repentino imbre ac procellis semel ac iterum repulsus, abscessit, & ab Aniene ad Thuriam fluvium castra retulit, Liv. Lib. XXVI.

Circumagat madidas a tempestate cohortes.
Quantumvis stipulare, & protinus accipe quod do,
Ut toties illum pater audiat: aut alii sex
Et plures uno conclamant ore sophistæ,
Et veras agitant lites, raptore relicto:
Fusa venena silent, malus ingratusque maritus,
Et quæ jam veteres sanant mortaria cæcos.
Ergo sibi dabit ipse rudem, si nostra movebunt

*cede toties illum declamantem audiat, quâ ego ipsum toties audire cogor. Neque verò putes ejusmodi querelas ab uno aliquo Rhetoricæ professore jactari: alii sex atque adeo multò plures idem clamitant, & relicta docendi hac arte molestissimâ, conferunt se se ad agendas veras in foro causas: valere jubent ficta dicendi argumenta de Jasone vellus aureum rapiente, de veneno dato, de ingrato erga uxorem viro, quæ se ab illo malè tractatam queratur; de medicamentis in mortario contusis, quibus resti-*

164. *Circumagat.* Non statim & recto itinere ducat Romam: sed circuitu facto, ut spatium det militibus imbrem & metum excutiendi.

165. *Stipulare.* Stipulari est verbum juris: significat *pacisci*, *postulare* ut aliquid promittatur interposita solenni formulâ juris.

166. *Pater audiat.* Si pueri ipsius pater molestiam ejus audiendi toties, ferre non posset; quantò id mihi molestius accidere debet præceptori?

167. *Sophistæ.* Sic vocabantur primùm *qui rhetoricæ & philosophiæ præcepta tradebant*: postea nomen hoc *philosophis* tributum est, qui insidiosâ oratione, & fallacibus conclusiunculis utebantur, ad quæstum, vel ostentationem.

168. *Raptore.* Vel Jasone, qui Medeam; vel Paride, qui Helenam rapuit.

169. *Fusa venena.* Medea Creüsam veneno sustulit, quam videbat præferri sibi ab Jasone, ingrato marito.

*Silent.* Non sumuntur pro scriptionis argumento.

*Malus maritus.* Jason Medeam, Æneas Didonem, deserens: Theseus Ariadnen.

170. *Mortaria.* Medea certis pharmacis in mortario tritis promiserat Peliæ filiabus, effecturam se ut earum pater senex & cæcus juventutem visumque reciperet. Filiæ malè credulæ patrem membratim dissectum impiè crudeliterque peremerunt.

171. *Rudem.* Sat. VI, nota 80. Metaphora ducitur a gladiatoribus, qui acceptâ rude, missionem & vacatio-

Consilia, & vitæ diversum iter ingredietur,
Ad pugnam qui rhetorica descendit ab umbra,
Summula ne pereat, quâ vilis tessera vænit
Frumenti: quippe hæc merces lautissima. Tenta
Chrysogonus quanti doceat, vel Pollio quanti
Lautorum pueros, artem scindens Theodori.
Balnea sexcentis, & pluris porticus, in qua
Gestetur dominus, quoties pluit; anne serenum
Exspectet, spargatque luto jumenta recenti?
Hîc potiùs; namque hîc mundæ nitet ungula mulæ.

*tui visus cæcis jam senibus possit. Ego verò, si cui animus est umbratilem hanc Rhetoricæ disciplinam scholasque deserere, atque in campum fori, pulveremque descendere, vehementer illum hortor, ut ipse sibi vacationem a docendi munere det, & aliam vitæ viam institutumque amplexus, forum sequatur, ex quo id saltem præmii feret, ne careat exiguâ illâ pecuniæ summâ quâ vendi potest tessera frumenti: hanc enim amplissimam videlicet mercedem miseri consequuntur. Expende quàm exiguo pretio Chrysogonus Rhetoricam doceat civium nobiliorum filios, & Pollio qui Theodori præcepta in minutas quasdam particulas, ut facilius tradantur, dividit. Interim civis locuples balnea exstruere sexcentis nummis non dubitat; porticum etiam pluribus, in qua gestetur ipse cùm imber decidit. Longum est enim exspectare dum sudum fit cœlum: & verò piget equos per lutulentam viam agere; longè id commodius in porticu fit, ubi mularum pedes luto non inquinantur. Ju-*

nem ab arte laboriosa & periculosa consequebantur.

172. *Diversum iter.* Vitæ institutum diversum a munere docendi.

173. *Rhetorica umbra.* Sic vocat *fictas & umbratiles, quæ traduntur in scholis, exercendi styli causâ, scriptiones & argumenta dicendi.*

174. *Tessera.* Exigua tabella, particula oblonga plumbi aut ligni, certo notata signo, quam qui ad horrea publica deferret, frumentum ex illis auferebat.

*Vænit.* Si quis accipere frumentum nollet, suam vendere tesseram cuilibet poterat.

176. *Chrysogonus. Pollio.* Rhetores.

177. *Theodori.* Rhetoricæ professoris, qui oriundus Gadaris, civitate Syriæ, venit Rhodum, ibique tùm docuit, cùm in eadem insula versaretur Tiberius.

Parte

Parte aliâ longis Numidarum fulta columnis
Surgat, & algentem rapiat cœnatio ſolem.
Quanticumque domus, veniet qui fercula doctè
Componit, veniet qui pulmentaria condit.
Hos inter ſumptus ſeſtertia Quintiliano,
Ut multùm, duo ſufficient: res nulla minoris
Conſtabit patri, quàm filius. Unde igitur tot
Quintilianus habet ſaltus? Exempla novorum
Fatorum tranſi: felix, & pulcher, & acer,
Felix, & ſapiens, & nobilis, & generoſus;
Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ:

*bet alia in parte ædificari triclinium ſoli minus calido expoſitum, & altis ex Africano marmore columnis innixum. Quantumlibet ſumptûs factum fuerit in ipſam domum, quæretur præterea & magno conducetur peritus menſæ ſtructor, qui opſonia ex arte diſponat; præparabitur coquus, qui eadem ſcitè condiat. In his tot tantiſque ſumptibus duo ad ſummum ſeſtertia Quintiliano dabuntur, ita nihil minori pretio patri quàm filii educatio conſtabit. Quonam igitur pacto ſit, inquies, ut Quintilianus tot luculenta prædia poſſideat? Omitte illum mihi, noli ex ceteros rhetores æſtimare. Eſt enim exemplum novi & inuſitati cujuſdam fati ac felicitatis. Quicumque ſcilicet eſt felici fato natus, idem formoſus, ſtrenuus, ſapiens, fortis, nobilis; idem Senator, & aſſutâ calceis lunulâ ſpectan-*

182. *Numidarum.* Numidia, pars Africæ.

183. *Cœnatio.* Locus, ubi cœnatur.

*Algentem ſolem.* Nempe matutinum & orientem æſtate. Obverti feneſtras ædium ad ortum & ſeptentrionem Columella jubet.

185. *Pulmentaria.* Opſonia, quæ olim e pulte conſtabant: ſive etiam condimenta & fercula exquiſitiora, *ſauſſes, ragoûts.*

186. *Seſtertia duo.* Libræ ſunt ducentæ.

189. *Quintilianus.* Orator inſignis, floruit Domitiani tempore, & rhetoricam annos 10 docuit, cujus præcepta longè accuratiùs, quàm ipſe Cicero libris duodecim complexus eſt.

*Saltus.* Ea vox ſignificat non tantùm *nemora*, ſed *campos villæ additos: latifundia.*

192. *Lunam.* Senatores a Romulo primùm conſcripti fuêre centum. Eorum poſteri præcipuo erant in honore, geſtabantque in extremo calceo figuram eburneam lunulæ creſcentis ſimillimam

Felix, orator quoque maximus, & jaculator;
Et si perfrixit, cantat bene. Distat enim, quæ
Sidera te excipiant modò primos incipientem
Edere vagitus, & adhuc a matre rubentem.
*Si fortuna volet, fies de rhetore Consul,*
*Si volet hæc eadem, fies de Consule rhetor.*
Ventidius quid enim? Quid Tullius? Anne aliud quàm
Sidus, & occulti miranda potentia fati?
Servis regna dabunt, captivis fata triumphos.
Felix ille tamen corvo quoque rarior albo.

*dus. Orator præstantissimus & dialecticus est; ac licèt fauces obstrictas frigore habeat, bellè canere censebitur. Plurimum quippe refert quæ sidera te nascentem & e materna recèns profusum alvo respexerint.* Si fortunæ videbitur, evades rhetor e Consule, Consul e rhetore. *Quid enim nos docent exempla Ventidii, & Servii Tullii, nisi vim arcanam & admirabilem siderum ac fati esse, quæ servos in solium, captivos in triumphantium currus evehat? Cetèrùm ille felix quem descripsimus, est idem rarissimus & albo*

litteræ C, quæ nota est centenarii numeri, nimirum ut indicarent se a centum primis illis Senatoribus esse ortos. Porrò testatur Ausonius delata Quintiliano fuisse ornamenta consularia, *honestamenta futura nominis, non insignia potestatis.*

*Alutæ.* Calceo aluta tecto, quæ est agnina pellis: eâ nigro colore infectâ calcei Senatorum erant intecti, *de la bazanne.*

193. *Jaculator.* Accipi propriè potest pro *eo qui scienter jaculum intorquet:* vel, per metaphoram, pro *dialectico, sophista,* &c. qui rationes, ut sagittas, peritè dirigit.

194. *Perfrixit.* Perfrigescere, *s'enrhumer;* gravedo enim oritur sæpius e nimio frigore, præsertim post calorem collecto.

197. *De Rhetore Consul.* Intelligendum hoc de *honorario*, quem dixi, *Quintiliani Consulatu.* Ipse Cicero de Rhetore Consul est verè factus.

199. *Ventidius.* Ventidius Bassus, primùm captivus, dein mulio, postea Tribunus plebis, Prætor, Consul, Pontifex Maximus creatus, denique a M. Antonio contra Parthos missus anno Romæ conditæ 718, de illis triumphavit.

*Tullius.* Servius Tullus, sive ut alii scribunt, *Tullius*, ex ancilla natus, Rex Romanorum sextus fuit.

Pœnituit multos vanæ, ſterilisque cathedræ;
Sicut Thraſymachi probat exitus, atque Secundi
Carinatis: & hunc inopem vidiſtis Athenæ,
Nil præter gelidas auſæ conferre cicutas.
Dii majorum Umbris tenuem, & ſine pondere terram,
Spiranteſque crocos, & in urna perpetuum ver,
Qui præceptorem ſancti voluere parentis
Eſſe loco. Metuens virgæ jam grandis Achilles,
Cantabat patriis in montibus: & cui non tunc

*corvo rarior. Paucis contigit fortunatum Quintiliani fatum; multi graviſſimum docendi laborem a ſe nullo emolumento ſuſceptum fuiſſe doluerunt: idque ſatis oſtendit luctuoſa mors Thraſymachi: nec non Secundi Carinatis, quem ad extremam redactum inopiam Athenæ vidiſtis, nihil ei præter cicutas largiri, ob Cæſaris metum, auſæ. At vos, o Superi, facite ut majorum noſtrorum Manibus levis terra ſit, humum circa illorum tumulos croco floribuſque bene olentem eſſe jubetote, urnas eorumdem roſis liliiſque cumulate, qui tam ſapienter ſanxerunt ut præceptores non minus ſanctè, quàm ſuos parentes pueri colerent. Achilles, quamvis ætate jam provectior, tamen in Pelio, Theſſaliæ, patriæ ſuæ, monte, diſcebat canere fi-*

204. *Thraſimachi.* Carthaginienſis rhetoris, quem egeſtate oppreſſum narrant ſibi laqueo fregiſſe fauces: aut certè artem deſiviſſe.

205. *Carinatis.* Secundus Carinas Rhetoricam aliquandiu Romæ profeſſus eſt, pulſus in exſilium a Caligula, venit Athenas, ubi cùm præ Imperatoris metu nemo illi auderet opem ferre, necem ipſe ſibi veneno conſcivit.

206. *Cicutas.* Reſpicit Socratis necem, qui juſſus eſt mori, epoto cicutæ, herbæ frigidiſſimæ, letali ſucco.

207. *Sine pondere terram.* Mortuis bene precabantur hâc ſolenni formulâ: *ſit tibi terra levis.*

208. *Spirantes.* Halantes, bene olentes.

*Crocos.* Crocus, ſive Crocum, *du ſaffran*, herba odorata.

*In urna.* Colligebant oſſa combuſtorum cadaverum, & in urnas abdebant, quas coronabant floribus.

209. *Qui præceptorem, &c.* Hanc in ſententiam rectè Ariſtoteles: *Præceptoribus*, inquit, *plura, quàm parentibus debemus, cùm ab his vivendi, ab illis bene vivendi rationem accipiamus.*

Eliceret risum citharœdi cauda magistri?
Sed Rufum, atque alios cædit sua quæque juventus,
Rufum, qui toties Ciceronem Allobroga dixit.
Quis gremio Enceladi, doctique Palæmonis affert,
Quantum grammaticus meruit labor? Et tamen ex hoc
Quodcumque est (minus est autem quàm rhetoris æra)
Discipuli custos præmordet Acœnitus ipse;
Et qui dispensat, frangit sibi. Cede Palæmon,
Et patere inde aliquid decrescere; non aliter quàm
Institor hibernæ tegetis, niveique cadurci,
Dummodo non pereat, mediæ quod noctis ab hora

*dibus, & Chironem extimescebat: quis a risu tamen temperare potuisset, Centaurum cum illa sua cauda equina videns? Nunc Rufum & ceteros puerorum doctores discipuli sui impunè rident ac pulsant; Rufum, inquam, egregium illum rhetorem, qui Tullium Allobrogem & barbarum appellare non dubitavit. Quis tantùm Encelado & Palæmoni, celeberrimis grammaticis, largitur, quantùm ipsorum improbus meretur labor? Ex hac tamen mercedula quantulacumque est, quæ certè minor est quàm stipendium rhetoribus tribui solitum, aliquid prærodit avellitque avarus pueri moderator: ipse etiam dispensator & œconomus, qui pecuniam præceptori dat in manus, aliquid ex illa præcidit reservatque sibi. Cede jure tuo, infelix Palæmon, ac mercedem tuam sic imminui æquo animo fer, instar mercatorum, qui de pretio lodicis aut stragulæ vestis, quod primo aditu indicarunt, nonnihil remittunt, ac minuunt: modò totum illud non amittas quod meritus es,*

212. *Citharœdi magistri.* Traditus est Achilles a patre Peleo in disciplinam Chironis Centauri. Erant autem Centauri partim homines partim equi, ut blaterant fabulæ.

217. *Æra.* Pecunia rhetoribus data.

221. *Institor.* Mercator: sic dictus ab *instando*, *properando*, *commeando*.

*Cadurci.* Cadurcum hîc significat *certam vestem stragulam*, quæ texeretur in urbe Galliæ, quam Cadurcum vocamus, *Cahors*, aut quæ fieret e lino Cadurcensi.

Sediſti, quâ nemo faber, quâ nemo ſedebat,
Qui docet obliquo lanam deducere ferro:
Dummodo non pereat totidem olfeciſſe lucernas,
Quot ſtabant pueri, cùm totus decolor eſſet
Flaccus, & hæreret nigro fuligo Maroni.
Rara tamen merces, quæ cognitione Tribuni
Non egeat. Sed vos ſævas imponite leges,
Ut præceptori verborum regula conſtet;
Ut legat hiſtorias, auctores noverit omnes,
Tamquam ungues digitoſque ſuos; ut fortè rogatus,
Dum petit, aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchiſæ, nomen patriamque novercæ
Anchemoli; dicat quot Aceſtes vixerit annos,

*cùm a media nocte ſurrexiſti, ac in muſeo ſediſti, etiam ante, quàm viliſſimi opifices, & fabri, aut qui lanam ferreo pectine carminant, ſuis in officinis opus facerent: modò, inquam, non pereat quæ jure tibi debetur merces, pro eo quem hauſiſti naribus, fumo & nidore tot lucernularum, quot aderant in ſchola tua pueri, quorum libri, Horatius & Virgilius, ipſa fuligine infecti nigrum colorem induerant. Quamvis autem grammaticorum merces tam anguſta ſit, rarò tamen accidit, eam ut obtineant ſine aliqua lite & ærarii Tribuni Edicto. Ite nunc, ite, ingrati parentes, ac de magiſtris tam mali meriti, pergite illis duriſſimas leges imponere, ut verborum omnium regulas calleant, ut perlegant omnes hiſtorias, ut ſcriptores cognitos & perſpectos ad unguem habeant, ut ſi quis illos, dum in balnea thermaſve ſe conferunt, interroget quæ fuerit Anchiſæ nutrix; quod nomen, quæ patria novercæ Anchemoli, reſpondeant ſine ulla hæſitatione: ut dicant quamdiu Aceſtes vitam produxerit, quot vini cados Æneæ*

225. *Lucernas.* Pueri mane ſummo ventitabant in ſcholam, cum ſuis quiſque lucernulis.

228. *Cognitione.* Ea vox in jure vulgò ſignificat *examen litis, quæſtiones*, & alia id genus quæ præcedunt ſententiam judicis.

*Tribuni.* Ærarius vocabatur Tribunus ille, qui de cauſis levioribus, *v. g.* de ſtipendio magiſtrorum cognoſcebat.

233. *Thermas.* Thermæ, balnea calida, *des étuves.*

*Phœbi.* Nomen balneatoris.

235. *Anchemoli.* Sive, ut

Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.
Exigite ut mores teneros ceu pollice ducat,
Ut si quis cerâ vultum facit: exigite ut sit
Et pater ipsius cœtûs, ne turpia ludant.
Hæc, inquit, cures, & cùm se verterit annus,
Accipe, victori populus quod postulat, aurum.

*discedenti e Sicilia dederit. Exigite præterea ut teneros adolescentum mores sic informent, quasi si quis vasculum ex argilla, vel effigiem e molli cera fingeret: ut pueros paternâ caritate complectantur; ut observent, ne quid inter ludendum contra modestiam & pudorem peccent. Fac ista diligenter procures, ait magistro parens pueri, anno exacto tibi dabitur pecuniæ summa, qualem populus colligit, & victori gladiatori donandam, ab iis qui ludis gladiatoriis interfunt, postulat.*

quibusdam placet, *Archemori.* Fuit ille filius Rhæti Marrubiorum Regis in Italia, qui, teste Servio, Casperiam novercam temeravit, Virg. Lib. X, v. 388.

*Aceſtes.* Siciliæ Rex, a quo Æneas exceptus, & multis generosi vini cadis donatus, Virg. Æn. I, v. 200.

237. *Pollice.* Argilla, cera, digitis fingitur, & in opus ducitur.

240. *Se verterit.* Annus in seipsum veluti revertitur, cùm desiit.

# SATIRA VIII.

## ARGUMENTUM ET SYNOPSIS.

*VITIA nobilium insectatur.*

STEMMATA quid faciunt ? Quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos,
Et Curios jam dimidios, nasumque minorem
Corvini, & Galbam auriculis nasoque carentem ? 5
Quis fructus generis tabulâ jactare capaci

*QUID emolumenti aut veræ solidæque laudis habet, Pontice, præclarus ordo nobilium avorum in antiqui generis serie descriptus ? Quid juvat longam vetustæ familiæ propaginem in Censorum libros referre ? ostentare majorum depictas imagines : invectos quadrigis Æmilianos ; Curios dimidiâ jam parte propter vetustatem exesos, Corvinum naso diminutum, Galbam non tantùm naso, sed auribus etiam truncatum ? Quænam e nobili genere utilitas & gloria capi potest, si quis in ingenti & ampla tabula*

1. *Stemmata.* Stemma *est* propriè corona, præsertim e floribus ; *vulgò sumitur pro* gentilibus insignibus, *pro* arbore, *ut aiunt*, prosapiæ & consanguinitatis, *un arbre généalogique.*

*Pontice*, vel amicus Juvenalis est : vel nobilis arrogans, claritate generis inflatus.

2. *Censeri.* Æstimari, laudari, a Censoribus notari.

3. *Æmilianos.* Duo Scipiones memorantur ; alter *Africanus major* dictus, alter *Africanus minor* ; qui etiam *Scipio Æmilianus* vocatur, quia genitus Paulo Æmilio Macedonum domitore, adoptatus deinde fuit a filio majoris Africani. Idem Carthaginem delevit, Numantiam cepit ; unde etiam *Numantinus* est appellatus, Lege Od. 7, Lib. IV Horat. pag. 248.

4. *Curios.* Sat. II, not. 3.

5. *Corvini.* Sat. I, not. 93.

*Galbam.* Septimum inter Cæsares.

Fumoſos Equitum cum Dictatore magiſtros,
Si coram Lepidis malè vivitur? Effigies quò
Tot bellatorum, ſi luditur alea pernox,
Ante Numantinos? ſi dormire incipis ortu
Luciferi, quò ſigna Duces, & caſtra movebant?
Cur Allobrogicis, & magnâ gaudeat arâ

*commonſtret venditetque Dictatores, & adjunctos illis magiſtros Equitum, fumo & vetuſtate obſoletos, idemque ante Lepidorum imagines vitam infamem & flagitioſam vivat? Quid afferunt tibi decoris & ornamenti tot heroum vellicâ virtute pulchriſque laboribus inſignium deſcripti vultus, ſi Numantinis veluti ſpectantibus & exprobrantibus, totam noctem in alea traducis? ſi lectum petis oriente Lucifero, quo tempore Duces ſublatis ſignis relinquebant caſtra, & hoſtem invadebant? Cur majores ſuos, quibus cognomen Allobrogicum meritò datum eſt, jactet Fabius, in ea domo natus, quò originem ducit ab Hercule? Cur*

7. *Dictatore.* Dictator, Magiſtratus apud Romanos extraordinarius & fermè ſemeſtris difficillimis reipub. temporibus creabatur, ac ſummum in republica jus belli pacisque obtinebat; nomen ex eo ſumpſit quod a Conſule diceretur, *hoc eſt*, crearetur. Statim atque dictus erat, aliquem Magiſtrum Equitum nominabat, *id eſt*, primarium exercitûs Ducem, qui tamen ſine arbitrio nutuque Dictatoris gerere nihil poterat.

*Fumoſos.* Fuligine obſitos, ob vetuſtatem, & fumo propter ignem qui vulgò accendebatur in atriis, ubi proſtabant illæ imagines.

8. *Lepidis.* Sat. VI, nota 195.

10. *Numantinos.* Suprà, nota 3.

11. *Luciferi.* Inter ſeptem planetas numeratur Venus. Circa ſolem vertitur, cúmque illum præcedit, *Lucifer* appellatur, & omnium ſtellarum poſtrema cerni deſinit; cùm ſubſequitur ſolem, *Heſperus* ſeu *Veſper* dicitur, & noctem quaſi inducit.

12. *Allobrogicis.* Q. Fabius Maximus, reportatâ de Allobrogibus & Arvernis, ad Iſaram fluvium, inſigni victoriâ, cæſis hoſtium millibus centum & viginti, anno U. C. 633, cognomen Allobrogici, ſibi ſuiſque poſteris peperit; ejus filius a paterna virtute degener, vitam in luxu & voluptatibus exegit; hunc vates objurgat.

*Magnâ arâ.* Romæ, ad Circum Flaminium, viſebatur ingens ara, Herculi ſacra, ipſi olim ab Evandro dedicata, & ara maxima nuncupata. Hujus procuratio genti Fabiorum qui ſe oriundos ab Hercule dictitabant, conceſſa,

Natus in Herculeo Fabius Lare? si cupidus, si
Vanus, & Euganeâ quantumvis mollior agnâ,
Squallentes traducit avos: emptorque veneni
Frangendâ miseram funestat imagine gentem?
Tota licèt veteres exornent undique ceræ
Atria, *Nobilitas sola est, atque unica virtus.*
Paulus, vel Cossus, vel Drusus moribus esto:
Hos ante effigies majorum pone tuorum:
Præcedant ipsas illi, te Consule, virgas.
Prima mihi debes animi bona. Sanctus haberi,

*celebrem aram eidem Deo consecratam, ejusque sacra suæ familiæ hereditaria esse glorietur, si turpissimis cupiditatibus deditus, si ambitiosus, si ove Patavina mollior, si veneficus, priscas avorum suorum effigies dedecorat, inseritque illis funestam imaginem suam, dignam profectò, quæ ad obliterandam scelerati hominis memoriam, tollatur ex illo numero, & non sine dedecore infelicis familiæ, confringatur? Quamvis atria vetustis e cera imaginibus tota refulgeant,* in sola tamen virtute posita nobilitas est. *Paulus sanè, Cossus vel Drusus esto, sed moribus; neque vacuum duntaxat illorum nomen, sed virtutes repræsenta. Has avorum tuorum imaginibus præpone: ac si Consulatum geris, fac ut eædem illæ sint illustriora tuæ dignitatis ornamenta, quàm fasces duodecim, qui ante Consules gestari solent; si dici nobilis & haberi a me cupis, animi decora præclarasque dotes in te primùm exhibe. Si ea quæ dicis, quæ facis, hanc tibi jure laudem arrogant, ut vir*

14. *Euganea.* Euganei Italiam incoluerunt prope Altinum & Patavinum. Ibi ovium lanæ mollissimæ.

15. *Squalentes.* Avos vel imagines vetustate ac fumo sordidas: vel, homines incomptos, & cultum corporis negligentes.

*Traducit.* Sat. VII, nota *Traducit.*

16. *Funestat.* Ea domus in qua quispiam esset mortuus contaminata censebatur. Hinc umpta metaphora.

17. *Veteres ceræ.* Antiquæ majorum imagines, e cera factæ.

21. *Præcedant.* Fac ut prius te celebrent homines propter tuas virtutes, quàm propter dignitatis tuæ, *v. g.* Consulatûs insignia.

*Virgas.* Fasces qui a lictoribus duodecim, quocumque pergeret, ante Consulem deferebantur. Satir. V, nota 110.

22. *Prima, &c.* Nobilem animus facit, *inquit Seneca,*

Juſtitiæque tenax factis dictiſque mereris?
Agnoſco procerem. Salve, Getulice, ſeu tu
Silanus, quocumque alio de ſanguine rarus
Civis, & egregius patriæ contingis ovanti.
Exclamare libet populus quod clamat, Oſiri
Invento. Quis enim generoſum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantùm
Inſignis? Nanum cujuſdam Atlanta vocamus:
Æthiopem cygnum: parvam, extortamque puellam,
Europen. Canibus pigris, ſcabieque vetuſta
Lævibus, & ſiccæ lambentibus ora lucernæ,
Nomen erit pardus, tigris, leo; ſi quid adhuc eſt

*optimus, & æqui ſervantiſſimus meritò dicaris, nobilem te agnoſco, ſaluto libentiſſimè appelloque Getulicum, aut Silanum, aut quocumque demum honorifico nomine appellari malueris. Quacumque tandem e ſtirpe ſis procreatus, habet patria tua, quòd te ad felicitatem publicam editum præſtanti virtute civem & rarum hiſce temporibus, gratuletur; neque temperare mihi poſſum, quin erumpam in voces lætitiæ plenas, ut Ægyptii ſolent cùm Oſiridem ſuum invenerunt. Et verò quis hunc nobilem appellaverit, qui cùm ſe indignum genere ſuo præbeat, nihil quo glorietur præter illuſtre nomen, habet? Accidit aliquando, cùm jocari volumus, ut pigmæum Atlantem appellemus; nigrum inſtar Æthiopis, vocemus Cygnum; ut puella exiguo & diſtorto corpore deformis, Europe dicatur. Vetuli canes, depiles, ſcabioſi, ſiccas lambere lucernas ſoliti, vocentur pardi, leones, tigres, & ſi quod ferocius animal*

*Epiſt.* 44, non atrium plenum fumoſis imaginibus, &c.

24. *Getulice.* Cognomentum hoc fuit Coſſi.

25. *Silanus.* Vir ſtrenuus, Scipionis Legatus, Pœnos in Africa domuit, &c.

30. *Atlanta.* Atlas Mauritaniæ Rex, Aſtrologiæ peritus, ut obſervaret ſidera, in editiorem adſcendere locum ſolebat. Eam ob rem mutatus in montem, & cœlum humeris ſuſtinere dictus.

31. *Æthiopem.* Sat. II v. 12.

32. *Europen.* Filiam Agenoris, Regis Tyri.

33. *Lævibus.* Glabris. Pili excidunt canibus vetulis.

34. *Pardus.* Odorem ſuaviſſimum efflare dicitur: quo illectas feras & propiùs accedentes, interficit.

Quod fremat in terris violentiùs. Ergo cavebis,
Et metues, ne tu sic Creticus, aut Camerinus.
His ego quem monui? Tecum est mihi sermo, Rubelli
Plance, tumes alto Drusorum sanguine, tamquam
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses;
Ut te conciperet, quæ sanguine fulget Iuli,
Non quæ ventoso conducta sub aggere texit.
Vos humiles, inquis, vulgi pars ultima nostri,
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis.
Ast ego Cecropides. Vivas, & originis hujus
Gaudia longa feras: tamen imâ plebe Quiritem

*est. Cave ne tu ad hunc modum Creticus, aut Camerinus appelleris. Quem verò hæc petit oratio? quem infector? te, Rubelli Plance, cui magnos nimirum spiritus facit illa nobilitas, quàm e Drusorum stirpe ducis; perinde quasi hanc tuis egregiis facinoribus consequutus fores, meruisseque habere matrem e Julia gente, ab Iulo Ascanii filio propagatâ, potiùs, quàm vilem e plebe mulierculam, quæ operam suam alienis telis in aggere Tarquinii texendis locare solet. Vos (ita de nobis enim loqueris) viles animæ, ignobile vulgus estis; quorum parentes ita sunt obscuri, ut quo editi sint loco dicere vix quisquam possit; ego non minus antiquâ & clarâ nobilitate sum, quàm veteres illi Athenienses, qui se a Cecrope oriundos prædicabant. At tu macte istâ nobilitate, hac prosapia beatus & pulcher esto: nihilominus in infima illa, quam despicis, plebe reperias cives non vulgari præditos eloquentiâ,*

36. *Sic.* Nempe per jocum. Cave, ne ut scabiosus canis, vocatur leo, &c. ita tu voceris Creticus, &c.

*Creticus.* Sat. II, nota 42.

*Camerinus.* Sat. VII, nota 90.

37. *Rubelli Plance.* Illi, teste Cornelio Tacito, nobilitas per matrem ex Julia familia, &c.

41. *Sub aggere.* Aggerem Tarquinii intellige (de quo vide notam 153, Sat. V, ubi viles & plebeiæ feminæ telam texebant.) Sunt qui legant *sub aëre*, id est *sub dio.*

44. *Cecropides.* Primus Athenienſium Rex Cecrops. Ab eo Athenienſes dicti sunt *Cecropidæ*; suæ originis vetustatem ac nobilitatem eo nomine significantes.

45. *Quiritem.* Civem Romanum.

Facundum invenies, solet hic defendere causas
Nobilis indocti: veniet de plebe togatâ
Qui juris nodos, & legum ænigmata solvat.
Hic petit Euphraten juvenis, domitique Batavi
Custodes aquilas, armis industrius: at tu
Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ:
Nullo quippe alio vincis discrimine, quàm quòd
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.
Dic mihi, Teucrorum proles, animalia muta

*qui nobilium indoctorum jura tueantur: ex illa vulgi fæce prodeunt jurisperiti, qui leges ad solvendum difficillimas explicent, qui jus ambiguum & obscurum illustrent. Inde strenui juvenes leguntur qui armis victricibus in ultimi orientis oras penetrent, qui domitos nuper in occidente Batavos contineant, ne rebellent. Tu nihil interim aliud egregium, præter nobilis viri & Cecropidæ nomen habes, illis Mercurii statuis meritò comparandus, in quibus exstat, solum caput, reliquum verò corpus rude, ac trunco stupitique simillimum est: hoc unum discrimen inter te atque illas statuas intercedit, quòd tu statua viva, spiransque truncus es, illæ exangues & marmoreæ sunt. Age, o Tro-*

47. *Plebe togatâ.* Togis populus Romanus plurimum utebatur.

48. *Ænigmata.* Ænigma, Græca vox, sermonem obscurum significat.

49. *Euphraten.* Sat. I, nota 89.

*Batavi.* Hollandiam, quæ nunc dicitur, incolebant Batavi, Germaniæ inferioris populi, a Domitiano tunc subacti. Eos custodiebant, & ne quid molirentur ad excutiendum Romanorum jugum, impediebant præsidia & turmæ his locis relictæ, quæ per aquilas significantur; erant enim aquilæ, vexilla romani exercitûs, nempe, hastæ acuto ferro in ima parte præfixæ, ut faciliùs in terra defigi possent, quarum in summo exstabat aurea vel argentea effigies aquilæ. Nempe quia hæc avis erat ominis felicissimi, & Jovi (cujus in potestate ac numine bellorum fors) gratissima censebatur.

51. *Hermæ.* Statuæ dimidiatæ Mercurii Athenis plurimæ visebantur: illarum caput humerosque marmoreos basis lignea vel lapidea, instar trunci rudis ac impoliti, sustinebat: itaque cùm in iis nec brachia nec pedes exstarent, rectè hominem ignavum & inutilem adumbrabant.

54. *Teucrorum proles.* Qui

Quis generosa putet, nisi fortia? Nempe volucrem
Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
Fervet, & exsultat rauco victoria Circo.
Nobilis hic, quocumque venit de gramine, cujus
Clara fuga ante alios, & primus in æquore pulvis.
Sed venale pecus Corythæ, posteritas & 60
Hirpini, si rara jugo victoria sedit.
Nil ibi majorum respectus, gratia nulla
Umbrarum: dominos pretiis mutare jubentur
Exiguis, tritoque trahunt epirhedia collo
Segnipedes, dignique molam versare Nepotis. 65

*jugena, ex animalibus quænam arbitramur esse nobilia, nisi quæ præstant robore? scilicet hunc in pretio habemus equum, qui plurimas in Circo victorias tulit, cui currenti vincentique faustis clamoribus applausit læta spectantium multitudo. Nobilem hunc itaque censemus, quocumque natus & pastus in agro sit, qui celeritate pedum alios antevertens, primus omnium pulverulentum ungula sonante campum quatit. Contrà verò posteri & nepotes equæ illius nobilissimæ Corythæ, item Hirpini equi laudatissimi, cum gregariis equis venduntur, si rarò victoriam retulerint. Nemo respicit illorum majores, nemo illis ob nobiles parentum Umbras & Manes favet: vili pretio venditi ad novos heros transire coguntur, ignavæ pecudes, & attritâ cervice operam trahendis plaustris, aut versandâ Nepotis molâ, navant. Si vis igitur ut te laudemus, o Rubelli,*

te a Teucris ducere originem gloriaris. Nobilem Romanum e Cæsarum familia, sic vocat, quia Cæsar Augustus a Trojanis & Æneâ originem ducebat, quæ causa Virgilio fuit Æneidos faciendæ. Teucer Phrygiæ Rex, Dardano, socero suo, successit in regnum, & Dardaniam urbem condidit, quæ deinde dicta etiam *Troja*, hinc *Trojani* dicuntur promiscuè *Teucri* & *Dardanidæ*.

56. *Facili*, &c. Ordo verborum est, cui plurima victoria fervet palmâ facili, &c.

60. *Sed venale*, &c. Ordo verborum est. *Sed posteritas Corythæ & Hirpini, est pecus venale.*

*Corythæ.* Equa fuit nobilis & celebrata versibus poëtarum, ut equus hirpinus.

61. *Jugo.* Quadrigas agitabant in Circo, quarum jugum auriga instans equis insidebat.

65. *Nepotis.* Mulionis tunc noti.

Ergo ut miremur te, non tua, primum aliquid da,
Quod possim titulis incidere præter honores,
Quod illis damus, & dedimus, quibus omnia debes.
Hæc satis ad juvenem, quem nobis fama superbum
Tradit, & inflatum, plenumque Nerone propinquo.
Rarus enim fermè sensus communis in illa
Fortuna. Sed te censeri laude tuorum,
Pontice, noluerim sic, ut nihil ipse futuræ
Laudis agas. *Miserum est aliorum incumbere famæ,*
*Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.*
*Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.*
Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer: ambiguæ si quando citabere testis,

*non majorum tuorum nobilitatem & egregia facinora, quæ extra te sunt; sed aliquid nobis præbe, quod verè tuum possim dicere, & insculpere saxis ac monumentis titulos tuos & honorificas appellationes præferentibus; cedo, inquam, aliquid aliud præter illos honores, quos concessimus, atque adeo libenter etiamnum concedimus tuis majoribus, quibus acceptum refers quidquid gloriæ & nobilitatis obtines. Sed hæc modò sufficiant ad juvenem monendum, quem narrant efferre se insolentius & gloriari Neronis propinquitate. Nec mirum: quippe illi, quos in isto gradu felix fortuna collocavit, communi ferè sensu carent. Te verò, Pontice, majorum tuorum laudibus duntaxat magnum esse nolim, adeo ut nihil per te ipse geras, quod laudent posteri.* Miser est qui alienâ nititur & viget famâ, haud secus ac ædificia suppositis columnis innixa, quas ubi subduxeris, ruere molem totam necesse est; aut instar palmitum, qui nisi ad ulmos applicentur, jacent. *Strenuum te militem præbe, tutorem æquum, arbitrum in componendis litibus incorruptum: si fortè contingat ut in dubia incertâque causâ testimonium dicere co-*

72. *Censeri.* Suprà, nota 2.

76. *Palmes.* Vitis, ut pote imbecilla, solet adjungi & quasi maritari ulmis, quæ viduæ ac steriles cùm sint, fœcundæ quodammodo sic fiunt.

77. *Arbiter.* Arbitrum inter ac judicem hoc interest, quod judex ex lege & jure; arbiter, ex æquo & bono, lites amicè componit.

Incertæque rei, Phalaris licèt imperet ut sis
Falsus, & admoto dictet perjuria tauro;
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas.
Dignus morte perît, cœnet licèt ostrea centum
Gaurana, & Cosmi toto mergatur aheno.
Exspectata diu tandem provincia cùm tę
Rectorem accipiet, pone iræ fræna modumque,
Pone & avaritiæ; miserere inopum sociorum.
Ossa vides Regum vacuis exsucta medullis.
Respice quid moneant leges, quid curia mandet;
Præmia quanta bonos maneant, quàm fulmine justo
Et Capito & Numitor ruerint, damnante Senatu,

*garis, tametsi Phalaris ad falsum testimonium ferendum te impellat, candentisque tauri supplicium interminetur, ni falsum jures, piaculum immane esse puta, ut fugias necem, admittere quippiam pudendum & viro probo indignum, utque vitam retineas, facere jacturam virtutis & honestatis, propter quam colendam concessa nobis est vita. Qui ob sua flagitia mortem est commeritus, jam periisse censendus est; imò perinde se habet, ac si jam esset mortuus, quamvis ostreis in Lucrino captis mari vescatur, & unguentis Cosmi totus perfundatur ac diffluat. Cùm in provinciam tot votis expetitam perveneris, eamque susceperis administrandam, iræ frænos & avaritiæ sedulò injice, sociorum inopiam & calamitates respice; ecquid Reges ab avaris provinciarum Præfectis spoliatos, ac tamquam ossa exsuctis ipsis medullis sicca, opibus exutos intueris? Considera quid præcipiant leges, quid Senatus jubeat, quibus præmiis afficiantur probi, quàm atroci justâque sententiâ, ceu fulmine perculsi Capito Numitorque fue-*

79. *Phalaris.* Tyrannus in Sicilia.

84. *Gaurana.* Gaurus mons Campaniæ Italicæ prope lacum Lucrinum, ubi optima ostrea.

*Cosmi.* Cosmus celebris erat unguentarius.

87. *Sociorum.* Populorum qui in societatem & amicitiam populi Romani sunt accepti.

88. *Ossa, &c.* Reges ad medullas usque exsuctos & comesos, ut vulgò loquimur.

91. *Capito, Numitor.* Ambo repetundarum damnati, ob spoliatam Ciliciam.

Piratæ Cilicum. Sed quid damnatio confert,
Cùm Panſa eripiat quidquid tibi Natta reliquit?
Præconem, Chærippe, tuis circumſpice pannis,
Jamque tace. Furor eſt poſt omnia perdere naulum.
Non idem gemitus olim, nec vulnus erat par
Damnorum, ſociis florentibus, & modò victis.
Plena domus tunc omnis, & ingens ſtabat acervus
Nummorum, Spartana chlamys, Conchylia Coa,
Et cùm Parrhaſii tabulis, ſigniſque Myronis

*rint, & a Senatu condemnati : piratarum Cilicum piratæ, ac latronum latrones. Quamquam quid miſeros provinciales juvat, quod aliquis provinciæ Præfectus fuerit condemnatus ; ſi quod ipſis reliquum Natta fecit, Panſa furetur & adimat? Si me audis, Chærippe, quæres tibi præconem, qui auctione conſtitutâ veſtes tuas & ſupellectilem vendat : mox ubi pecuniam ex iis redactam in tuto collocaveris, ſilebis, neque Præfectum accuſaturus Romam te conferes, nullo tanti laboris & itineris operæ pretio. Inſignis dementiæ eſſet, cùm reliqua perdideris, etiam longæ navigationis impenſas velle amittere. Olim cùm ſocii noſtri florentes ac lauti erant, cùm recèns a nobis Imperio adjuncti, minori damno ac dolore ſpoliabantur. Tunc etiam abundabant eorum domus nummis, veſtibus Laconicis, Coâ purpurâ, ſpirantibus tabulis pictis, & ſtatuis ex ebore a ſummis artificibus Myrone, Phidia, Po-*

92. *Cilicum.* Cilices, in Aſia minori, oram ejus Auſtralem obtinebant. Antequam a Pompeio coercerentur, piraticâ infames fuerunt.

93. *Panſa, Natta.* Poſterior provinciæ Præfectus : *Natta*, ejus anteceſſor. Ficta fortaſſe nomina.

94. *Charippe.* Nomen ſocii alicujus fortaſſe fictum.

*Pannis tuis.* Ne illos tibi Præfectus provinciæ quiſpiam eripiat.

95. *Naulum.* Pretium navigationis.

96. *Par.* Tunc enim opulentis adimebantur ſuperflua, nunc egentibus eripiuntur neceſſaria.

99. *Spartana.* In Laconia, parte Auſtrali Græciæ (ubi Lacedæmon, ſeu Sparta) eſt Tænarus promontorium, in eoque tractu capiuntur optimi murices, piſciculi, quorum e ſanguine fit purpura.

*Conchylia.* Sat. III, nota 80.

*Coa.* Cos, inſula maris Ægei, Cariæ adjacens, Apellis patria ; ibi texebantur tenuiſſimæ veſtes e bombyce.

100. *Parrhaſii.* Pictoris Epheſini.

Phidiacum vivebat ebur, necnon Polycleti
Multus ubique labor; raræ sine Mentore mensæ.
Inde Dolabella est, atque hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres. Referebant navibus altis
Occulta spolia, & plures de pace triumphos.
Nunc sociis juga pauca boum, & grex parvus equarum,
Et pater armenti capto eripietur agello:
Ipsi deinde Lares, si quod spectabile signum,
Si quis in ædicula Deus unicus. Hæc etenim sunt
Pro summis: nam sunt hæc maxima. Despicias tu
Forsitan imbelles Rhodios, unctamque Corinthum:
Despicias meritò. Quid resinata juventus,

*lycleto elaboratis. Renidebant omnia præclaris illis operibus, vix ullam vidisses mensam sine poculis a Mentore cælatis. Ille videlicet sociorum opes occasionem dederunt furtis & sacrilegiis quæ Dolabella, Verres, Antonius admisere. Deportabant Romam e provinciis naves onustas congestis clam miserorum exuviis, deque spoliatis in pace sociis plures ac utiliores triumphos, quàm de iisdem bello victis, domitisque referebant. At illis nunc aliud nihil auferri potest, nisi agellus, pauca boum paria, armentum equarum, & equus tauruſve ad sobolem gregis sufficiendam delectus; Dii domestici, aliqua statua paulò elegantior, & si quod est unicum in sacello numen. Quamvis enim illa signa rudia sint & obsoleta, nihilominus apud illos maximo in pretio & honore habentur. Contemnis tu quidem, & impunè deprædaris Rhodios viribus destitutos, aut deditos voluptatibus Corinthios; & verò*

101. *Phidiacum.* Phidias sculptor nobilis, & statuarius; itemque Polycletus.

103. *Dolabella.* Asiam diripuit, quam pro Consule regebat.

*Antonius.* Caius Antonius, cùm Achaïam depopulatus esset, Senatu motus est.

104. *Verres.* Siciliæ Prætor, orationibus Tullianis non minus quàm suis sceleribus insignis.

108. *Lares.* Sat. VI, nota 3.

111. *Rhodios.* Sat. VI, nota 219. *Illinc Rhodos.*

*Corinthum.* Urbem Græciæ amplissimam, in Isthmi, quo Peloponnesus cum reliqua Græcia committitur, faucibus sitam: *Coranto.*

112. *Resinata.* Resina, est picis quoddam genus: eâ

Cruraque totius facient tibi lævia gentis?
Horrida vitanda est Hispania, Gallicus axis,
Illyricumque latus: parce & mesforibus illis,
Qui saturant urbem, Circo scenæque vacantem.
Quanta autem inde feres tam diræ præmia culpæ,
Cùm tenues nuper Marius discinxerit Afros?
Curandum in primis, ne magna injuria fiat
Fortibus & miseris: tollas licèt omne quod usquam est
Auri atque argenti; scutum gladiumque relinques,
Et jacula, & galeam. Spoliatis arma supersunt.
Quòd modò proposui non est sententia: verùm

*quid est ab illis populis mollibus, & in polienda curandaque cuticula unicè occupatis metuendum? Sed cave lacessas Hispanos, Gallos, aut Illyrios: omitte messores illos, qui Romam ludis scenicis intentam pascunt. Nam præter quam quod nihil iis spoliandis faceres lucri, cùm a Mario nuperrimè spoliati & exhausti sint, plurimum etiam adires periculi. Non sunt facilè injuriâ graviore afficiendi viri fortes, iidemque calamitosi: est enim cetera illis abstuleris, scutum nihilominus, ensem, sagittas, & cassidem non auferes. Exuti omnibus fortunis reperient arma tamen quibus pœnas a suis prædonibus repetant. Quæ loquor nolite sic accipere, ut si essent sententiæ ad dicendi*

utebantur ad pilos corporis vellendos, & cutem lævigandam.

114. *Axis.* In sphæra, axis est linea per centrum ducta a polo ad polum: pro tota *sphæra tum cœlesti, tum terrestri*, aut *ejus aliquâ parte*, accipitur.

115. *Illyricum.* Illyris, sive Illyrium, & Illyricum, est Europæ regio ampla, ad dextrum Adriatici maris littus.

*Messoribus.* Afros intelligit qui frumentum Romæ alendæ suppeditabant.

116. *Circo.* Sat. III, nota 280; & Sat. VI, v. 440.

118. *Marius.* Sat. I, nota 37 & 39.

*Discinxerit.* Discingere, *est* zonam tollere, cingulum solvere; *ac per metaphoram*, spoliare, crumenam eripere: ferebant quippe Romani marsupia in zonis.

123. *Non est sententia.* Effata quædam & propositiones ad pompam potiùs quàm ad veritatem comparatæ conscriptæque. Alii referunt hanc vocem ad id quod modò dixit de Afris, & spoliatis sociis, futurum nempe ut arma

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.
Si tibi ſancta cohors comitum ; ſi nemo tribunal
Vendit Acerſecomes ; ſi nullum in conjuge crimen :
Nec per conventus, nec cuncta per oppida curvis
Unguibus ire parat nummos raptura Celæno :
Tunc licet a Pico numeres genus : altaque ſi te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter majores, ipſumque Promethea ponas :

*pompam compoſitæ : tam certa ſunt, quàm ipſa Sibyllarum oracula. Si cùm provinciam gubernas, omnes tui adminiſtri & domeſtici probi ac ſceleris expertes ſunt : ſi nullus adoleſcens tibi carus Edictorum tuorum flagitioſam exercet domi tuæ nundinationem, & iniquas a te ſententias ipſe pecuniâ corruptus non extorquet, ſi pura criminis, nec avara tibi eſt conjux, quæ per conventus ac civitates diſcurrat, pecuniam aduncis manibus inſtar Harpyiæ corraſura : tunc per me licebit originem tui generis ab ipſo Pico repetere, ac ſi arridenti tibi præclaræ quædam, & a primis repetitæ ſeculis appellationes, concedam ut omnes Titanas qui contra Jovem pugnaverunt, ipſumque Prometheum in majorum tuorum reponas numero,*

convertant in Romanos, *hoc non eſt commentum aut mea duntaxat opinio, ſed certiſſimum vaticinium : Romanum illi jugum excutient, ſi pergant eos opprimere provinciarum Præfecti.*

124. *Folium.* In foliis arborum ſua reſponſa perſcribebat Sibylla Cumana. In ejus libris contineri fatum Imperii Romani credebatur.

*Sibyllæ.* Sat. III, nota 3.

125. *Tribunal.* Sumitur hîc pro *ſententia quæ fertur a judice in tribunali ſedente.*

126. *Acerſecomes.* Intonſus, bene capillatus, & eleganter comptus.

127. *Conventus.* Sic appellabantur *oppida quædam celebriora provinciæ alicujus*, quo ſtatis diebus populus e vicinis locis conveniebat, litium dirimendarum causâ, nundinarum, &c.

128. *Celæno.* Una eſt ex harpyiis de quibus plura, vide apud Virgilium III Æneid. verſu 212.

129. *Pico.* Primus Aborigenum in Italia Rex, fuit Saturni filius, Fauni pater. Virg. VII Æn. v. 48.

130. *Titanida pugnam.* Titan Saturni & Opis frater major natu fuit : Cœli & Veſtæ filius. Vide appendicem, c. 1.

131. *Promethea.* Sat. IV, nota 130.

De quocumque voles proavum tibi ſumito libro.
Quòd ſi præcipitem rapit ambitus, atque libido,
Si frangis virgas ſociorum in ſanguine, ſi te
Delectant hebetes laſſo lictore ſecures:
Incipit ipſorum contra te ſtare parentum
Nobilitas; claramque facem præferre pudendis.
*Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe*
*Crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur.*
Quo mihi te ſolitum falſas ſignare tabellas
In templis, quæ fecit avus; ſtatuamque parentis
Ante triumphalem? Quò, ſi nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo?
Præter majorum cineres, atque oſſa volucri
Carpento rapitur pinguis Damaſippus; & ipſe,
Ipſe rotam ſtringit multo ſufflamine Conſul.

*& ex quacumque fabula vel hiſtoria litteris mandata proavum tibi deligas. Si verò libidine atque ambitu vecors in omne ſcelus proruis; ſi faſces in ſociorum vulneribus & cruore frangi jubes, ſi tacitâ lætitiâ perfunderis, cùm defatigati ſunt cædendo lictores; cùm ſecures crebris ictibus hebetatæ; tunc incipit probro tibi eſſe ac dedecori avita nobilitas, & quaſi admota propius face, tua flagitia illuſtrare:* eò quippe clarius apparet quodlibet ſcelus atque exſtat, quò clarior is a quo admittitur, & illuſtrior eſt. *Quid te mihi nobilibus ortum avis prædicas, te, inquam, qui teſtamenta falſa obſignare ſolitus es, in iis ipſis templis quæ avi tui condiderunt & ante ſtatuam tui patris triumphalem? Te, qui, ut fœdiſſimis voluptatibus indulgeas, intempeſtâ nocte prodis, & vili cucullo caput, ne quis te agnoſcat, obvolvis? En obeſus ille Damaſippus currum agitat in via, quam majorum ſuorum tumuli & monumenta prætexunt; nec dubitat, licèt ſit Conſul, non*

141. *In templis.* In iis obſignabant teſtamenta, & alia inſtrumenta, ut loci ſanctitas metum ac religionem injiceret obſignantibus.

143. *Santonico.* Apud Santones, Galliæ populos, *la Saintonge*, conficiebantur vilia quædam capitis tegmina, quos cucullos vocabant, & quibus infima plebs multùm utebatur.

145. *Damaſippus.* Fictum nobilis cujuſdam nomen, aurigæ munus obire amantis.

146. *Sufflamine.* Sufflamen vocatur quodlibet retinaculum, rotæ radiis inſertum,

Nocte quidem; sed luna videt; sed sidera testes
Intendunt oculos. Finitum tempus honoris
Cùm fuerit, clarâ Damasippus luce flagellum
Sumet, & occursum nusquam trepidabit amici
Jam senis, ac virgâ prior innuet, atque maniplos
Solvet, & infundet jumentis hordea lassis.
Interea dum lanatas, torvumque juvencum
More Numæ cædit Jovis ante altaria, jurat
Hipponam, & facies olida ad præsepia pictas.
Sed cùm pervigiles placet instaurare popinas,
Obvius assiduo Syrophœnix udus amomo
Currit, Idumeæ Syrophœnix incola portæ,
Hospitis affectu dominum, regemque salutat,

*erubescit, inquam, rotas sufflaminare. Noctu quidem hæc fiunt, fateor, sed luna cernit, sed testes totidem oculati, quot astra, sunt. Abierit Consulatu Damasippus, meridianâ luce sumet in manus flagellum, nec amico jam seni occurrere fugiet: immo flagello stridente obvium salutabit; ipse fœni fasciculos solvens equis defatigatis atque hordeum apponet: dumque, pietatem Numæ simulans, oves, aut vitulum Jovi ante aras immolabit, Hipponam solam, Agasonum Deam præsidem, & alia quæ jumentis favent, ideoque in stabulis picta cernuntur, numina jurabit. Jam, cùm idem Damasippus, omisso currum agitandi studio, repetit popinam, ubi totas perpotando noctes ducit, en tibi advolat occurritque unguentarius quispiam Syrophœnix, cujus officina Idumeæ portæ vicina est: ille Damasippum regem dominumque compellans, honorificam illi*

impedienque ne rota circumagatur, atque adeo currûs celeritatem & impetum retardans.

151. *Jam senis.* Cujus gravitate admoneri, & levitatem suam ineptiasque deberet abjicere.

154. *Numæ.* Sat. III, nota 12.

155. *Hipponam.* Deam mulionum & aurigarum.

157. *Syrophœnix.* Fictum nomen unguentarii. E Syria & Phœnicia, regionibus Asiæ, exquisita mittebantur aromata.

*Udus.* Unguenta ferè pinguia sunt, ob oleum admixtum.

*Assiduo amomo.* Assiduâ tractatione amomi, unguenti humidi, quod conficiebant ex amomo, arbusculâ suavissimum odorem spirante. Hæc in Arabia ferè nascitur.

159. *Idumeæ portæ.* Una inter portas Romanæ urbis.

Et cum venali Cyane succincta lagenâ.
Defensor culpæ dicet mihi : Fecimus & nos
Hæc juvenes. Esto ; desisti nempe, nec ultrà
Fovisti errorem. Breve sit quod turpiter audes :
Quædam cum prima resecentur crimina barba.
Indulge veniam pueris. Damasippus ad illos
Thermarum calices, inscriptaque lintea vadit,
Maturus bello Armeniæ, Syriæque tuendis
Amnibus, & Rheno, atque Istro : præstare Neronem
Securum valet hæc ætas. Mitte Ostia, Cæsar,

*salutem dicit, quo more solent hospites, dum comiter & urbanè prætereuntes invitant : adest etiam Cyane, ad ministrandum expedita, amphoram generosi vini gestans. Audio quid ab aliquo dici ad excusandum Damasippum possit : nempe idem a se aliàs juvene factitatum esse : sit ita sanè ; at istas nugas valere jussisti denique, nec ultra juveniles annos ineptire perrexisti. Detur brevi stultitiæ venia : sint flagitia quædam adolescentiæ, quæ cum prima pariter barba deponantur. Pueris aliquid peccare fas sit : verùm Damasippus eâ jam ætate provectus, quâ bellum gerere posset in Armenia, & contra hostium incursiones Syriam, Germaniam, immo ipsum Neronem defendere, non erubescit perpotare in thermis, & vilissimas popinas consectari, quarum foribus appensa lintea indicant quid in eis*

160. *Cyane.* Cauponis uxor : copa.

166. *Thermarum.* Sat. VII, nota 233. Balnearum suprema pars propriè vocabatur *Thermæ* : ibi enim vel ad ignem, vel ad solem sudabatur : pars media calidas, quibus corpora lavarentur, aquas continebat ; ima, frigidas ; primùm quippe sudabant ; deinde corpus lavabant aqua ; denique illud oleo perungebant.

*Inscripta lintea.* Pro foribus cauponarum appendi solent tabellæ, vel telæ, in quibus inscribuntur quæ ibi venalia sint & quo pretio.

167. *Armeniæ.* Sat. VI, nota 402.

*Syriæ amnibus.* Oronti, Euphrati. Sat. III, nota *Orontes.* In fluviis plurimum est momenti ad oppugnandam propugnandamve regionem.

168. *Rheno.* Rhenus, *le Rhin*, ingens fluvius, a Meridie ad Septentrionem fluens, inter Galliam & Germaniam.

*Istro.* Ister, sive Danubius, maximum Germaniæ flumen, *le Danube.*

169. *Hæc ætas.* Nempe provectior.

*Ostia.* Ad Ostium Tiberis

Mitte; sed in magna Legatum quære popina.
Invenies aliquo cum percussore jacentem
Permistum nautis, aut furibus, aut fugitivis;
Inter carnifices, & fabros sandapilarum,
Et resupinati cessantia tympana Galli.
Æqua ibi libertas, communia pocula, lectus
Non alius cuiquam, nec mensa remotior ulli.
Quid facias talem sortitus, Pontice, servum?
Nempe in Lucanos, aut Thusca ergastula mittas.
At vos, Trojugenæ, vobis ignoscitis, & quæ
Turpia cerdoni, Volesos, Brutosque decebunt.

*væneat. Quæris Legatum, Cæsar, qui bellum tuo nomine auspiciisque gerat, omitte urbem Ostiensem, noli eum ibi quærere; sed in aliqua Romæ caupona insigni, ubi hominem reperies mensæ accumbentem cum aliquo sicario, in promiscua nautarum, servorum nequam, & latronum turba, cum carnificibus, ac sandapilarum fabris, cum Cybeles sacerdotibus in dorsum abjecto tympano temerè jacentibus ac sternentibus. Ibi omnes pari quidlibet faciendi libertate gaudent, iisdem utuntur scyphis, eodem in lecto accumbunt, neque est ulla mensa seorsum alicui, honoris ergo, posita. Quid servo faceres, Pontice, si talem nactus esses? Opinor eum amandares in Lucaniæ agros, vel Tusciæ, ut ibi vinctus compedibus, terram exerceret. At vos, o Romani nobiles, qui originem vestram a priscis illis Trojanis ductam ambitiosè venditatis, ea in vobis toleranda, immo laude censetis digna, quæ in mancipio jure plectenda duceretis, perinde quasi honestè fieri a Brutis Volesisque pos-*

condita olim urbs fuit cum portu. Porro in urbe Ostiensi vulgò morabantur Legati & Duces, quia inde navim cum exercitu conscendebant, bellum, quò jussisset Imperator, deportaturi.

170. *Legatum.* Is *dicebatur in bello*, qui præerat copiis, nomine Imperatoris, aut primarii alicujus Ducis, *Lieutenant.*

173. *Sandapilarum.* Sandapila, plebeium & vile feretrum est.

174. *Galli.* Vide append. cap. 2.

178. *Lucanos.* Lucania, pars est Italiæ extremæ, ad Meridiem, prope Calabriam.

*Tusca.* Tuscia, *la Toscane*, pars Italiæ mediæ, supra Romanum agrum.

*Ergastula.* Sat. VI, nota 102.

180. *Cerdoni.* Cerdo, *un*

Quid, si numquam adeo fœdis, adeoque pudendis
Utimur exemplis, ut non pejora superſint?
Conſumptis opibus vocem, Damaſippe, locaſti
Sipario, clamoſum ageres ut phaſma Catulli.
Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,
Judice me, dignus verâ cruce. Nec tamen ipſi
Ignoſcas populo: populi frons durior hujus,

*ſent, quæ non ſine probro a ſutoribus veteramentariis admittuntur. Quid autem dicas aut quibus verbis deplorandos miſerrimorum temporum mores inquinatiſſimos arbitreris, ſi præter illa, quæ hactenus commemoravi, tam tetra, tam indigna, reſtant alia nihilominus longè turpiora? Damaſippus, re familiari per luxum & comeſſationes dilapidatâ, operam hiſtrionibus & actoribus fabularum navat, certâ mercede conſtitutâ, ut in Catulli comedia, cui Phaſma nomen eſt, partes agat. Video quid objici mihi poſſit, nempe ipſum Lentulum egiſſe quoque perſonam Laureoli cum dignitate. Ille verò meâ ſententiâ dignus fuit, qui veram in crucem ageretur. Neque tamen ipſe quoque populus accuſandus non eſt, qui adeo pudorem omnem exuit, ut ejuſmodi ſpectaculis adeſſe, ac viros*

*ſavetier.* Quilibet vilis opifex.

*Voleſos.* Illorum antiquiſſima familia fuit, e Sabinis oriunda.

*Brutos.* Brutus, primus Romæ Conſul, ac libertatis vindex.

183. *Locaſti.* Ut quæſtum ex arte ſcenica faceres.

184. *Sipario.* Siparium, *eſt* velum ſive aulæum, quo tegitur ſcena, quodque apud Romanos tamdiu depreſſum humi & complicatum jacebat, donec peracta eſſet fabula, vel donec ſcenæ ipſius apparatus, & ornatus theatri mutaretur: tunc enim erigebatur ab humo & tollebatur, ut ſcenam tegeret, *la toile, le rideau.*

*Phaſma.* Græca vox, *φάσμα, ſpectrum.*

185. *Laureolum.* Tragœdiæ ſive comœdiæ nomen fuiſſe teſtis eſt Gellius, in qua Laureolus ſervus in crucem actus ob ſcelera, ſpectabatur.

*Velox.* Qui ſervi agilitatem & verſutias ſtrenuè repræſentaret.

*Lentulus.* Nobilis Romanus, cujus majores bene multi Conſulatum geſſere. Gens illorum Cornelia.

186. *Verâ cruce.* Non ficta, in quam tolli fingebatur in ſcena.

Qui

Qui ſedet, & ſpectat triſcurria patriciorum;
Planipedes audit Fabios, ridere poteſt qui
Mamercorum alapas: quanti ſua funera vendant,
Quid refert? Vendunt nullo cogente Nerone,
Nec dubitant Celſi Prætoris vendere ludis.
Finge tamen gladios inde, atque hinc pulpita pone:
Quid ſatius? Mortem ſic quiſquam exhorruit, ut ſit
Zelotypus Thymeles, ſtupidi collega Corynthi?

*nobiliſſimos ſcurrarum viliſſimorum inepta dicta factaque imitantes, non dubitat intueri; Fabios indutos ſocco, & in theatro recitantes audire, Mamercos colaphis mulctatos, cum riſu & plauſu cernere ſuſtinet: huc adde quod nobiles iidem deſcendunt in arenam, & vitam ſuam pretio addicunt. Magno, fateor, at quantumcumque illud pretium ſit, nihilominus ad excuſandum dedecus parum refert, ſiquidem ſponte ſuâ, non, ut olim, coacti a Nerone gladiatoria iſta certamina ſuſcipiunt, idque palam, & in iis ludis quos Jubentius Celſus Prætor edit. Fac tamen ex una parte proponi tibi gladiatorum enſes, ex altera hiſtrionum theatra: utram artem potiorem, utram alteri præferendam putas? Quis tanto mortis & arenæ metu afficitur, ut ad eam evitandam agere malit in comœdia perſonam actoris qui ridicula zelotipia Thymeles laborare ſe fingat, & ſocium*

188. *Triſcurria.* Facta valde ſcurrilia.

*Patriciorum.* Sat. I, nota 22.

189. *Planipedes.* Factum vocabulum ex *planus* & *pes*: ſignificatque *ſervos*, aut *actores infimæ notæ*, qui planis ſive nudis pedibus, ſine cothurnis aut ſoccis, in theatro fabulas exhibebant.

*Fabios.* Sat. II, nota *Paulos*, &c. Sat. VI, nota 196, & ſuprà, nota 13.

190. *Mamercorum.* Pro nobiliſſimis quibuslibet ponuntur.

*Alapas.* Servos, quorum perſonam ſuſtinebant. Mamerci in comœdiis, vapulare inflictâ in genas palmâ, moris eſt.

191. *Nerone.* Nero multos nobiles depugnare in arena juſſit. Sueton. Neron. cap. 12.

192. *Celſi Prætoris.* Jubentium Celſum Præturam geſſiſſe ſub Trajano docet Plinius, Epiſt. 5, Lib. VI.

193. *Pulpita.* Loca in theatro editiora.

195. *Zelotypus, &c.* In comœdia quadam tunc pervagata, inducebatur actor zelotypia laborans, ut fit in ejuſmodi comicis fabulis.

*Thymeles.* Thymele, vel uxor, vel amica fuit Latini hiſtrionis.

*Collega.* Dicuntur *Collegæ*

Res haud mira tamen, citharœdo Principe, mimus
Nobilis. Hæc ultrà, quid erit nisi ludus? & illic
Dedecus urbis habes: nec mirmillonis in armis,
Nec clypeo Gracchum pugnantem, aut falce supinâ;
(Damnat enim tales habitus, & damnat & odit,)
Nec galeâ frontem abscondit: movet ecce tridentem,
Postquam vibratâ pendentia retia dextrâ
Nequicquam effudit, nudum ad spectacula vultum
Erigit, & totâ fugit agnoscendus arenâ.
Cedamus tunicæ, de faucibus aurea cùm se

*ac rivalem habere vecordem illum Corynthum? Quamquam quid mirum nobiles histrioniam exercuisse, cùm ipse Imperator citharœdus foret? Quænam deinceps Romæ florebunt artes, nisi ludicræ & infames? Quid quod ars ipsa gladiatoria non sine insigni dedecore tractatur ab iisdem nobilibus Romanis. Prodit in arenam Gracchus non iis tectus armis, quibus mirmillones utuntur, videlicet parmâ, recurvo ense, galeâ; displicet enim ipsi apparatus iste & armatura: solo instructus est tridente ac reticulo, quod ubi frustra protendit explicuitque, ut adversarium comprehenderet, detecto vultu fugam arripit, & ore subrecto, ut facilè agnosci a spectatoribus possit, caveam omnem perambulat. Demus locum fugienti nobili, revereamur ipsius tunicam, & funiculum aureum, longo volumine pendentem*

qui eumdem gerunt Magistratum, idem obeunt munus; sic vocat ironicè *nobilem*, qui actorem zelotypum repræsentans, sociam in eadem comœdia, vel in zelotypia, Corynthum haberet, ineptum histrionem.

196. *Citharœdo Principe.* Hæc in Neronem cadunt, qui Citharœdos coluit impensè, ac ipse cantare in theatro non erubuit. Suet. c. 10.

198. *Mirmillonis.* Vide Sat. II, not. 101.

199. *Gracchum pugnantem.* Sic Juvenalis de Graccho loquitur Sat. II, v. 101. *Vicit & hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi, Lustravitque fugâ mediam gladiator arenam.* Vide quæ annotavimus ad hæc verba.

*Supina.* Vel incurva, vel ad plagam infligendam erecta.

203. *Spectacula.* Spectatores. Vel ipsa tabulata & meniana, unde spectabat populus.

205. *Cedamus.* Gladiatores exercitati & victores ignoscere cogebantur ignavis & imperitis nobilibus: quos fæ-

Porrigat, & longo jactetur ſpira galero.
Ergo ignominiam graviorem pertulit omni
Vulnere, cum Graccho juſſus pugnare ſecutor.
Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni;
Cujus ſupplicio non debuit una parari
Simia, nec ſerpens unus, nec culeus unus?

*e galero : evadat ſanè incolumis, non ſine dolore atque ignominiâ mirmillonis, qui coactus cum Graccho pugnare, videt illum ſibi eripi, malletque graviſſimam quamlibet plagam, quàm hoc dedecus, accepiſſe. Si detur hæc populo facultas, ut poſſit, quid ſentiat, quos probet, libere aperire, an erit quiſquam adeo ſceleſtus, ut Senecam ſine ulla dubitatione non anteponat Neroni, qui ſe tot parricidiis inquinavit, ut ad eum meritis mactandum pœnis unica ſimia, anguis unicus & culeus non ſufficerent! Sanè Oreſtes, itidem, ut Nero, matrem interemit : ſed diſpar facinus*

pe ſervabat populus, vetans ne ab adverſariis interficerentur.

*Tunicæ.* Tunica veſtis *erat* interior, carens manicis, cui toga imponebatur.

206. *Spira.* Funiculus auro textus, & in ſpiram, *id eſt*, in orbem, convolutus, agitante vento.

*Galero.* Retiarius gerebat in capite pileolum deſinentem in acumen : ex quo hinc inde tæniæ pendebant, quæ ſub mento colligatæ cohibebant galerum, ne capite excideret, ventoque jactatæ fluitabant.

207. *Ignominiam.* Turpe eſt victum adverſarium dimittere : cum ignavo pugnare, &c.

208. *Secutor.* Mirmillo, qui retiarium, jacto fruſtra reti, fugientem inſequebatur. Suprà Sat. II, not. 101.

210. *Senecam.* Neronis præceptorem, virum optimum, cujus exſtant ſcripta pleraque, homine Chriſtiano non indigna.

211. *Cujus ſupplicio, &c.* Tot parricidiis inquinatus Nero non unum ſupplicium merebatur, ſed multiplex.

212. *Simia.* Parricidæ apud Romanos hoc afficiebantur ſupplicio, ut in ſaccum e corio factum inſuerentur cum ſimia, gallo gallinaceo, viperâ & cane : tum in mare aut vicinum flumen, dejicerentur. Non unum parricidium Nero admiſit. Agrippinam matrem, Octaviam & Antoniam ſorores, nempe filias Claudii Cæſaris, a quo adoptatus erat : uxores duas Octaviam & Poppæam, Britannicum fratrem, &c. interfecit.

Par Agamemnonidæ crimen, sed causa facit rem
Dissimilem : quippe ille Deis auctoribus, ultor
Patris erat cæsi media inter pocula : sed nec
Electræ jugulo se polluit, aut Spartani
Sanguine conjugii : nullis aconita propinquis
Miscuit : in scena numquam cantavit Orestes ;
Troïca non scripsit. Quid enim Virginius armis
Debuit ulcisci magis, aut cum Vindice Galba ?
Quid Nero tam sævâ, crudâque tyrannide fecit ?
Hæc opera, atque hæ sunt generosi Principis artes,

*tamen est ob disparem causam. Orestes quippe patrem in convivio a Clytemnestra interfectum ulciscebatur, superis impellentibus & approbantibus : at nec sororis suæ Electræ, aut uxoris cæde manum commaculavit : non affines veneno sustulit, numquam in theatro cecinit, carmina de Trojæ excidio non composuit. Quid enim justius Virginium, Vindicem & Galbam excitare debuit ad pœnas de Nerone sumendas, quàm illa hominis vecordia, qui histrio, poëta, citharœdus esse non erubescret ? Quæris quodnam præclarum facinus ediderit Nero, toto illo tempore, quo imperium obtinuit, vel potiùs, quo diram tyrannidem exercuit ? Cantavit in scena, saltavit, versus fecit : hæc sunt illustria maximi Principis facinora, hæ sunt illius artes ;*

213. *Agamemnonidæ.* Orestis qui filius Agamemnonis & Clytemnestræ. Lege Sat. III.

215. *Media inter pocula.* Alii occisum Agamemnona in convivio, alii in balneo, aliter alii referunt.

216. *Electræ.* Sororis suæ.

*Spartani conjugii.* Hermione, Menelaï regis Spartæ filia, conjux Orestis fuit.

217. *Propinquis.* Nero Aulum Plancium, Ruffinum, Crispinum, &c. propinquos occidit.

218. *Cantavit.* Suet. c. 20, 21.

219. *Troïca.* Nero, ut narrat Eutropius, cùm vellet Trojæ captæ & incensæ imaginem aliquam cernere, urbis Romæ maximam partem incendi jussit : ipse suavi spectaculo captus tragicam induit vestem, & versus de Trojæ excidio a se compositos cecinit.

*Virginius.* Virginius Rufus, Germanici exercitûs Ductor, Julius Vindex, Galliæ Proprætor, Sergius Sulpitius Galba, Hispaniæ Præfectus, a Nerone descivêrunt, eumque solio deturbarunt, illud in primis questi, quòd totus scenicis artibus deditus nihil dignum Principe cogitaret.

Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita saltu
Proſtitui, Grajæque apium meruiſſe coronæ.
Majorum effigies habeant inſignia vocis :
Ante pedes Domitî longum tu pone Thyeſtæ
Syrma, vel Antigones ſeu perſonam Menalippes ;
Et de marmoreo citharam ſuſpende Coloſſo.

*cui nihil optatius erat, quàm in theatris exterarum gentium ſaltare indignum in morem, coronam ex apio in Græcorum certaminibus promereri, & Imperatoris Romani majeſtatem ludibrio turpiter exponere. Age, Nero, avorum tuorum imagines exorna illis præmiis, quæ ob canoram vocem es conſequutus : ante Domitii ſimulacrum depone veſtem theatralem, aut larvam, quâ indutus partes Thyeſtæ, Antigones vel Menalippes egiſti : ex illa Auguſti ſtatuâ ingenti marmoreâ ſuſpendi citharam jube. Quis illuſtriori*

223. *Pulpita.* Suprà, nota 193.

224. *Proſtitui.* Se ſpectandum & ridendum in theatro proponere.

*Apium.* Quatuor certamina publica erant apud Græcos celeberrima : *Olympica* in honorem Jovis inſtituta : in iis donabantur victores coronâ ex oleaſtro : *Pythia*, in honorem Apollinis ; corona dabatur victoribus ex lauro : *Iſthmia*, in honorem Palæmonis ſeu Melicertæ ; corona ex pinu erat confecta : *Nemæa*, in honorem Herculis qui leonem in Nemæa ſylva interfecerat ; vel Archemori, filii Lycurgi : victores coronabantur apio, *de l'ache*, herba quâdam. In iſtis certaminibus Nero præmium ſæpè retulit. Immo e Græcia quondam rediens, eodem invectus eſt Romam curru, quo Auguſtus olim triumphaverat, coronas a ſe relatas geſtans.

225. *Inſignia vocis.* Monumenta victoriæ ob cantum relatæ. Solebant hoſtium ſpolia, & rerum bene geſtarum præmia deponere ad ſtatuas avorum.

226. *Domiti.* Pater Neronis, itemque ejus avus vocabatur *Domitius Nero.*

*Thyeſtæ.* Thyeſtes filius Pelopis, nepos Tantali, frater Atrei : cujus uxorem cùm temeraſſet, Atreus interfectos Thyeſtæ filios patri epulandos appoſuit ; hinc natæ complures tragœdiæ.

227. *Syrma.* Sic vocatur veſtis ad pedes longè promiſſa & ampla, quâ utebantur actores fabularum.

*Antigones.* Œdippi filiæ, quæ patri ſuo excæcato ducem ſe præbuit.

*Menalippes.* Fuit Antiopes, Amazonum Reginæ, ſoror, ab Hercule, in bello quod cum Amazonibus geſſit, capta. Celebre tunc argumentum tragœdiarum.

228. *Coloſſo.* Coloſſus vocatur ſtatua quælibet major.

Quis, Catilina, tuis natalibus, atque Cethegi
Inveniet quicquam sublimius? Arma tamen vos
Nocturna, & flammas domibus, templisque
paratis,
Ut Braccatorum pueri, Senonumque minores;
Ausi quod liceat tunicâ punire molestâ.
Sed vigilat consul, vexillaque vestra coërcet.
Hic novus Arpinas ignobilis, & modò Romæ
Municipalis Eques galeatum ponit ubique

*loco natus fuit quàm Catilina, quàm Cethegus? Illi tamen sumptis in patriam armis, civium ædes ac Deorum templa nocturnis facibus incendere, Gallorum exemplo, tentaverunt. Dignum certè facinus, quod tunicâ molestâ gravissimisque suppliciis meritò plecteretur. At vigilantissimus Consul nefarias coïtiones vestras & arma impia reprimit. Hic ille homo novus & nullâ majorum nobilitate spectatus, oriundus Arpino & in Equestrem ordinem, ex illo ignobili*

Hoc in versu intelligitur Augusti statua cui Nero jussit appendi citharam ad se a judicibus inter cantantes constitutis, ut victori, allatam.

232. *Braccatorum.* Galli Narbonenses provinciæ ad mare Mediterraneum positi, vocati sunt olim *Braccati*, seu *Gallia Braccata*, a *braccis* seu *femoralibus*, quibus tunc utebantur. *Pueri Braccatorum*, locutio est græca, pro *Braccati Galli.*

*Senonum.* Senones in Gallia, circa Rhodanum & Ararim: illi Braccatis Gallis junti, cùm Italiam invasissent, Romanos ad fluvium Alliam ingenti clade affecerunt; ipsam urbem victores ingressi, eam incenderunt. Capitolium, ne caperent obstitit Camillus, qui pulsos Româ subinde funditus delevit.

*Minores.* Posteri, nepotes.

233. *Tunicâ molestâ.* Vestis erat e charta, cannabe, stuppa, illinebatur bitumine resinâ, pice; tum circumdabatur iis qui grave quidpiam & maximè incendia moliti fuerant: quâ demum incensâ vivi comburebantur. Vide Sat. I, not. *Tæda lucebis.*

234. *Sed vigilat, &c.* Opponit ignobilem Consulem, improbis nobilibus: vos patriam perdere voluistis; ille servavit.

*Vexillaque.* Vexilla *erant* cohortes divisæ in Centurias & harum singulis sua erant vexilla. Vegetius, l.b. 2.

235. *Novus.* Homines novos *Romani appellabant*, qui nullâ majorum dignitate insignes, suam sibi nobilitatem debebant.

*Arpinas.* Arpinum, oppidum Italiæ fuit, in Volscis: patria Tullii.

236. *Municipalis.* Municipia *dicebantur* Italiæ civita-

Præsidium attonitis, & in omni gente laborat.
Tantum igitur muros intra toga contulit illi
Nominis & tituli, quantum non Leucade, quantum
Thessaliæ campis Octavius abstulit udo
Cædibus assiduis gladio: sed Roma parentem;
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.
Arpinas alius Volscorum in monte solebat
Poscere mercedes alieno lassus aratro:
Nodosam post hæc frangebat vertice vitem,
Si lentus pigrâ muniret castra dolabrâ.

*municipio non ita pridem evectus, præsidia militum collocat in omni urbis parte, contra vestros impetus, timorem incutit sceleratis, confirmat probos, auxiliumque ad tuendam patriam ex omnibus populis accersit. Quamobrem tantam in urbe ac pace gloriam est consequutus, quantam adeptus Augustus non est in pugnis ad Actium aut Philippos commissis, & Romano sanguine tam liberaliter effuso. Roma in libertatem vindicata per Tullium, ipsi præclarum patris patriæ nomen arrogavit. Alter civis egregius, ex eodem ortus Arpino, alienum agrum arare mercede conductus in Volscorum montibus consueverat, ac duro in labore primam ætatem transigere: mox amplexus militiam extruendo castrorum vallo cum gregariis militibus & fabris operam navans, vapulabat a Centurione, impactâ capiti e sarmento virgâ, si operi segniùs incumberet. Idem ille tamen*

tes, quarum incolæ suis legibus utebantur, & eadem quæ Romani cives munia, *id est*, Magistratus eosdem & honores capere poterant Romæ.

239. *Leucade.* Leucas, nunc *Sancta Maura*, insula est ad oram occidentalem Epiri, prope Actium promontorium, ubi navali prælio Antonium & Cleopatram Augustus vicit.

240. *Thessaliæ, &c.* In campis Philippicis, prope Philippos urbem Thessaliæ, ubi Octavius Brutum & Cassium profligavit.

242. *Libera.* Catilinariæ conjurationis metu periculoque liberata.

243. *Alius.* Marius: de quo plura vide, Sat. X, n. 264.

*Volscorum.* Volsci, populus antiquæ Italiæ.

244. *Mercedes.* Stipendium & pretium pro agro arato.

245. *Vertice.* In suo vertice. Adeo graviter Marius cædebatur, ut vitis seu virga Centurionis e sarmento, pro more, confecta, rumperetur in humeris & capite Marii.

Hic tamen & Cimbros, & ſumma pericula rerum
Excipit, & ſolus trepidantem protegit urbem.
Atque ideò poſtquam ad Cimbros, ſtragemque volabant,
Qui numquam attigerant majora cadavera, corvi;
Nobilis ornatur lauro collega ſecundâ.
Plebeiæ Deciorum animæ, plebeia fuerunt

*unus ingruentibus Cimbris objecit ſe ſe, ac Romanam rem in ſummum timorem periculumque adductam ſuſtentavit. Eam ob rem poſtquam Cimbrorum cæde & ſanguine ſatiati ſunt corvi, numquam alias tantis tamque proceris cadaveribus paſti; Q. Catullus Marii collega, licèt nobilis, ſecundas in triumpho ac victoriæ gloria partes tulit. Plebeii fuere Decii pater & filius, atque infimo loco nati; ni-*

247. *Cimbros.* Germaniæ populum qui effuſus in Italiam anno U. C. 652, cum Teutonibus & Ambronibus, eam oppreſſurus videbatur. Creatus eſt quartùm Conſul Marius, adjuncto ipſi collega Q. Lutatio Catulo: in Gallias profectus eodem anno Teutonas debellavit ad Aquas Sextias: verùm quia Cimbris in Italia par Catulus non erat, ad hunc anno inſequente advolat, Cimbros ad Vercellas debellat, cædit ex illis centum quadraginta millia, ſexaginta millia capit &c. cúmque ipſi ſoli triumphus eſſet oblatus, voluit ejus participem eſſe Catulum, licèt Mario laus primaria victoriæ tribueretur. *Actum erat*, inquit Florus, Lib. III, cap. 3, *niſi Marius illi ſæculo contigiſſet.*

250. *Majora cadavera.* Germanorum procera moles celebratur apud Hiſtoricos ejus ævi.

251. *Nobilis ornatur lauro collega ſecundâ.* Q. Lutatius Catulus ipſe nobilis Marii Collega ſecundo tantùm loco triumphat, Marius verò licèt novus homo primas tulit. Nam & præcipuam rei geſtæ gloriam Mario attributam, referunt Livius & Plutarchus: adeo ut primores civitatis qui priùs ut novo homini tantos honores inviderant, conſervatam ab eo Rempublicam faterentur, & prædicarent.

252. *Deciorum.* Anno U. C. 414, bellum grave Romanos inter & Latinos exarſit. Conſulatum gerebant Titus Manlius Torquatus, & Publius Decius Mus. Ille filium quòd injuſſus viciſſet, ſecuri percuſſit: hic in ſomnis admonitus eam partem bello ſuperiorem fore, cujus Dux ſe Diis Manibus devoveret obiretque mortem pro patria, incitato in hoſtes equo fortiter occubuit, & victoriam Romanis peperit. Sub

Nomina: pro totis legionibus hi tamen, & pro
Omnibus auxiliis, atque omni pube Latinâ
Sufficiunt Dîs infernis, terræque parenti.
Pluris enim Decii, quàm qui servantur ab illis.
Ancillâ natus trabeam, & diadema Quirini,
Et fasces meruit Regum ultimus ille bonorum.
Prodita laxabant portarum claustra tyrannis
Exsulibus juvenes ipsius Consulis, & quos

*hilominus illi duo sufficerunt ad placandam Tellurem & Deos inferorum iratos Romano exercitui, auxiliaribus ejus copiis & omni Latino populo. Isti quippe duo pluris erant æstimandi, quàm Romani ceteri, qui ab imminenti exitio illorum pietate ac fortitudine sunt liberati. Qui nostros inter Reges probos justosque extremo loco regnum obtinuit, ille quamvis ancillâ genitus foret, ad hanc tamen summam potestatem est evectus, & regiæ dignitatis insignibus, quæ Romulus suis successoribus habenda transmiserat, trabeâ, fascibus, coronâ, meruit ornari. Tarquinius patri ac filio Româ pulsis, & in exsilium ejectis, ejusdem Romæ portas aperire, ac patriam prodere statuerant ipsius Bruti, primi omnium Consulis adolescentes filii, quos profectò decuisset egregium aliquid potius moliri pro asserenda liber-*

annum ejusdem urbis 459 Cisalpini Galli, cum Etruscis & Samnitibus conjuncti Romanos adorti sunt. Commisso prælio cùm nutaret acies Romana, P. Decius Cos. exemplo patris se devovit, eodem successu.

255. *Diis infernis, terræque.* Ideo se devovebant ut his veluti piacularibus hostiis placati Dii inferi, ceteris parcerent; nec alios raperet ad se terra, quæ mortuos sinu veluti suo complectitur, ac devorat.

257. *Ancilla natus.* Servius Tullius Romanorum Rex sextus, quem excepit Tarquinius Superbus, ignobili & obscuro loco natus, matre serva.

*Trabeam.* Vestem regiam, albis plagulis ornatam, trabium instar, assutis purpuræ. Eâdem Consules Romani utebantur. Augurum trabea hoc habebat peculiare, quod trabes illæ seu frusta insuta, essent coccinea.

*Quirini.* Sat. III, not. 60, & not. *Quirine.*

258. *Rerum ultimus, &c.* Post Servium quidem Tullium regnavit Tarquinius Superbus, at inter bonos Reges haud quaquam numerandus.

260. *Exsulibus.* Tarquinio Superbo, ejusque affectis, qui Româ pulsi ad Porsennam Regem Etruscorum perfugerunt.

*Juvenes.* Titus & Tiberius.

Magnum aliquid dubiâ pro libertate deceret ;
Quod miraretur cum Coclite Mutius, & quæ
Imperii fines Tiberinum virgo natavit.
Occulta ad patres produxit crimina servus
Matronis lugendus : at illos verbera justis
Afficiunt pœnis, & legum prima securis.
Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis

*tate publica nondum satis bene constituta, & egregii facinoris quidpiam edere, quod mirari atque adeo imitari possent Mutius Scævola, Horatius Cocles & Clælia, quæ in Tiberim fluvium, tunc Imperii Romani limitem, se immittere non dubitavit. Conjurationem sceleratam & arcana filiorum Bruti consilia Senatoribus aperuit servus cujus obitum matronæ Romanæ publico luctu prosequi observatam patriam meritò debuerunt : interim nobiles illi patriæ proditores meritâ mactati pœnâ, cæduntur virgis & securi feriuntur : quod supplicium ceterarum legum deinde conditarum initium & occasio extitit. Satius esset genitum esse te Thersitâ, modò esses Achilli par, & arma induere ac*

262. *Coclite.* Horatius miles Romanus, ob amissum in pugna oculum *Cocles* dictus, Porsennæ aciem a Sublicii pontis ingressu tamdiu prohibuit, donec pons a tergo abrumperetur. Ipse postmodum in Tiberim se projiciens, ad suos enatavit.

*Mutius.* Caius Mutius Cordus, propter ambustam sinistram, *Scævola* nuncupatus. Ille in Porsennæ Romam obsidentis castra penetravit, ibi pro Rege, quem petebat, aulicum sive satellitem interfecit : mox dextram, erroris quasi ream, ardenti, qui ibi fortè aderat, foculo, seu aræ injecit. Porsenna Romanam fortitudinem demiratus, acceptis obsidibus recessit, obsidionemque solvit.

*Et quæ, &c.* Clælia quædam, virgo Romana, data Porsennæ fuerat inter obsides. Elusis custodibus equum arripuit, trajectoque Tiberi se Romam incolumis recepit.

264. *Servus.* Vindicium fuisse dictum narrat Livius, Lib. II, c. 5.

265. *Lugendus matronis.* Vel dignus cujus fides etiam post mortem laudaretur, eo quòd fuisset auctor liberandæ patriæ, ut explicui ; vel, dignus cujus calamitas lugeretur, quippe quem Brutus, [ ita enim scribit vetus scholiastes ] ut conservatorem patriæ manumisit ; at tamquam delatorem dominorum cruci affixit : quod factum matronæ planxerunt.

*Filos.* Bruti filios ceterosque conjuratos. Virgil. VI Æneid. v. 817.

266. *Securis legum prima.*

Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas;
Quàm te Thersitæ similem producat Achilles.
Et tamen ut longè repetas, longéque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.
Majorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.

*tractare posses ab ipso Vulcano fabricata, quàm te Achille natum, & Thersitæ similem esse: quamvis tamen, o nobilis Romane, quisquis es, generis tui originem longissimè repetas, & ad ipsa Romæ incunabula recurras, oriundum te esse constabit ab illa perditorum hominum fæce, qui Romam, tamquam ad asylum perfugiumque facinorosis a Romulo apertum, se receperunt. Quicumque principem obtinet locum in longa illa tuorum majorum serie, aut pastor extitit, aut aliquid pejus, quod præ pudore ac verecundia reticeo.*

Ante leges conditas Romani securim ad plectendos fontes adhibebant. Securis, sive justa, quæ per securim infligitur pœna, dici potest prima omnium lex, *id est*, potentissima & efficacissima, quia metus pœnæ plus valet ad homines in officio continendos, quàm lex ulla.

267. *Thersites.* Græcus quidam fuit insigni deformitate & ignaviâ, quem Homerus describit, Lib. II Iliad.

268. *Æacidæ.* Achilles Æaci nepos fuit. Æacus Jovis filius & Pelei pater. In Ægina insula, e regione Atticæ sita, regnavit ac justitiæ laude præstitit, ob quam dicitur a Poëtis *judex inferorum* unà cum Minoë ac Radamantho constitutus esse.

*Vulcania.* Vulcanus a Thetide rogatus, arma Achilli fabricavit.

269. *Achilles.* Sat. I, nota 148.

271. *Gentem.* Sæpè vox illa sumitur pro *domo*, quæ in varias familias dividitur: sic gens Æmilia complectebatur familias Mamercorum, Scaurorum, Lepidorum, &c. Vide Sat. V, nota 127.

*Asylo.* Romulus, cùm Romam à se conditam frequentare civibus vellet, edixit ut quisquis in eam se reciperet, tutus ab inimicis & pœnæ ob scelera commeritæ expers, ac securus esset.

273. *Pastor fuit.* Collegit enim primò pastores Romulus & ipse pastor; atque adolescens inter pastores latrocinatus, Eutropio teste, initio Libri primi.

*Illud quod dicere nolo.* Præ pudore & verecundia: nimirùm sicarius, parricida, latro, raptor, spurius, sacrilegus, &c. nam ex ejusmodi hominum colluvie conflatus est initio Populus Romanus. Jam ex Eutropio Romulum

latronem diximus, fratricidam omnes referunt; spurium satis indicant tum alii, cùm Dionys. Halycarn. Lib. II, ubi ait Remum quidem ac Romulum per matrem ab Ænea ortos; at de patre eorum nihil esse certi. Adde incestuosam eorum matrem Iliam; & raptores Sabinarum virginum Romanos.

# SATIRA IX.

## ARGUMENTUM ET SYNOPSIS.

*Nævolum quemdam inducit de patroni sui avaritia, & flagitiis conquerentem.*

SCIRE velim quare toties mihi, Nævole, tristis,
Occurras fronte obductâ, ceu Marsya victus?
Non erat hac facie miserabilior Crepereius
Pollio, qui triplicem usuram præstare paratus
Circuit, & fatuos non invenit. Unde repentè
Tot rugæ? Certè modico contentus agebas
Vernam Equitem, conviva joco mordente facetus;

*DIC, amabo, mi Nævole, quid causæ est cur toties mœstum te videam, & dejectâ contractâque fronte, instar Marsyæ ab Apolline superati? Non est horridior vultus Pollionis Crepereii; cùm aliquem anxiè quæritans a quo mutuam accipere pecuniam possit, promittensque se redditurum usuram triplo majorem solitâ, neminem reperit adeo stultum, ut mutuos ipsi dare nummos velit. Quid sibi tot rugæ volunt? Utique hactenus parvo contentus vixisti,*

2. *Marsya.* Pastor Phrygius qui cùm Apollinem provocare in certamen de canendi gloria non dubitasset, victus ab illo, & vivus pelle spoliatus est.

4. *Triplicem usuram.* Usura est pretium quoddam & merces pecuniæ mutuò datæ.

5. *Fatuos non invenit.* Norunt enim omnes eum nihil persoluturum; nihil redditurum.

*Unde repentè tot rugæ?* Unde repentina tibi, Nævole, hæc tristitia?

7. *Vernam Equitem.* Servi duplicis sunt generis; alii di-

Et salibus vehemens intra pomœria natis.
Omnia nunc contra : vultus gravis, horrida siccæ
Sylva comæ ; nullus totâ nitor in cute ; qualem
Præstabat calidi circumlita fascia visci ;
Sed fruticante pilo neglecta, & squalida crura.
Quid macies ægri veteris, quem tempore longo
Torret quarta dies, olimque domestica febris?
Deprendas animi tormenta latentis in ægro
Corpore, deprendas & gaudia : sumit utrumque
Inde habitum facies. Igitur flexisse videris
Propositum, & vitæ contrarius ire priori.

*ut Eques Romæ natus : intereras conviviis, hilaritate multâ, & salsam dicacitatem honestâ urbanitate, qualem usurpant cives, amœnissimè condiebas. At nunc nihil horum, immo in contrariam partem versa omnia : tetrica frons, impexa cæsaries ; cutis non lævis & nitida, qualem efficiebas admotis fasciis calido visco illitis, sed crura pilis sylvescentibus hirsuta & aspera. Unde ista tua macies, qualem cernere est in ægrotis quartanâ febri, & molestâ hospite, diu conflictatis? In mœsto vultu & languido corpore prodit se animus æger atque apparet : ut sanus & valens, in ore læto vegetoque corpore conspicitur. Diversus ille mœroris aut lætitiæ in vultu color, ab animi diversâ constitutione proficiscitur. Itaque videris mutasse institutum vivendi, & aliud priori oppositum iniisse. Nuper enim,*

euntur propriè *servi*, qui aut bello capti, aut ære comparati servitutem serviunt ; alii *vernæ*, qui e serva matre nascuntur domi : erant illi ob dicacitatem & vafritiem vulgò insignes. Equites vernas hîc vocat Equites Romæ natos ex Equitibus, non ex Asia advectos, ut jocatur Satira VII, nota 14, vel filios alicujus Equitis ex ancilla susceptos.

8. *Pomœria*. Pomœrium *vocatur* illud spatium vacuum, quod est pone urbis mœnia, quasi post mœnium, item illud spatium, quod inter muros & ipsas domos interjacet. Sales igitur intra pomœria nati, sunt urbani & minimè agrestes joci.

9. *Siccæ*. Non perfusæ unguentis.

11. *Fascia visci*. Pannos calido visco illinebant ; & admovebant pelli, quam nudare pilis vellent.

15. *Deprehendas animi*, &c. Ista tua corporis ægritudo nascitur ex animi quodam dolore.

Nuper enim (ut repeto) fanum Isidis, & Ganymedem
Pacis, & advectæ secreta palatia Matris,
Notior Aufidio Chio, celebrare solebas.
Utile & hoc multis vitæ genus, at mihi nullum
Inde operæ pretium, pingues aliquando lacernas,
Munimenta togæ, duri crassique coloris,
Et malè percussas textoris pectine Galli
Accipimus, tenue argentum, venæque secundæ.
Quod tamen ulterius monstrum, quàm mollis avarus?

*si bene commemini, frequentiùs quàm Aufidius ille Chius, conspiciebaris in Isidis templo, in æde Pacis, ubi statua Ganymedis visitur; in Cybeles, cujus signum e Græcia Romam est advectum delubro, ubi arcana mysteria peraguntur. Sic est, ut dicis; & quin ex hoc vitæ instituto, quod hactenus sequutus sum, magnæ capiantur a plurimis utilitates non diffiteor: mihi nullum fructum affert, nisi fortè quòd interdum viles lacernas crassi fili, coloris fusci, & a Gallico textore malè confectas, quibus togam utcumque tueor atque conservo, patronus ingratus, tamquam ingens munus, mihi donat, itemque pauculos nummos deterioris argenti. Quid hac hominis impuri & ingrati avaritiâ turpius, quid monstri similius est? Hæc largitus, inquit,*

19. *Ut repeto.* Quantum memini, repetens animo.

*Isidis.* Sat. VI, nota 351, & nota 385.

*Ganymedem.* Sat. V, v. 59.

20. *Matris.* Simulacrum Cybeles è Phrygia Romam deportatum olim fuerat. Ejusdem templum visebatur in Palatio, qui unus e septem Romanis collibus. Sat. II, nota 81.

21. *Aufidio.* Nebulone tunc famoso.

23. *Lucernas.* Lucerna vestis *erat* crassior, contra frigus & pluviam comparata. Pingues appellat, *id est*, tritas usu, rudes.

25. *Pectine.* Pecten, lignum *est* oblongum instar pectinis, quo textores utuntur ad inferendum subtemen stamini; utque compactior densiorque tela fit, sæpius eo pectine percutiunt subtemen, illudque stipant & stamini arctiùs implicant, quod contra fit in panno laxiore, ac negligenter texto.

26. *Venæ secundæ.* Metalla quasi per sulcos & venas digesta, in fodinis reperiuntur: prima vena dulcior est ac notæ melioris.

Hæc tribui, deinde illa dedi, mox plura tulisti.
Computat, atque cavet: ponatur calculus; adsint
Cum tabula pueri; numera sestertia quinque
Omnibus in rebus; numerentur deinde labores:
En cui tu viridem umbellam, cui succina mittas
Grandia, natalis quoties redit, aut madidum ver
Incipit; & stratâ positus, longâque cathedrâ,
Munera fœmineis tractat secreta Calendis.
Dic, passer, cui tot montes, tot prædia servas
Appula, tot milvos intra tua pascua lassos?
Te Trifolinus ager fœcundis vitibus implet,

*tibi sum, deinde illa donavi, addidi alia complura: sic numerum & rationes donorum suorum subeludit, ac ne decipiatur cavet. Date calculos, exclamat, prodeant servi cum rationum libris. In me verò moræ nihil erit quominus omnia quæ a te accepi, singillatim numerentur; quod si fiat, redibunt cuncta denique ad summam quinque sestertiorum. Quid? si ego vicissim numerare velim labores quos tuâ causâ suscepi? En patronum, o Juvenalis, quem hactenus colui. Hunccine adeo ingratum & sordidum hominem, dignum putes, cui mittatur umbella, & ingentia succina, quoties recurrente certâ per annum die natalem suum celebrabit? Aut cum ineunte vere collocatus in eleganti sella, sumet in manus & recognoscet munera quæ sepposuit, sibi missa Martiis Kalendis, quas fœminæ sacras imprimis habent. Dic agedum, homo effœminate, cuinam reservas tot montes, tot in Apulia fundos, saltus tam latè patentes, ut iis obeundis ipsi milvi defatigentur? Vites feraciissimas in agro Trifolino possides, itemque in Miseno monte, qui*

30. *Cum tabula.* Abaco, ubi computet.

32. *Umbellam.* Gall. *un parasol.*

*Succina.* Sat. VI, not. 425.

33. *Madidum ver.* Intelligit *Kalendas Martias*, quo tempore incipit ver, & frequentiores sunt pluviæ. Tunc munera mulieribus mittebantur ab amicis, sicut Saturnalibus Decembri mense, mittebantur viris.

34. *Stratâ positus longaque cathedrâ.* Cervicalibus & tapetibus instratâ, ad excipiendum inde donatores & dona ex instituta consuetudine.

36. *Passer.* Passeres aviculæ sunt pigræ, inutiles, & fallaces.

37. *Appula.* Apulia regio Italiæ, *la Poüille*, altera *Daunia* vocatur, altera *Peucetia.* Sat. IV, nota 27.

38. *Trifolinus ager.* Hic

Suſpectumque jugum Cumis, & Gaurus inanis.
Nam quis plura linit victuro dolia muſto?
Quantum erat exhauſti obſequium donare clientis
Jugeribus paucis? Meliuſne hic ruſticus infans
Cum matre, & caſulis, & cum luſore catello
Cymbala pulſantis legatum fiet amici?
Improbus es, cùm poſcis, ais: ſed penſio clamat,
Poſce; ſed appellat puer unicus, ut Polyphemi
Lata acies, per quam ſolers evaſit Ulyſſes.
Alter emendus erit; namque hic non ſufficit, ambo
Paſcendi. Quid agam brumâ ſpirante? quid, oro?

*Cumis infra poſitis imminet, necnon in Gauro, qui poſt vindemiam a te factam, vacuus & inanis manet. Ecquis plures cados implet recenti vino, ad multas abhinc ætates ſervando? Quàm nullo tuo incommodo poteras donare miſerum clientem tuum, & ejus obſequia munerari aliquâ tot agrorum tuorum particulâ? Num putas facturum te juſtius; ſi villam hanc integram, cum ruſticanis pueris eorum matre & crepundiis, teſtamento legaveris amico cuidam tuo, Cybeles ſacerdoti? Nimis moleſtè ac pertinaciter poſtulas, inquis. Sed cogit me neceſſitas ſolvendi annui pro conducta domo pretii: cogit ſervulus ac miniſter, quem unicum habeo, ut Polyphemus ille, oculum unum, quo effoſſo Ulyſſes incolumis effugit. Facere non poſſum quin alterum puerum emam, unus quippe ſatis mihi non eſt: uterque alendus erit: Quid faciam cùm hyems ingruet? Quid ſuades, inquam? Quid reſpondebo mancipiis meis, humeros nudos*

ager prope Neapolim, hodiè *Monte di S. Martino* eſt præcipuæ fertilitatis: ſic dictus ab herba trifolio, *du treſle*, quæ plurima in eo naſcitur.

39. *Suſpectum jugum.* Suſpicimus quæ ſupra nos ſunt; deſpicimus, quæ infra. Miſenum Promontorium Cumis proximum & imminens, *intelligit.*

*Cumis.* Sat. III, nota 2.

*Gaurus.* Mons Campaniæ Italæ, prope Puteolos, Baias, & Avernum lacum.

40. *Linit dolia.* Claudebant dolia pice & ſubere.

44. *Cymbala pulſantis.* Cybeles ſacrificuli tympana pulſabant.

45. *Penſio.* Pretium eſt locationis domus, agri, &c.

47. *Per quam, &c.* Effoſſo Polyphemi oculo patuit Ulyſſi exitus ex ejus antro. Polyphemus minimè periiſſet ſi duos habuiſſet oculos: ita Dominus tutior eſt qui duos habet ſervos.

Quid dicam ſcapulis ſervorum menſe Decembri,
Et pedibus? Durate, atque exſpectate cicadas?
Scis certè quibus iſta modis, quàm ſæpe, rogârim:
Et quæ pollicitus fueris mihi. Juſta doloris,
Nævole, cauſa tui. Contra tamen iſte quid affert?
Negligit, atque alium bipedem ſibi quærit aſellum.
Hæc ſoli commiſſa tibi celare memento,
Et tacitus noſtras intra te fige querelas.
Nam res mortifera eſt inimicus pumice lævis:
Qui modò ſecretum commiſerat, ardet, & odit;
Tamquam prodiderim quicquid ſcio: ſumere ferrum,
Fuſte aperire caput, candelam apponere valvis
Non dubitat. Nec contemnes, aut deſpicias, quòd
His opibus numquam cara eſt annona veneni.

*ac pedes Decembri menſe oſtendentibus? An rogabo ut perferre frigus pergant, donec æſtatem rediiſſe teſtentur cicadæ? Noſti profectò quàm enixè, quàm crebro hæc a te flagitaverim; & quid mihi viciſſim promiſeris. Jure ac merito de tam avaro patrone quereris, o Nævole. Age porrò, quid iſtis querelis reſpondet? Eas verò ille nihil curat: ac, ſi pergam acriùs inſtare, adſciſcet, me pulſo, alium clientem æquè bardum ac ſtupidum, atque ego ſum. At tu, o Juvenalis, vide, quæſo, ne meas ejuſmodi, quas tibi ſoli aperio, querelas, cuiquam prodas: illas imo in pectore tacitus ſerva. Capitales enim & peſtiferas gerunt inimicitias iſti molles & effœminati patroni. Qui mihi paulò antè arcana ſua credere non dubitaverat, idem, oborta levi ſuſpicione, æſtuabit, odio in me inflammabitur; quaſi ſecretum mihi ab ipſo commiſſum evulgaverim, ſtringet in me ferrum improbus, caput baculo comminuet, ignem foribus meæ domûs apponet. Neque verò nihil credas periculi ab avaro imminere: cùm opibus affluat, ſuppetet illi facilè unde venenum paret, necemque mihi moliatur. Memineris*

51. *Cicadas.* Æſtate cantitant.

58. *Pumice lævis.* Pumex lapis eſt ſiccus & multis locis pertuſus, quo utebantur ad pilos cuti eximendos.

62. *Deſpicias.* Tamquam avarus ille numquam ſumptum eſſet facturus; ad inviſum clientem interficiendum exiguo ſumptu venenum parabit.

Ergo occulta teges, ut curia Martis Athenis.
O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum
Esse putas? Servi ut taceant, jumenta loquentur,
Et canis, & postes, & marmora. Claude fenestras,
Vela tegant rimas, junge ostia, tollito lumen
E medio; clament omnes, prope nemo recumbat:
Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet: audiet & quæ
Finxerunt pariter librarius, archimagiri,
Carptores. Quod enim dubitant componere crimen
In dominos, quoties rumoribus ulciscuntur
Baltea? Nec deerit qui te per compita quærat

*igitur hæc nostra non minori celare fide, quàm Areopagitæ sua senatusconsulta, Næ tu homo rusticè simplex, ac bonus es! Nævole, qui credas arcani aliquid in divitum domibus esse posse. Quamvis mancipia fileant, jumenta vocem mittent, & canes & parietes muti loquentur. Fenestras occlude, rimas omnes oppositis velis obtura, valvas obsera, lumen remove, obstrepant sexcenti homines clamoribus incondiis: arbitris locus vacet; nihilominus quidquid improbus intempestâ nocte, antequam gallus iterùm occinat, facit, hoc vicinus, priusquam illuxerit, Caupo resciet: idem audiet narrari apud se quidquid finxerint librarius, primarii coqui, & præfecti struendæ mensæ. Quam enim de suis heris fabulam, quam cantilenam commiscri atque consuere non audent servi, quos de illis rumores disseminare dubitant, cum loris baltcorum cæsi dolorem suum & verbera ulciscri meditantur? Erit etiam qui te per compita urbis quærat, & audire ista invitum cogat, multoque vino*

64. *Curia Martis.* Senatus Athenienſis habebatur in colle ac templo Marti ſacro. Eam ob cauſam Areopagus vocabatur. Ἄρης, Ἄρεος, *Mars*; πάγος, *collis*, *clivus*. Ibi noctu & ſilentio cauſæ expendebantur, ac ferebantur ſcripto ab Areopagitis ſententiæ.

71. *Caupo.* In cauponis garruli, & congerrones multi.

72. *Librarius.* Gall. *l'économe.*

*Archimagiri.* Primarii coqui.

73. *Carptores.* Qui cibos carpunt, diſſecant, *Ecuyers tranchants.*

75. *Baltea.* Plagas inflictas loris, quibus appenſi lateri enſes geſtantur, & quibus heri ſæpe pro ſcuticis utebantur ad cædendos ſervos.

Nolentem, & miſeram vinoſus inebriet aurem.
Illos ergo roges quicquid paulò antè petebas
A nobis, taceant illi; ſed prodere malunt
Arcanum, quàm ſubrepti potare falerni,
Pro populo faciens quantum Laufella bibebat.
Vivendum rectè cùm propter plurima, tunc his
Præcipuè cauſis, ut linguas mancipiorum
Contemnas: nam lingua mali pars peſſima ſervi.
Deterior tamen hic, qui liber non erit illis,
Quorum animas & farre ſuo cuſtodit, & ære.
Idcirco ut poſſim linguam contemnere ſervi,
Utile conſilium modò, ſed commune dediſti:
Nunc mihi quid ſuades poſt damnum temporis, & ſpes
Deceptas? Feſtinat enim decurrere velox

*prolutus, improbâ loquacitate aures tibi obtundat. Ab his igitur poſtula, quod modò me rogabas, nempe ſilentium; impetra ut de ſordibus & avaritia dominorum ſuorum taceant. Numquam id exorabis. Proferre arcanum malunt, quàm furtivi vini vel generoſiſſimi tantum potare, quantum ſorbere Laufella conſueverat, cùm ſacra pro populi ſalute faceret. Sanè cùm plurimis de cauſis providendum nobis eſt, ut ſanctè ac piè vitam inſtituamus, tum præſertim, ut ne ſermones mancipiorum noſtrorum linguaſque timeamus. In malo quippe ſervo nihil eſt lingua pejus. Gravius tamen, quàm ſervi qui Dominorum detegunt flagitia, peccant ipſi Domini, cùm turpiter & flagitiosè vivunt, & ſe reddunt illis obnoxios, ac penè ſervos illorum, quos & ſuo nutriunt pane, & pecuniâ munerantur. Rectè me admones ac tradis, quo pacto paſſim ſervorum linguas ſpernere: verùm id omnibus commune ac utile eſt. Quid mihi, quæſo, propriè faciendum nunc cenſes? Magnam optimi temporis jacturam feci: inanes irritaſque ſpes meas*

76. *Inebriet.* Narratione flagitiorum puridâ, ipſe vinum olens, impleat.

80. *Faciens.* Facere, operari, ſæpe accipitur pro *ſacrificare*, *immolare*.

87. *Commune.* Ad omnes æquè ſpectans dediſti conſilium: nunc verò mihi da peculiare.

89. *Velox floſculus.* Brevis adoleſcentia, floris inſtar marceſcens, nec diu vigens.

Flosculus angustæ, miseræque brevissima vitæ
Portio ; dum bibimus, dum serta, unguenta, choreas
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.
O parvi, nostrique Lares, quos thure minuto,
Aut farre, & tenui soleo exornare coronâ,
Quando ego figam aliquid, quo sit mihi tuta senectus
A tegete, & baculo ? Viginti millia fœnus
Pignoribus positis, argenti vascula puri ;
Sed quæ Fabricius Censor notet, & duo fortes
De grege Mœsorum, qui me cervice locatâ

*excidisse video ; effluit enim sensim vita, & floris instar multis ærumnis attrita marcescit dum potamus, dum sertis coronati, delibuti unguentis, voluptatibus operam damus, lento gradu senectus nec inopinatos invadit. O mei Lares, o tenuis familiæ custodes Dei, quos parco thure ac mola salsa veneror, quibus exiguas ad ornatum imponere coronas soleo, quandonam habebo certam pecuniæ summam, quâ fretus effugiam mendicitatem in senectute, ut ne obsitus centonibus, nixus baculo, stipem corrogare cogar ? Quando e nummis mutuò datis recipiam usuræ nomine viginti sestertiorum millia, acceptis antè certis pignoribus, ut fœnus mihi elabi aut perire nequeat. Quandonam penes me domi erit nonnihil supellectilis argenteæ, ob quam a Fabricio Censore notari & reprehendi jure possim ? Duo item valentes & robusti, quales e Mœsia huc veniunt servi, qui me certâ mercede pactâ, subjecto collo gestent sedentem in*

93. *Lares.* Sat. VI, not. 3, & Sat. VIII, nota 13.

96. *Tegete.* Teges vilis est *culcita* sive *storea*, quæ mendicis pro *lecto* esse solet : ut *baculus*, pro supellectile. *Une vieille natte.*

*Viginti millia.* Subaudi *sestertiorum.*

97. *Pignoribus.* Sat. VII, nota *Pignerat.*

98. *Fabricius.* C. Fabricius Censuram severissimè exercuit, Corneliumque Rufinum duplici Consulatu & Dictatura inclytum Senatu movit, quòd argentea vasa decem pondo servaret domi, Val. Max. Lib. II, cap. 9.

99. *Mœsorum.* Mœsia regio Europæ prope Thraciam, unde multi venales robustissimi petebantur.

*Locata.* Locare est operam suam alicui navare ad sumendum aliquid laboris, certâ mercede constitutâ.

Securum jubeant clamoso insistere Circo?
Sit mihi præterea curvus cælator, & alter
Qui multas facies fingat citò: sufficient hæc,
Quando ego pauper ero: votum miserabile! nec spes
His saltem: nam cùm pro me fortuna rogatur,
Affigit ceras illâ de nave petitas,
Quæ Siculos cantus effugit remige surdo.

*lectica, & per medium Circum populo vociferante differtum, tutò deportent: ad hæc opifex, qui cælare & signare argentea vasa; nec non alter qui statuas & imagines ex argilla vel cera fingere naviter ac strenuè norit? Hæc mihi tamdiu satis erunt ad vitam beatè transigendam, quamdiu in hac paupertate cogar manere: nihil præter pauca ista opto infelix, etsi me tam angusti & exigui voti pudeat. Immo nec illa ipsa tam levia, tam tenuia sperare ausim: cùm enim rogatur fortuna ut mihi faveat, videtur sibi aures opplere cerâ, ut olim Ulysses opplevit remigibus suis, quos eâ ratione surdos, ne Sirenum cantus exaudirent, reddidit.*

100. *Securum.* Sine periculo ac metu, ne a turba comprimar, quippe in lectica sublimis.

*Circo.* Sat. III, nota 208.

101. *Cælator.* Qui vasa signis ornat, solent autem illi artifices, curvato corpore in opus incumbere.

103. *Votum miserabile.* Quasi diceret: Mene usque eo esse miserum, ut hæc optare, his contentus esse possim!

105. *Affigit ceras, &c.* Ulysses, cùm præter Sirenum insulas veheretur, sociorum suorum & remigum aures obstruxit cerâ, ne illarum cantus insidiosos audirent, ipse ad navis malum alligar se jussit. Odyss. Lib. XII.

# SATIRA X.

## ARGUMENTUM ET SYNOPSIS.

*VARIA hominum desideria expendit, quàm inania pleraque sint ac perniciosa, docet, cùm a Superis deprecantur divitias, honores, potentiam, eloquentiam, gloriam, senectutem & pulchritudinem. Quænam sint justa & legitima vota, subjicit.*

OMNIBUS in terris, quæ sunt à Gadibus usque
Auroram, & Gangem, pauci dignoscere possunt
Vera bona, atque illis multùm diversa, remotâ
Erroris nebulâ. Quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? Quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatûs non pœniteat, votique peracti?
Evertêre domos totas optantibus ipsis

*QUAM latè patet orbis terrarum ab Occidente & Gadibus usque ad Orientem, paucos reperire est, qui rectè atque omni errore semoto dijudicare valeant, quæ sint bona, quæ mala bonis opposita. Quibus enim in rebus optandis, aut metuendis, rationem sequimur ducem? Quis tam consideratè, tam auspicatò molitur quidpiam, & suscipit, ut eum consilii & rei ad exitum perductæ non pigeat? Ipsi Superi nimiùm hominibus indulgentes, dedêre causas, cur*

1. *Gadibus.* Gades, *Cadix*, insula est in ultima Hispania prope angustum fretum inter Africam & Europam interjectum, quod ab ea Gaditanum vocatur. Hispania autem, ut in hemisphærio nostro ponitur, maximè vergit ad occidentem.

2. *Gangem.* Fluvium præcipuum Indiæ. India autem, si eam ab Italia spectes, orientem versùs porrigitur.

4. *Quid enim ratione, &c.* Omnes ferè ducuntur opinione, judicio vulgi, suâ libidine.

5. *Dextro pede.* Felici conatu, omine bono.

*Concipis.* Verbum votis conveniens; dicunt enim Latini eleganter, *vota concipere.*

Dî faciles. Nocitura togâ, nocitura petuntur
Militiâ. Torrens dicendi copia multis,
Et sua mortifera est facundia: viribus ille
Confisus periit, admirandisque lacertis.
Sed plures nimiâ congesta pecunia curâ
Strangulat, & cuncta exsuperans patrimonia census,
Quantò delphinis balæna Britannica major.
Temporibus diris igitur, jussuque Neronis,
Longinum, & magnos Senecæ prædivitis hortos

*integræ familiæ exscinderentur. Optamus tum in pace, tum in bello quæ nobis exitium perniciemque conscisceunt. Plurimi ob eloquentiam periere, nonnulli, quòd robori suo brachiisque nimiùm confiderent. Sed multò plures perdit, & in causa est cur jugulentur, opum congerendarum insana sitis, & divitiæ tantò ceteris ampliores, quantò balæna delphinis major est. Ea causa nimirum fuit cur temporibus ob Imperatorum sævitiam funestis, milites, jubente Nerone, in Laterani, & Longini splendidas ædes, in villam Senecæ regali sumptu extructam, immissi fuerint,*

8. *Dî faciles.* Sic Neptunus Thesei domum evertit, dum illi favet, ultionem de filio Hippolyto, qui falso crimine accusabatur, sumere properanti.

*Toga.* Vestis civium, *est*, ut sagum militum. Itaque hoc pro *bello* usurpatur; illa pro *pace*.

9. *Torrens.* Profluens, torrentis more.

10. *Ille.* Milo Crotoniates, cujus tantum robur fuisse prædicatur, ut pugno taurum mactaret. Is cùm annosam quercum diffindere conaretur, coëuntibus duabus trunci, a summo jam divisi, partibus interceptus, cùm expedire se non valeret, hæsit conclusis ipso trunco brachiis, & a feris est laniatus.

13. *Strangulat.* In causa est cur strangulentur, ac jugulentur divites, sive a furibus, sive a Tyrannis bonis eorum inhiantibus.

*Census.* Res familiaris, annuus proventus prædiorum.

14. *Delphinis.* Hos valde amantes hominum ac Musicæ passim celebrant.

*Britannica.* In Oceano Anglico balænæ majores capiuntur.

16. *Longinum.* Cassius Longinus a Nerone neci datus est, per eam causam, quod C. Cassii, unius e Julii Cæsaris percussoribus, imaginem servasset domi: revera quòd esset eximiè locuples. Suet. Neron. cap. 37.

*Senecæ.* Sat. V, not. 109; Sat. VIII, nota 210. Seneca

Clausit, & egregias Lateranorum obsidet ædes
Tota cohors. *Rarus venit in cœnacula miles.*
Pauca licèt portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus, gladium, contumque timebis,
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram.
Cantabit vacuus coram latrone viator.
Prima ferè vota, & cunctis notissima templis,
Divitiæ ut crescant, ut opes; ut maxima toto
Nostra sit arca foro. Sed nulla aconita bibuntur
Fictilibus. Tunc illa time, cùm pocula sumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.
Jamne igitur laudas, quod de sapientibus alter

*qui eas obsiderent, ac Dominos ad mortem adigerent.* Rarò in angusta tuguria cohortes armatæ mittuntur. *Quamvis feras pauca ex argento non cælato vasa, si per noctem viæ te committas, latronem nihilominus gladio contoque armatum formidabis, & ad umbram arundinis vento agitatæ expallesces. Viator nudus in latronis conspectu canet. Id homines ferè omnes miserè cupiunt, id a Superis palam, cùm adeunt templa, postulant, ut augeantur opibus, ut eorum arca maxima sit inter illas quæ servantur in templis foro vicinis. Sed in poculis ex argilla fictis nihil est a veneno periculi. Tunc illud meritò reformida, quando aureus scyphus gemmis ornatus, & generoso plenus vino tibi porrigetur. Cùm hæc ita se habeant, nonne jam meritò laudandos esse intelligis ambos illos philosophos, quo-*

Neronis, discipuli pessimi, præceptor longè optimus ab eo mori jussus, incidit sibi venas, & exhausto sanguine periit.

17. *Lateranorum.* Plautius Lateranus jussu Neronis, ejus opibus inhiantis, cæsus est. Tacit. XV Annal.

19. *Puri.* Non elaborati, infecti, atque adeo vilioris pretii.

20. *Contum.* Sudes ferro præfixa sic appellatur, quæ ferè nautis est in usu.

*Ut opes.* Latiùs patet ea vox quàm divitiæ: significat enim ferè *potentiam* & *amplitudinem*, a robore, divitiis, amicis, &c. petitam.

25. *Aconita.* Sat. I, nota 143.

27. *Setinum.* Vinum natum prope Setiam, *Sezza*, urbem Italæ Campaniæ. Sat. V, nota 34.

*Ardebit.* Instar ignis lucebit. Ardere vinum dicitur, ob innatum calorem.

Ridebat,

Ridebat, quoties a limine moverat unum
Protuleratque pedem : flebat contrarius alter ? 30
Sed facilis rigidi cuivis cenſura cachinni.
Mirandum eſt unde ille oculis ſuffecerit humor.
Perpetuo riſu pulmonem agitare ſolebat
Democritus, quamquam non eſſet urbibus illis
Prætexta, & trabeæ, faſces, lectica, tribunal. 35
Quid ſi vidiſſet Prætorem in curribus altis
Exſtantem, & medio ſublimem in pulvere Circi,
In tunica Jovis, & pictæ ſarrana ferentem

*rum alter quoties prodiret in publicum riſu ; alter contrà, fletu, & lacrymis hominum dementiam & ineptias proſequebatur ? Videtur tamen eſſe facilius mores hominum ridendo coarguere, quàm flendo, mirumque apparet quo pacto tam uberes lacrymas in promptu Heraclitus ſemper habuerit. Effundebatur in riſum perpetuò Democritus, licèt in iis, quibus degebat, oppidis, non ſpectarentur prætextæ, trabeæ, faſces, tribunalia, lecticæ. Quid ſi ludis & ſpectaculis noſtris interfuiſſet, in quibus Prætor ſublimi curru, pulverulentum per Circum invehitur, tunicâ e Capitolio ſumptâ indutus, picturatam acu Phrygiâ purpuream*

29. *Alter ridebat.* Democritus. Vide infra, nota 34.

30. *Flebat contrarius alter.* Heraclitus Epheſius, hominum miſerias ubique cernens.

31. *Cenſura.* Reprehenſio.

34. *Democritus.* Philoſophus Græcus, Abderitanus, qui negotia hominum ceu nugas pueriles riſu excipiebat.

35. *Prætexta.* Veſtis quædam limbo purpureo ornata, quâ Magiſtratus utebantur, item ludorum editores, &c.

*Trabeæ.* Sat. VIII, nota 257. *Trabeam.*

*Faſces.* Sat. V, nota 110.

36. *Prætorem.* Sat. I, nota 61, & Sat. III, nota 116. Deſcribit his verſibus Prætorem ludis Circenſibus præſidentem habitu triumphali, ac vana triumphantium inſignia deridet. Ea Prætoribus cùm ludos ederent, concedebantur.

37. *Circi.* Sat. III, nota 208.

38. *Tunica Jovis.* Tunica veſtis erat interior, quæ ſubuculæ imponebatur. Triumphantes certam tunicam palmis opere Phrygio intextis ornatam, quæ idcirco *palmata* vocabatur, ſumebant e Jovis Capitolini templo.

*Pictæ.* Gall. *brodée.*

*Sarrana.* Tyria. Tyrus, oppidum Phœniciæ, ubi eximia purpura, vocabatur olim *Sarra.*

Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla?
Quippe tenet sudans hanc publicus, & sibi Consul
Ne placeat, curru servus portatur eodem.
Da nunc & volucrem, sceptro quæ surgit eburno;
Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia, & niveos ad frena Quirites,
Defossa in loculis quos sportula fecit amicos.
Tunc quoque materiam risûs invenit ad omnes

*togam, instar aulæi amplam, gestans, & imminentem vertici habens coronam tantæ molis, ut illi ferendæ vix ullum caput esse par queat? Et verò publicus minister ægrè illam sustinet, ac ne insolescat Consul editor ludorum, illis triumphantium insignibus ornatus, in eodem curru servus gestatur. His adde Scipionem eburneum, cujus apici aquilæ insidet; adde ex una parte tubicines, ex altera longum agmen clientium & amicorum, qui honoris & officii causâ triumphantem antecedunt, itemque civium, qui albis induti vestibus equos triumphalem currum trahentes circumsistunt, quosque spes obtinendæ sportulæ ac nummorum in triumphantis crumena latentium, accivit: ea, inquam, omnia quamvis Democritus in patria sua non videret, tamen quidquid ipsi occurrebat, ridendi ansam inde captabat,*

39. *Togæ.* Ea vestis extima, imponebatur tunicæ, instar pallii.

41. *Tenet.* A tergo triumphantis stans sustentat coronam.

*Publicus.* Erant Romanis publici quidam servi, obeundis publicis ministeriis præpositi.

*Consul.* Eumdem nunc vocat Consulem, quem paulò antè Prætorem nominavit: ut enim Asconius Pedianus docet, Consul vocabatur olim Prætor. Adde quòd Consules interdum ludos edebant.

42. *Curru eodem.* Ne triumphantes efferrentur insolentiâ gloriæ, seque supra hominum sortem evectos putarent, jubebant Romani eodem in curru servum sedere, qui eos conceptis verbis admoneret, inclamaretque identidem, *hominem esse te memento.*

43. *Volucrem.* Scipio eburneus a triumphante gestabatur, cujus vertici aquilæ effigies insidebat, Romani Imperii insigne.

45. *Quirites.* Satira III, nota 60.

46. *Loculis.* Sat. I, nota 74.

*Sportula.* Sat. I, nota 80.

47. *Tunc.* Cùm scilicet majori, quàm nunc, frugalitate ac temperantiâ viveretur.

Occurſus hominum, cujus prudentia monſtrat
Summos poſſe viros, & magna exempla daturos,
Vervecum in patria, craſſoque ſub aëre naſci.
Ridebat curas, necnon & gaudia vulgi;
Interdum & lacrymas, cùm fortunæ ipſe minaci
Mandaret laqueum, mediumque oſtenderet unguem.
Ergo ſupervacua hæc, aut pernicioſa petuntur,
Propter quæ fas eſt genua incerare Deorum.
Quoſdam præcipitat ſubjecta potentia magnæ
Invidiæ, mergit longa, atque inſignis honorum

*homo prudentiſſimus, qui documento eſt præſtantiſſimos viros, & magnarum virtutum exempla prodituros, poſſe in barbara & inculta regione, ubi aër pinguis hebeſque ſit, naſci. Excipiebat riſu mortalium curas & lætitiam; aliquando etiam fletum ac mœrorem; cùm ipſe interim minas Fortunæ deſpiciens, ipſam ire malam in crucem juberet, mediumque digitum contumeliæ causâ protenderet. Igitur inania ſunt, vel exitialia, quæ concipiuntur a mortalibus, vota, quorum ut compotes fiant, licere ſibi arbitrantur cereas candelas ante ſimulacra Superûm, in templis accendere. Sunt quibus eſt exitio nimia potentia, magnæ videlicet invidiæ obnoxia. Perdit ipſos longa honorum ſeries*

50. *Vervecum, &c.* Oves in primis ſtupidæ ſunt ac vecordes; itaque id nominis tribuitur hominibus ſtolidis & tardis.

*Craſſo aëre.* Aër ſubtilior, ingeniis favet, craſſior, contra. Natus eſt Democritus Abderæ, quod oppidum in Thracia eſt, cœloque utitur gravi & inſalubri.

53. *Mandaret laqueum.* Mitteret ad furcam; ei patibulum & crucem minitaretur.

*Medium oſtenderet unguem.* Solebant medium digitum ceteris contractis protendere, ſi quempiam afficere contumeliâ vellent: quapropter eum *infamem* Perſius vocat.

55. *Genua.* Porrò præcipuè dixit, quia ſunt miſericordiæ quaſi confecrata, ut artes memoriæ, frons pudori, &c.

*Incerare.* Vel tabellas cerâ obductas in quibus ſua perſcribebant vota, ſuſpendere ad imas deorum ſtatuas in templis; vel cereas candelas ibidem affigere. Immo videntur cerâ & oleo ſimulacra illeviſſe: quaſi ad molliendos mitigandoſque ſuperos. Prudentius in Symmachum: *Saxa illita ceris viderat, unguentoque Lares humeſcere nigros.*

Pagina; descendunt statuæ, restemque sequuntur.
Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
Cædit, & immeritis franguntur crura caballis.
Jam stridunt ignes, jam follibus atque caminis
Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Sejanus: deinde ex facie toto orbe secunda
Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ.
Pone domi lauros, duc in capitolia magnum
Cretatumque bovem; Sejanus ducitur unco

*ac titulorum: deturbantur e sua basi statuæ, funibus dejiciuntur; ac per humum raptantur, curruum triumphalium rotæ comminuuntur securibus, & immerentibus equis crura suffringuntur. Audin' ut ignis crepitet? ut in fornacem conjectum aureum illud Sejani caput, quod supplex modò plebecula venerabatur, follibus flammam acuentibus liquefiat? Ut ingens ipsa Sejani statua deflagret? Ut e vultu, quem ab Imperatorio secundum orbis adorabat, urceoli conflentur, pelves, sartagines, patellæ? Laureis domum tuam sertis orna, bovem magnum candidumque in Capitolinam ædem duci jube, Sejanus unco impacto raptatur,*

58. *Pagina.* Honores in fastis tabulisque publicis descripti: vel ærea pagina, quæ ante imagines virorum insignium collocabatur; unde intelligeretur, quos gessissent Magistratus, quid fortiter domi ac militiæ fecissent, &c.

59. *Bigarum.* Biga, currus est, quem equi duo trahunt; triga, quem tres: quadriga, quem quatuor.

61. *Stridunt ignes.* Ad fundendas æneas imagines.

62. *Ardet adoratum populo caput.* Simulacrum hominis igni traditur, quod antè veneratione erat.

63. *Sejanus.* Ælius Sejanus a Tiberio maximis auctus honoribus, adeo ut ipsi par Imperatori esse videretur; cùm secundam fortunam moderatè non ferret, cæsus jussu Tiberii, & omni genere ignominiæ affectus est.

64. *Sartago.* Gall. *une poële.*

65. *Pone, &c.* Voces unius alicujus e populo sunt, Sejano insultantis, in Principis gratiam. En, inquit, vicinum alloquens, lætitiam præ te fer, captus est Sejanus, &c.

66. *Cretatum.* Candidum. Creta, humus alba. Candidæ victimæ superis immolabantur, præsertim in re læta prosperaque.

*Ducitur, &c.* Trahitur in Gemonias scalas, quo in loco fontes in crucem agebantur, aut alio supplicio mactabantur.

Spectandus: gaudent omnes. Quæ labra! quis illi
Vultus erat! Numquam, si quid mihi credis, amavi
Hunc hominem: sed quo cecidit sub crimine? quisnam
Delator? quibus indiciis? quo teste probavit?
Nil horum: verbosa & grandis epistola venit
A Capreis. Bene habet, nil plus interrogo. Sed quid
Turba Remi? Sequitur fortunam, ut semper, & odit
Damnatos. Idem populus, si Nurtia Tusco
Faviſſet, si oppressa foret secura senectus
Principis; hac ipsâ Sejanum diceret horâ
Augustum. Jam pridem, ex quo suffragia nulli

*& per urbem ad ludibrium spectaculumque traducitur: triumphant omnes gaudio! Quàm fœda hominis facies! quàm distorta labra! Equidem id affirmare tibi verè possum numquam Sejanum a me amatum fuisse: sed, age, quodnam illi crimen objectum fuit? quis accusavit? quis index, quis testis? Nihil istorum dicitur, tantùm missa est a Capreis ingens, & multis perscripta verbis epistola. Satis est, nihil præterea quæro. Quid interim populus? Fortunæ, ut semper, servit scilicet, ac miseros damnatosque a Principe condemnat. Idem ille tamen, si Dea præses Etruriæ, consilia Sejani sui adjuvisset, si senex Imperator, nihil sibi timens, repentinâ conjuratione sublatus fuisset e medio, hoc ipso temporis puncto Sejanum Imperatorem appellare neutiquam dubitasset. Jampridem populus omni reipublicæ administrandæ curâ liberatus est, ex quo tempore scilicet Magistratuum eligendorum facultas*

70. *Delator.* Occultus accusator.

72. *Capreis.* Capreæ, *Capri*, insula est exigua in Tyrrheno littore, non procul Româ, in quam se Tiberius, ut otio & voluptati liberiùs indulgeret, receperat. Interim cùm Romæ Sejanus administraret omnia, seque jam pro Imperatore gereret, misit ad Senatum Tiberius litteras, quibus illum in carcerem conjici, quosdam ejus amicos plecti jubebat. Iis lectis omnes in eum conclamarunt, statimque raptus ad necem est.

73. *Turba Remi.* Populus Romanus, a Remo & Romulo propagatus.

74. *Nurtia.* Dea quædam, apud Volsinium *Bolsena*, Tusciæ urbem, Sejani patriam, culta.

77. *Suffragia vendimus.*

Vendimus, effugit curas: nam qui dabat olim
Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
Continet, atque duas tantùm res anxius optat,
Panem, & Circenses. Perituros audio multos:
Nil dubium: magna est fornacula: pallidulus mi
Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram.
Quàm timeo victus ne pœnas exigat Ajax,
Ut malè defensus! Curramus præcipites, &

*illi erepta fuit, ac sua suffragia candidatis non vendit: qui antea summos in republica Magistratus, Consulatum, belli Præfecturam, omne potestatis genus, cuicumque libuisset, mandabat, is nunc feriatur & vacat, deque rebus duntaxat duabus sollicitus est, pane ac Circensibus ludis. Fama est plurimos interfectum iri; quid censes? Omnino res sic se habet: exarsit ingens incendium, quo multi absumentur. Mihi modò Brutidius occurrit prope Martis fanum pallidus ac metu perculsus. Quàm vereor, ne Tiberius, instar Ajacis, promiscuè in omnes desæviat, segniter se a Romanis defensum, contra Sejani conatus nefarios dictitans! Properemus hinc statim, & hostem Tiberii, dum adhuc in ripa Tiberis insepultus jacet, proteramus: sed ita tamen, ut nostri nos servi adspiciant, ne quis ipso-*

Florente republicâ populus eligebat Magistratus in comitiis, & magnam ferè pecuniæ vim, ac munera capiebat a candidatis, quibus sua suffragia tribuebat, vel potiùs vendebat.

79. *Imperium.* Propriè dicebatur potestas summa Ducis, in exercitu, qui vulgò appellabatur *Imperator*, cùm insignem aliquam de hoste victoriam retulisset.

*Fasces.* Sat. V, nota 110; VIII, v. 258. Anteibant Consulem lictores duodecim cum fascibus: Prætorem, sex.

81. *Circenses.* Ludos in Circo edi solitos. Satir. III, nota 208.

*Perituros.* Sejani affines, amicos, &c.

82. *Pallidulus.* Metuens ne velut Sejani amicus a Tiberio proscribatur.

83. *Brutidius.* Rhetor & Historicus.

*Martis aram.* Martis ultoris templum in foro ab Agrippa exstructum, post Actiacam pugnam.

84. *Ajax.* Telamonis filius, cùm Achillis mortui arma peteret, victus Ulyssis eadem arma postulantis, facundiâ, in furorem versus est, & in mutas pecudes tamquam in Ulyssem ac Menelaüm, sævire cœpit.

Dum jacet in ripa, calcemus Cæsaris hostem.
Sed videant servi, ne quis neget, & pavidum in jus
Cervice adstrictâ dominum trahat. Hi sermones
Tunc de Sejano; secreta hæc murmura vulgi.
Visne salutari sicut Sejanus? habere
Tantumdem, atque illi sellas donare curules?
Illum exercitibus præponere? tutor haberi
Principis angustâ Caprearum in rupe sedentis
Cum grege Chaldæo? Vis certè pila, cohortes,
Egregios Equites, & castra domestica: quidni
Hæc cupias? Et qui nolunt occidere quemquam,
Posse volunt. Sed quæ præclara & prospera tanti,

*rum Sejanum a nobis calcatum esse neget, ac dominum accuset apud Imperatorem aut pavitantem, injecto cervici laqueo, ad judices ire compellat. Ea tunc de Sejano, clam, palam, dicebantur. Jam te consulo, rogoque num honorificis illis nominibus appellari velis, quibus Sejanus salutabatur? tantas opes possidere, quantas ille habebat? aliis dare jus ferendæ curulis sellæ? aliis exercituum Præfecturas largiri, gerere quasi tutelam Imperatoris, in Capreis, obscura & scopulosa insula, delitescentis, atque astrologorum turba stipati? Equidem non dubito, quin gauderes admodum Præfectura cohortis Prætorianæ, & delectorum equitum, quales in urbanis castris ad nutum semper expeditos habebat Sejanus: & verò quid causæ esset quin honorem hunc ambires? Quis non libenter potestatem cujuslibet interficiendi habeat, quamvis eâdem uti nolit? Sed quænam tandem vitæ conditio quamlibet felix, optari*

91. *Sellas curules.* Nonnulli Magistratus præcipui, jus habebant ferendæ in curru suo sellulæ eburneæ, in eaque, dum haberetur Senatus, considendi.

92. *Tutor.* Qui res & fortunas impuberum administrat, propriè *tutor* dicitur.

94. *Chaldæo.* Satir. VI, nota 405.

*Pila.* Pilum, hasta brevior, seu spiculum, Romanis militibus usitatum.

95. *Egregios.* Ex omni exercitu, e reliquo militum grege, selectos.

*Castra domestica.* Milites Prætoriani dicebantur qui ad Imperatoris custodiam excubabant, atque in castris ad urbem positis, stabant. Illis tunc Sejanus præerat, eâque ratione Tiberium ac Romam habebat in potestate.

97. *Tanti.* Tanti sunt facienda, si eâ conditione obtinentur, ut res prosperæ ad-

Ut rebus lætis par sit mensura malorum?
Hujus qui trahitur prætextam sumere mavis:
An Fidenarum, Gabiorumque esse potestas,
Et de mensura jus dicere? vasa minora
Frangere pannosus vacuis ædilis Ulubris?
Ergo quid optandum foret, ignorasse fateris
Sejanum. Nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, unde altior esset
Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ.
Quid Crassos, quid Pompeios evertit? & illum

*& acquiri meretur eâ lege, ut bonis mala exsequentur, & quantum ex ea capias commodi ac voluptatis, tantum incommodi ac doloris haurias? Age, num Sejani, qui unco trahitur ad Gemonias, induere prætextam malles, quàm Magistratum gerere in oppidulo quopiam deserto, putà Fidenis, Gabiis, quàm ædilis esse Ulubris, ibique detritâ veste indutus lites de mensuris mercatorum, & ponderibus coortas dijudicare, ac pocula minoris, quam lex jubet molis, comminuere? Concedis igitur Sejanum nesciviſſe quid desiderari a mortalibus ad veram felicitatem consequendam, oporteret. Qui enim immensas opes in altum exstruebat, qui cupiditate honoris insanâ principem in civitate locum ambiebat, is turrim ædificare altissimam videbatur, unde graviùs caderet, impulsusque rueret in subjectum ac profundum præcipitium clade majori & fragore. Quid exitio Crassis, quid Pompeiis fuit? quid perniciem illi*

versis, quasi pari mensurâ temperentur.

99. *Prætextam.* Suprà nota 35.

100. *Fidenarum.* Hæc Latii urbs ab Ascanio Æneæ filio condita, quòd rebellasset eversa est à M. Æmilio. Hodie vocatur *Castel Giubileo.*

*Gabiorumque.* Hæc civitas Latii jacet in ruderibus, ubi hodie Campo Gabio, ut nonnullis placet. Sat. III, nota *Gabiis.*

*Potestas.* Magistratus. Nomen est officii.

102. *Ædilis.* Sat. III, nota 147.

*Ulubris.* Ulubræ, oppidum Latii desertum, prope Velitras, ubi educatus Augustus Cæsar, nihil præterea insigne habuit.

106. *Tabulata.* Gall. *étages.*

108. *Crassos.* Patrem & filium a Parthis cæsos. Marcus Licinius Crassus, Cn. Pompeius & C. Jul. Cæsar ita rempublicam occupaverant, ut soli omnia gubernarent. Syria Crasso adjudicata est, & in-

Ad ſua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nullâ non arte petitus,
Magnaque Numinibus vota exaudita malignis.
Ad generum Cereris ſine cæde & vulnere pauci
Deſcendunt Reges, & ſiccâ morte tyranni.
Eloquium ac famam Demoſthenis, aut Ciceronis
Incipit optare, & totis Quinquatribus optat,
Quiſquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam,

*attulit, a quo populus Romanus redactus in ſervitutem ac veluti loris cæſus & inſtar mancipii habitus eſt? Nimirum dominatus omni contentione quæſitus, & exauditæ a Superis faventibus, vel iratis potiùs, atque cupiditatem hominum ulciſcentibus, ambitioſæ preces. Quotus quiſque Regum ac tyrannorum eſt, qui morte incruentâ defungatur, & placidus Plutonis regna viſat? Puerulus, qui exiguâ mercede magiſtro perſolutâ, primis bonarum artium rudimentis imbuitur, qui ludum litterarium petit, uno ſervulo, aſtellam, in qua ejus libri ſunt, ferente, comitatus, jam tum expetit eloquentiam famamque Demoſthenis, aut Tullii, nec alia totis Quinquatribus vota concipit. Sed Demoſtheni*

ferendi quibus vellet belli poteſtas data. Ipſe Parthorum opibus inhians, iis indixit bellum; ſed eorumdem inſidiis interceptus cum filio miſerè periit ad Carrhas urbem Meſopotamiæ.

*Pompeios.* Pompeium Magnum, ejuſque filios. Magnus victus a Cæſare in Pharſalicis Campis fugit in Ægyptum, ubi juſſu Ptolemæi eſt interfectus. Ejus filii Cneius Pompeius, & Sextus Pompeius, renovato in Hiſpania bello profligati ſunt ad Mundam, Bæticæ urbem, &c.

*Et illum, &c.* C. Julium Cæſarem, tribus & viginti vulneribus in Senatu confoſſum.

109. *Flagra.* Sic tyrannidem a C. Julio Cæſare uſurpatam indicat. Virgis cædebantur ſervi, eamque pœnam imponere civibus nefas erat.

112. *Generum Cereris.* Plutonem, virum Proſerpinæ, filiæ Cereris.

114. *Demoſthenis.* Græcorum oratorum Principis.

115. *Quinquatribus.* Quinquatria, ſive Quinquatrus, erant Minervæ feſta, per dies quinque celebrari ſolita, nempe a decimo quarto Kalendas Apriles, ad nonum. Tunc ſcholæ vacabant, feriabantur pueri, ſua Minervæ offerebant munuſcula, & præceptoribus minerval penſitabant.

116. *Uno aſſe, &c.* Nonnulli hoc de *ſtatua exiguæ Minervæ* intelligunt, quam

Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ.
Eloquio, sed uterque perit orator, utrumque
Largus, & exundans leto dedit ingenii fons.
Ingenio manus est, & cervix cæsa; nec umquam
Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli.
*O fortunatam natam, me Consule, Romam!*
Antonî gladios potuit contemnere, si sic
Omnia dixisset. Ridenda poëmata malo,
Quàm te conspicuæ divina Philippica famæ,

*pariter ac Tullio & funesta & exitialis eloquentia fuit, utrumque ingenii felix ubertas & copia perdidit. Ingenium præstans exstitit in causa cur Ciceroni demortuo caput abscissum & dextera manus fuerit; nec rostra umquam patroni mediocris cruore sunt imbuta.* O fortunatam natam me Consule Romam. *Si nihil dixisset Cicero, vel scripsisset elegantius hoc suo versu, nihil habuisset profectò quod Antonii crudelitatem & arma formidaret. Mihi verò magis placent inepta ejusmodi carmina, quàm Philippica ejusdem*

puer emptam asse, *id est*, minimo pretio, domi colat.

120. *Manus, &c.* M. Tullius Cicero, proscriptus a Triumviris anno Romæ 710, fugiebat in Græciam ad Brutum. A percussoribus Popilio Tribuno & Herennio Centurione deprehensus in sylva, lecticam quâ vehebatur à servis poni jussit, cervicemque impio ferro secandam protendit, natus annos 64. Antonius in exstinctum adhuc furens, caput ejus & dextram in Rostris, quo e suggestu tam sæpè Tullius in eum peroraverat, figi jussit.

121. *Rostra.* Gall. *La tribune aux harangues : les Rostres.* Ejus loci pars infima ornata erat rostris, (*éperons d'airain*) seu proris navium quæ in prælio navali contra Antiates gesto, captæ fuerant. Atque hæc quidem *Rostra vetera* vocabantur. Exstructa sunt deinde alia quæ *nova* sunt appellata, & ornata rostris navium in Actiaca pugna captarum ab Augusto.

122. *O fortunatam, &c.* Dicitur hic versiculus a Cicerone compositus, gratulante sibi ob exstinctam Catilinæ conjurationem, tamquam alteri urbis & reipublicæ parenti.

125. *Philippica.* Quas habuit orationes in Antonium Cicero, Philippicas appellavit, quia similes erant iis, quas Demosthenes olim habuerat in Philippum, publicæ libertatis eversorem, & quas Philippicas nominaverat.

Volveris a prima quæ proxima. Sævus & illum
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ
Torrentem, & pleni moderantem frena theatri.
Dis ille adversis genitus, fatoque sinistro,
Quem pater ardentis massæ fuligine lippus
A carbone, & forcipibus, gladioſque parante
Incude, & luteo Vulcano ad Rhetora misit.
Bellorum exuviæ, truncis affixa trophæis
Lorica, & fractâ de cassîde buccula pendens,

*Tullii ſecunda, quæ tantum ipſi gloriæ comparavit. Nec minùs crudeli exſtinctus eſt leto ille, quem inſtar torrentis perorantem, & populi magno numero ad eum audiendum concurrentis animos velut injectis frenis, quò vellet, ducentem, unde vellet abducentem, Athenæ ſuſpiciebant. Demoſthenem profectò iratis natum eſſe Superis, infenſiſque fatis oportuit, quem parens lippus, ob candentis ferri maſſas, quas tractare conſueverat, juſſit, relictâ officinâ, fornace, forcipibus & incude, in qua gladii fabricabantur, ad Rhetoricæ profeſſorem in ludum litterarium ire. Ita vulgò perſuaſum habemus, ſpolia hoſtibus erepta, excitatum e mutilata quercu trophæum, ex eoque ſuſpenſum thoracem ferreum, & bucculam de rupta galea pendentem.*

126. *Sævus, &c.* Alexandro mortuo Antipater Græciæ præfuit: is cùm ſicarios miſiſſet, qui Demoſthenem in Calauria inſula, ubi aſylum Neptuno ſacrum erat, comprehenderent; rogavit illos Demoſthenes ut parumper exſpectarent, dum quidpiam ad amicos ſcriberet, mox calamum admovit ori, hauſtoque, quod in eum uſum aſſervabat veneno, ſibi necem conſcivit. Plutarch.

128. *Torrentem.* Torrentis inſtar exundantem eloquentiam.

130. *Pater, &c.* Litteris proditum eſt Demoſthenis patrem fuiſſe fabrum ferrarium, gladiorum & cultellorum opificem.

132. *Luteo Vulcano*, de ſa boutique enfumée.

*Rhetora.* Iſæum, dicendi tunc magiſtrum.

133. *Trophæis.* Trophæum, ſeu tropæum, erat victoriæ monumentum, in eo poſitum loco, ubi hoſtes acie commiſſa primùm eſſent in fugam verſi, a Græco verbo τρέπω, τετρόφα *verto*; hoc igitur in loco ingens quercus ſtatuebatur a victoribus, deciſis ramis, & ſpoliis hoſtium, galeâ, thorace, clypeo, &c. induebatur. Virgil. initio Lib. XI.

134. *Lorica.* Hæc pridem e

Et curtum temone jugum, victæque triremis
Apluſtre, & ſummo triſtis captivus in arcu,
Humanis majora bonis creduntur: ad hæc ſe
Romanus, Grajuſque ac barbatus Induperator
Erexit: cauſas diſcriminis, atque laboris
Inde habuit: tantò major famæ ſitis eſt, quàm
Virtutis. Quis enim virtutem amplectitur ipſam,
Præmia ſi tollas? Patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum, & laudis, titulique cupido
Hæſuri ſaxis cinerum cuſtodibus; ad quæ
Diſcutienda valent ſterilis mala robora ficûs:
Quandoquidem data ſunt ipſis quoque fata ſepulcris.

*jugum a temone ſuo avulſum, dereptum e victæ navis proræ ornamentum; erectos in triumphantium honorem fornices, in eorumque ſuprema parte poſitas e ſaxo effigies captivorum; hæc, inquam, omnia ſummum in humanis bonis obtinere locum, iiſque mortales ad ipſos Deos evehi, arbitramur. Hæc illa ſunt, quæ ut conſequerentur Græci pariter ac Romani Duces, nihil inauſum, inexpertumque reliquerunt; eam ob rem tot ſe periculis, tot laboribus objecerunt, quos nemo virtutis aſſequendæ causâ ſuſcipiat; adeo conſtat homines gloriæ quàm virtutis avidiores eſſe! Quem enim reperias, qui virtutem, ſublatâ ſpe mercedis ac præmii conſectetur? Hanc tamen bellicam laudem dum pauci quidam ambiunt præpoſterè, florentiſſima imperia ſuamque patriam everterunt, nempe ut celebraretur ipſorum nomen, ut titulos adipiſcerentur ſepulcris ſuis inſcribendos, in quibus cineres urnis conditi ſervantur; & quibus diſficiendis caprificus ſufficit: nam in ipſa quoque ſepulcra*

loris, nunc e ferro, nomen tamen retinuit.

*Buccula.* Pars galeæ quæ buccam, ſive os hominis galeati tegit.

*Triremis.* Navis inſtructæ triplici ordine remorum: victoriæ navalis monimenta.

136. *Apluſtre.* Sunt Apluſtria navium ornamenta, quæ a navibus captis deripiebant victores, ac tamquam victoriæ monumenta, ſervabant domi, foribus appendebant, &c.

138. *Induperator.* Vox vetus: Imperator.

145. *Sterilis ficûs.* Arbor eſt quædam, parietibus innaſcens: emovenſque paulatim lapides, *un figuier ſauvage.*

Expende Annibalem: quot libras in duce summo
Invenies? Hic est, quem non capit Africa, Mauro
Perfusa Oceano, Niloque admota tepenti;
Rursus ad Æthiopum populos, aliosque Ele-
phantos:
Additur imperiis Hispania: Pyrenæum
Transilit. Oppositit natura Alpemque, nivemque:

*mors & fata jus habent. Age, cineres Annibalis pondera: quot libras reliquiæ tanti Ducis pendunt? Hic ille est cui angusta fuit tota quàm latè patet ab Mauritaniæ littoribus ad Nilum usque, Africa: præter Æthiopiam geminam, ubi paulo diversi ab Indicis elephanti visuntur, redigitur in ejus ditionem Hispania: Pyrenæos montes superat. Objicit illi natura Alpes nivibus coopertas & invias;*

147. *Annibalem.* Sat. VI, nota 121, & Sat. VII, versu 161.

148. *Mauro Oceano.* Mauritania, ultima regio Africæ, versùs occidentem porrigitur.

149. *Niloque.* Nilus procul in orientem ac meridiem extenditur.

150. *Æthiopum.* Æthiopia, pars ejusdem Africæ, cis & ultra æquatorem patet: continet Abyssinorum regnum, Nubiam, &c. Sat. II, nota 12, *Æthiopem.*

*Alios Elephantos.* Diversos ab iis quos alit Mauritania, vel ab iis, qui nascuntur in India, quos Elephantes Afri & alii venerantur ac pavent. Plin. Lib. VIII, c. 9.

151. *Additur imperiis Hispania.* Regnis jam possessis, *v. g.* Mauritaniæ, Æthiopiæ, &c. Revera non Africâ contentus Annibal in Europam transit: ac primò Hispaniam armis domat: hinc in Gallias, pòst in Italiam victor pergit.

*Hispania.* Cùm bellum in Italiam transportare vellet Annibal, Hispaniam primùm ingressus, Saguntum urbem populi Romani sociam expugnavit, evertitque anno U. C. 534; mox per Galliam & Alpes viam sibi fecit labore incredibili, montes igne acetoque infuso perfringens: evasit denique in plana & aperta, ubi Romanos ad Ticinum, ad Trebiam, ad Trasymenum lacum, ad Cannas, profligat. Capuâ dein potitus ad tertium ab urbe lapidem castra super Anienem fluvium posuit; cúmque per triduum in exercitus Romani conspectu fuisset, ne pugnam committeret, oborta tempestas interceSSit. Tit. Liv. Lib. XXI.

*Pirenæum.* Mons Pyrenæus separat Hispaniam a Gallia, meridiem versùs, ut Alpes Italiam ab eadem dividunt, ortum versùs.

Diducit scopulos, & montem rumpit aceto.
Jam tenet Italiam; tamen ultra pergere tendit.
Actum, inquit, nihil est, nî Pœno milite portas
Frangimus, & mediâ vexillum pono Suburrâ.
O qualis facies, & quali digna tabellâ,
Cùm Gætula Ducem portaret bellua luscum!
Exitus ergo quis est? O gloria! Vincitur idem
Nempe, & in exsilium præceps fugit, atque ibi magnus,

*rupes aceto dividit, montibusque diruptis Italiam occupat. Non hîc tamen sistit: Parum, inquit, promovimus, nisi Romæ frangimus portas & Punica vexilla in medio foro victores defigimus. O faciem spectandam! o dignum qui pingeretur, Annibalis coclitis, insidentis elephanto, vultum? Quò demum evadet vir tantus, quò recident tot consilia, tot prælia, tot victoriæ? O humanæ gloriæ vanitatem! Idem ille qui Romæ jam imminebat, vincitur, fugit, pellitur in exsilium, & ad regias fores magnus cliens assi-*

153. *Aceto.* Annibal invias Alpium rupes, excitato e vicinis arboribus igne, infusoque saxis ardentibus aceto, putrefecit, disjecitque. Tit. Livius, Lib. XXI.

155. *Pœno.* Carthaginienses Pœni dicti sunt quasi Phœni. Ducebant enim a Phœnicibus originem. Virg. Lib. I Æn. v. 345.

156. *Suburra.* Sat. III, nota *Suburræ.*

158. *Gætula bellua.* Elephas Gætulus.

*Luscum.* Cùm penetrasset in Italiam Annibal, vigiliis & nocturno humore, palustrique circa fluvium Arnum, qui stagnantibus aquis Etruriam inundaverat, cœlo caput gravante, oculo altero captus est. Liv. Lib. XXII.

159. *Vincitur, &c.* Scipio, ut hærentem in Italiæ visceribus Annibalem abstraheret, in Africam transportat exercitum anno U. C. 549, victis Hannone, Syphace, Asdrubale, ipsum Annibalem, qui ex Italia redierat in patriam, fundit fugatque, ac secundum bellum Punicum componit.

160. *In exsilium, &c.* Annibal a Scipione victus, cùm suadere pacem civibus suis non posset, fugit clam ad Antiochum Syriæ Regem, inde ad Prusiam Regem Bithyniæ, in minori Asia: sed cùm ne ibi quidem tutus consisteret, Romanis eum a Prusia repetentibus, immo ejus domum obsidentibus, hausto, quod habebat semper in promptu, veneno exspiravit, natus annos 70.

Mirandusque cliens sedet ad prætoria Regis,
Donec Bithyno libeat vigilare tyranno.
Finem animæ, quæ res humanas miscuit olim,
Non gladii, non saxa dabunt, non tela; sed ille
Cannarum vindex, ac tanti sanguinis ultor
Annulus. I, demens, & sævas curre per Alpes,
Ut pueris placeas, & declamatio fias.
Unus Pellæo juveni non sufficit orbis:
Æstuat infelix angusto limite mundi,
Ut Gyaræ clausus scopulis, parvâque Seripho.
Cùm tamen a figulis munitam intraverit urbem,

*det, exspectans dum Bithyniæ regulus expergiſci & admittere ſalutantem velit. Inquietam ac ferocem Annibalis animam, quæ terrarum orbem perturbavit, non exſtinguent enſes, non ſcopuli, non tela; ſed ipſius annulus, qui pœnas Romani ſanguinis ad Cannas profuſi ab eo repetet. I nunc, mortalium dementiſſime, Alpes tranſili, caput ſexcentis periculis objice, ut laudem ſcilicet apud pueros in ludo litterario merearis, ac declamationibus argumentum illuſtre ſuppedites. Alexander orbe uno contentus non eſt; illi mundus hic videtur anguſtior, in eoque velut arctis conſtrictus ſpatiis, aut Gyara vel Seripho incluſus, angitur & miſerè ſudat. Ubi tamen Babylonem fuerit in-*

161. *Cliens.* Sat. I, nota *Clientes*, & Sat. III, v. 115. Clientibus erat ſolenne ad ſalutem dicendam patronis, mane præſtolari in atrio, donec evigilarent.

*Prætoria.* Sat. I, nota 61.

162. *Bithyno.* Eſt Bithynia pars Aſiæ minoris, in ea Pruſias regnabat, cùm ad ipſum Annibal fugit.

164. *Non gladii, &c.* Non honeſtâ & forti morte occumbet, verbi gratiâ in acie, &c. ſed intra parietes, ignotus, despectus, &c.

165. *Cannarum vindex.* Ultor cladis apud Cannas Apuliæ oppidum Romanis illatæ, ac tot annulorum Romanis equitibus detractorum. Vide Sat. II, nota *Cannis*.

167. *Declamatio.* Oratio, vel Poëma, ficto argumento, ad exercendam eloquentiam, vocem, ſtylum.

168. *Pellæo juveni.* Pella, urbs Macedoniæ, patria Alexandri Magni. Cùm Alexander audiviſſet ab Anaxarcho Philoſopho infinitos eſſe mundos, ingemuiſſe fertur, & in has voces erupiſſe: Miſerum me, qui nondum unius dominus ſim!

170. *Gyara.* Sat. I, n. 59. *Seripho.* Sat. VI, nota 416.

171. *A figulis munitam.*

Sarcophago contentus erit. *Mors sola fatetur,*
*Quantula sint hominum corpuscula.* Creditur olim
Velificatus Athos, & quidquid Græcia mendax
Audet in historia : cùm stratum classibus isdem,
Suppositumque rotis solidum mare : credimus altos
Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Sostratus alis.

*gressus, feretrum illi sufficiet.* Sola mors, quàm exile quidpiam & minutum sit homo, docet. *Credimus montem Athon olim a Xerxe perfossum & circumnavigatum fuisse : credimus alia id genus multa, quæ Græci, mendaciorum artifices egregii, litteris prodere non dubitant : cùm* v. g. *perhibent opertum æquor iisdem Xerxis classibus, quibus Athon circumnavigaverat, & curribus pervium exstitisse ; fluvios integros exhaustos & exsiccatos uno Persici exercitus prandio, aliaque plurima ejusdemmodi, quæ Sostratus, cùm*

Babylonis muri e cocto latere constabant.

172. *Sarcophago.* Gall. *un cercœuil.*

174. *Athos.* Mons Macedoniæ altissimus, in Ægeum mare procurrens, quem Xerxes, compendium viæ quærens, jussit abscindi a continente, fossâ & canali ducto inter Athon & continentem, passuum mille & quingentorum, per quod extemporale fretum naves suas transmisit.

175. *Cùm stratum classibus.* Xerxes Persarum Rex Græcum nomen delere cogitans, exercitum scripsit, in quo hominum tricies centena millia, navium centena millia numerabantur. Europam & Asiam junxit, fabricato e navibus super Hellespontum perpetuo ponte. Victus navali prælio, Hellespontum repetiit ubi cùm disjectum solutumque pontem hyeme ac tempestatibus offendisset, jussit trecenta verbera infligi pelago, compedes injici, colaphosque incuti. Denique piscatoriâ scaphâ trajecit in Asiam.

176. *Suppositum rotis.* Nempe curruum, quibus supellectilem bellicam & tormenta devehebat, super pontem.

177. *Medo.* Medi, Asiæ populus, Persis vicinus.

178. *Sostratus.* Poëta, qui hanc Persarum cladem carmine prosequutus erat.

*Alis madidis.* Poëtæ *cygni* vulgò appellantur & *alites Phœbi* : madere vino iidem amant. Olent enim dulces vina Camænæ, ut canit Flaccus Ep. 19, Lib. I. Potest exponi *alis*, axillis, *madidis* verò, sudantibus ; ibi enim sudor ut plurimum existit, labore collectus.

Ille tamen qualis rediit, Salamine relictâ,
In Corum, atque Eurum solitus sævire flagellis
Barbarus, Æolio numquam hoc in carcere passos,
Ipsum compedibus, qui vinxerat Ennosigæum?
Mitius id sanè, quod non & stigmate dignum
Credidit. Huic quisquam vellet servire Deorum?
Sed qualis rediit? Nempe unâ nave, cruentis
Fluctibus, ac tardâ per densa cadavera prorâ;
Has toties optata exegit gloria pœnas.
Da spatium vitæ, multos da, Juppiter, annos:
Hoc recto vultu, solum hoc & pallidus optas.
Sed quàm continuis & quantis longa senectus

*se largiter vino proluit, cantare amat. Idem ille nihilominus Xerxes qualis tandem in suam Persidem est reversus? Quantum ab illo mutatus, qui ventos verberibus cædi jusserat, numquam profectò in Æoliis carceribus eâ multatos pœnâ, qui vincula ipsi Neptuno injecerat? clementer sanè factum, quod eumdem etiam candente ferro ad ignominiam inuri non imperaverit. Equis Deorum homini tam barbaro, tam impio navare operam ac favere vellet. Sed qualis tandem in Persidem remeavit? Nimirum unicâ navi per fluctus suorum militum sanguine cruentatos, & per cadaverum temere fluitantium acervos ægrè viam expediens. Ita suos illos amatores Gloria tot expetita votis ulciscitur. O Jupiter, annue mihi longioris vitæ moras, annosque complures imperti: hoc erecto vultu, hoc unicè ac sollicitè desideras. Verùm quàm gravibus, quàm sibi sine ulla intermissione succedentibus incommodis senectus longior laborat! intuere faciem suâ formâ & venustate spoliatam, ab*

179. *Salamine.* Insula prope Atticam, ubi a Themistocle & paucis Græcis victus Xerxes. Dicitur Salamis, Salamin & Salamina.

180. *Corum.* Unum e primoribus ventis, ab occidente flantem.

*Eurum.* Eurus unus e primoribus ventis; ab oriente spirat.

181. *Æolio.* Æolus, ventorum Rex.

182. *Ennosigæum.* Græca vox, ἐννοσίγαιος, *terram quatiens*: Neptuni epithetum ab ἐνόω, *concutio*, & γαῖα: *terra*. Mare suis fluctibus terram concutit.

183. *Stigmate.* Facinorosis hominibus inuruntur sæpe ad ignominiam, candenti ferro in fronte aut humeris notæ quædam, quas Græci vocant, στίγματα, a verbo, στίζω *pungo, pungo.*

Plena malis! deformem, & tetrum ante omnia vultum,
Dissimilemque suî, deformem pro cute pellem,
Pendentesque genas, & tales adspice rugas,
Quales, umbriferos ubi pandit Tabraca saltus,
In vetula scalpit jam mater simia bucca.
Plurima sunt juvenum discrimina: pulchrior ille
Hoc, atque ille alio; multùm hic robustior illo,
Una senum facies; cum voce trementia labra,
Et jam læve caput, madidique infantia nasi.
Frangendus misero gingivâ panis inermi:
Usque adeo gravis uxori, natisque, sibique,
Ut captatori moveat fastidia Cosso.
Non eadem vini, atque cibi, torpente palato,
Gaudia. Quid refert sedeat quâ parte theatri,
Qui vix cornicines exaudiat, atque tubarum
Concentus? Clamare opus est, ut sentiat auris,
Quem dicat venisse puer, quot nuntiet horas.
Prætereà minimus gelido jam corpore sanguis

*ea facie quæ olim erat, heu! longè diversam: pellem, vel corium potiùs aridum, pro molli & candida cute: genas pendulas, & sulcatas rugis, quales scabit vetula simia in Tabracæ nemoribus. Juvenes alii aliâ dote inter se sunt dissimiles; hic illo formosior: ille fortior & valentior est: senum omnium idem est vultus, eadem deformitas, eadem totius corporis incommoda: vox cum labris tremit: caput pilis exutum; nasus, more infantium, ab humore perpetuo defluente madens. Comminuendus in minuta frusta panis, quem ipse nequit frangere ob gingivas dentibus destitutas: molestus conjugi, liberis, sibi; adeo ut ipsi Cosso, qui ejus hereditatem captat, nauseam tædiumque pariat. Non eamdem e vino dapibusque voluptatem, senio videlicet palatum hebetante, percipit. Quid intereat ubi sedeat in theatro, cujus aures cornuum ac tubarum clangore vix feriantur? Clamorem attollere servus debet, eum admonens quis ipsum conveniat domi, quota hora sit. Exiguus est sanguis in gelido corpusculo, isque frigidus,*

191. *Tabraca.* Urbs Africæ, cincta sylvis, simiorum plenis.

195. *Bucca.* Oris est rictus.

202. *Captatori.* Qui senum hereditati inhians, gratiam eorum aucupatur: ac licèt omnia pati assueverit, hanc

Febre calet solâ : circumsilit agmine facto
Morborum omne genus, quorum si nomina quæras,
Promptiùs expediam, quot amaverit Hippia mœchos :
Quot Themison ægros autumno occiderit uno,
Quot Basilus socios, quot circumscripserit Hirrus.
Percurram citiùs quot villas possideat nunc,
Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat.
Ille humero, hic lumbis, hic coxâ debilis : ambos
Perdidit ille oculos, & luscis invidet : hujus
Pallida labra cibum capiunt digitis alienis.
Ipse ad conspectum cœnæ diducere rictum
Suetus, hiattantùm, seu pullus hirundinis, ad quem
Ore volat pleno mater jejuna. Sed omni
Membrorum damno major dementia : quæ nec
Nomina servorum, nec vultum agnoscit amici,
Cum quo præteritâ cœnavit nocte ; nec illos

*nisi febre accendatur. Circumvolat morborum omnis generis cohors numerosa, quos nominare si velim, citiùs dixerim quot adulteros amaverit Hippia, quot ægroti a medico Themisone fuerint uno Autumno interfecti, quot socios Basilus, quot Hirrus per malas artes spoliaverit : facilius villas enumeravero, quarum nunc dominus est, qui tonsor mihi olim juveni barbam desecuit. Alius senex humeris laborat, alius lumbis, alius femore : hic oculo utroque captus est, & fortunatos luscos putat ; ille alienâ operâ indiget, ut pallentibus labiis cibum sumat : cúmque apponuntur fercula, hisce duntaxat ore aperto, instar hirundinini pulli, quem mater pascit, ipsa esuriens, & cui escam in os ingerit. Sed istis, qui corpus vexant, morbis longè gravior morbus infirmæ ac parum sanæ mentis est, quo fit ut neque servorum nomina meminerit, neque amici vultum agnoscat, cum quo pridie cœnavit, neque liberos ex*

tamen putidum & recoctum senem ferre nequit.

212. *Themison.* Medicus tunc nobilis.

213. *Circumscripserit.* Circumscribere est, circumvenire, fallere : in arctum compellere.

215. *Quo tondente, &c.* De ejusmodi tonsore meminit. Sat. 1, nota 22. *Provocet.*

216. *Coxa.* Pars superior femoris est.

Quos genuit, quos eduxit. Nam codice sævo
Heredes vetat esse suos: bona tota feruntur
Ad Phialen, tantum artificis valet halitus oris.
Ut vigeant sensus animi, ducenda tamen sunt
Funera natorum; rogus adspiciendus amatæ
Conjugis, & fratris, plenæque sororibus urnæ.
Hæc data pœna diu viventibus; ut renovatâ
Semper clade domûs multis in luctibus, inque
Perpetuo mœrore, & nigrâ veste senescant.
Rex Pylius (magno si quidquam credis Homero)
Exemplum vitæ fuit a cornice secundæ.
Felix nimirum, qui tot per secula mortem
Distulit, atque suos jam dextrâ computat annos,
Quique novum toties mustum bibit: oro parumper
Attendas, quantum de legibus ipse queratur

*se educatos, & quibus hereditatem ipse suam crudeli testamento eripit, dum omnes fortunas donat Phialæ, quam heredem ex asse scribit; usque adeo potuit impura & vafra mulier hominem ore callido inescare! Sed fac tamen senem adhuc bonæ mentis esse compotem, nihilominus lugeat filiorum mortem oportebit, eosque ad rogum efferat: dilectæ uxoris bustum ac fratris intuebitur: & urnas sororum cineribus refertas. Nempe id supplicii longævos manet, ut iteratis & continuatis in familia funeribus, assiduo in mœrore ac nigro amictu miseram senectutem exigant. Nestor, si Homero habemus fidem, unus post homines natos ad cornicum longævam ætatem proximè accessit: & actum scilicet præclarè cum illo putas, qui tamdiu vitam prorogaverit, jamque dexterâ utatur manu ad numerandam ætatem, ac toties vinum recens hornumque potet. Verùm,*

225. *Codice.* Libro, tabulis testamenti.

228. *Ut, &c.* Significat hîc, *quamvis.*

234. *Rex Pylius.* Pylus, Laconiæ, in Græcia, urbs. Ibi regnavit Nestor, Græcorum sapientissimus. Tres hominum ætates vixisse fertur.

235. *Secunda a cornice.* Longissimæ vitæ, post vitam cornicum, quæ multis seculis vivere perhibentur.

237. *Dextrâ computat.* Veteres digitis certo modo complicatis utebantur ad numerandum: & quidem adhibebant manum sinistram ad numeros infra centum designandos; dexteram, ad eos qui supra centum excurrerent. Nestor igitur centum annos expleverat, qui dextrâ uteretur ad eos numerandos.

Fatorum, & nimio de ſtamine; cùm videt acris
Antilochi barbam ardentem: nam quærit ab omni,
Quiſquis adeſt, ſocio, cur hæc in tempora duret,
Quod facinus dignum tam longo admiſerit ævo.
Hæc eadem Peleus, raptum cùm luget Achillem:
Atque alius, cui fas Ithacum lugere natantem.
Incolumi Trojâ Priamus veniſſet ad umbras
Aſſaraci magnis ſolennibus, Hectore funus
Portante, ac reliquis fratrum cervicibus, inter
Iliadum lacrymas, ut primos edere planctus
Caſſandra inciperet, ſciſſâque Polyxena pallâ;

*amabo, expende quàm graviter ipſe de fatorum in ſe inclementia expoſtulet, ut vitam accuſet longiorem, cùm Antilochi filii jam grandioris & barbati cadaver impoſitum rogo cremari cernit. Cur, inquit, amicos adſtantes adſpiciens, in hoc uſque tempus vivo? Quid ſceleris admiſi propter quod hæc mihi vitæ tam diuturnæ pœna ſit irrogata? Eadem Peleus queritur, cùm Achillem filium acerbâ morte ſibi ereptum deplorat: necnon Laërtes, cui ſenectus longa vitam idcirco videtur conceſſiſſe, ut Ulyſſem variis Pelagi erroribus jactatum diutiùs lugeret. Si Priamus obiiſſet florente adhuc Trojâ, quo tempore Paris in Græciam profecturus, & Helenam audaci rapturus ſcelere, claſſem adornabat; profectò elatus fuiſſet magno apparatu, & ad Aſſaraci Manes placidè deſcendiſſet, Hectore cum fratribus impoſitum humeris cadaver geſtantibus, Trojanis matronis luctu lacrymiſque funus proſequentibus, Caſſandrâ planctum*

240. *Stamine.* Accipitur hoc in loco pro *lana*, quam e colu trahunt Parcæ, & cum ea vitam hominum ducunt, ut fingunt Poëtæ.

241. *Antilochi.* Antilochus Neſtoris filius, a Memnone occiſus fuit in Trojano bello.

*Peleus.* Æaci filius, Thetidis maritus.

*Achillem.* Sat. I, nota 148, & Sat. III, nota 265.

245. *Itachum.* Ulyſſem, ita dictum a patria Ithaca, inſula maris Ionii, contra Epirum.

247. *Aſſaraci.* Tros, Rex Trojanorum, Erichthonio genitus, filios habuit Ilum, Aſſaracum, & Ganymedem. Ab Ilo procreati ſunt Laomedon & Priamus, ac proinde avus Priami Aſſaracus.

249. *Iliadum.* Troja dicta fuit Ilium ab Ilo Trois filio: Iliades, Trojanæ matronæ.

250. *Caſſandra, Polyxena.* Priami filiæ, ſorores Hectoris. Virg. Lib. II Æneid.

Si foret exstinctus diverso tempore, quo jam
Cœperat audaces Paris ædificare carinas.
Longa dies igitur quid contulit? Omnia vidit
Eversa, & flammis Asiam, ferroque cadentem.
Tunc miles tremulus positâ tulit arma tiarâ,
Et ruit ante aram summi Jovis, ut vetulus bos,
Qui domini cultris tenue & miserabile collum
Præbet, ab ingrato jam fastiditus aratro.
Exitus ille utcumque hominis: sed torva canino
Latravit rictu, quæ post hunc vixerat, uxor.
Festino ad nostros, & Regem transeo Ponti,
Et Crœsum, quem vox justi facunda Solonis

*inchoante, Polyxenâ discissis vestibus eumdem incendente. Quid igitur Priamum vita longior juvit? nisi ut patriam cerneret eversam, Asiamque Græcorum ferro flammisque vastatam? Tunc ipse jam senio tremens, deposito diademate, arma induit, atque ante Jovis aram confossus cecidit, instar annosi bovis, qui ab aratro propter senectutem remotus, immolatur ab ingrato agricola, & exangue collum cultro subjicit. At illa mors, licèt miserabilis, tamen ejusmodi est quam hominis natura non respuat; verùm ejus uxor, quæ post illum est mortua, indignam homine mortem obiit, in belluam conversa, & canum more latrans. Omitto, ut citiùs ad Romanorum exempla veniam, Mithridatem; omitto Crœsum, quem Solon sapienter admo-*

*Palla.* Vestis est muliebris amplior & honestior: scindebant vestes in luctu.

251. *Diverso tempore.* Alio tempore, atque illo, quo periit: si exstinctus fuisset illo tempore, quo Paris in Græciam est profectus.

252. *Paris.* Priami filius, frater Hectoris, abunde notus: ejus sororem Hesionem Hercules bello captam Telamoni Duci Græco dederat. Id ægrè ferens Priamus misit Paridem, qui eam aut reciperet, aut aliam raperet. Ille rapuit Helenam, & quidem, ut nonnulli tradunt, haud invitam.

255. *Tunc, &c.* Virg. lege Lib. 2, v. 206, trucidatus est a Pyrrho Priamus, ante altare Jovis Hercei.

260. *Uxor.* Hecuba, quæ luctu extabescens, cùm Græcos probris & dicteriis incesseret, ac perpetuò veluti allatraret, in canem mutata fertur.

261. *Regem Ponti.* Pontus regio est minoris Asiæ. Mithridates annos octo & sexaginta confecit. De illius morte dictum Sat. VI, nota 513.

262. *Crœsum.* Regem Lydiæ, in Asia minori: qui cùm

Respicere ad longæ jussit spatia ultima vitæ.
Exsilium, & carcer, Minturnarumque paludes,
Et mendicatus victâ Carthagine panis,
Hinc causas habuere. Quid illo cive tulisset
Natura in terris, quid Româ beatius umquam;
Si circumducto captivorum agmine, & omni
Bellorum pompâ, animam exhalasset opimam,

*nuit exspectandum esse ultimum vitæ diem, ut aliquis beatè vixisse tutò pronunciaretur. Certè senectus in causa fuit cur Marius exsilio multatus, conjectus in carcerem, coactus delitescere in Minturnensi palude, ad extremum in ipsa quam vicerat, Carthagine, corrogare stipem ostiatim ac panem coactus sit. Quid illo fortunatius fuisset, si post captivorum turbam per vicos urbis ductam, post triumphum insigni pompâ peractum, ex illo curru descendens,*

sibi omnium esse mortalium felicissimus videretur, monitus est a Solone Græcorum legislatore sapientissimo neminem, qui adhuc viveret, hoc prædicare de se tutò ac verè posse: quod adeo agnovit ipse Crœsus victus & captus a Cyro Persarum Rege, pyræque impositus: in qua cùm Solonis nomen sæpe inclamaret; audiens Cyrus & rem totam edoctus, illum neci ac pyræ, ut aiunt, exemit. Anno mundi 3510, U. C. 210.

264. *Exsilium, &c.* C. Marius in Arpino municipio natus humili loco, ad summos honores togæ militiæque pervenit. Sex Consulatus, multas victorias, geminum triumphum adeptus est. Jugurtham in Africa, Cimbros in Galliis, Teutonas in Italia debellavit. Victus a Sylla urbe pellitur: exsul, egens errat per Italiam; in palude Minturnensi mento tenus immersus aliquamdiu latet, agnitus in carcerem detruditur, & addicitur neci; sed immissum percussorem solâ oris majestate armatus, fugere trepidum cogit: mox in Africam scapha effugit, ut mendicet ostiatim. Postea tamen collectis copiis redit in Italiam. Cinnæ se adjungit, capit Romam, inimicos trucidat; septimum extorquet Consulatum, & post dies decem ac septem obit senio, ærumnis, & crapulâ confectus. Anno U. C. 667.

*Minturnarum.* Est illa urbs in Latio.

268. *Captivorum.* Qui victi currum triumphantis sequebantur.

269. *Opimam.* Spolia quædam opima proprio vocabulo dicebantur apud Romanos, nempe quæ Dux Duci detrahebat: huc alludens vates respicit. Opimus *idem etiam est, ac* fertilis, obesus, gloriosus, &c.

Cùm de Teutonico vellet descendere curru?
Provida Pompeio dederat Campania febres
Optandas: sed multæ urbes, & publica vota
Vicerunt. Igitur fortuna ipsius, & urbis
Servatum victo caput abstulit. Hoc cruciatu
Lentulus, hâc pœnâ caruit, ceciditque Cethegus
Integer, & jacuit Catilina cadavere toto.
Formam optat modico pueris, majore puellis
Murmure, cùm Veneris fanum videt anxia mater,

*in quo de Teutonibus triumphaverat, animam velut ovantem exspiraſſet? Expetenda fuerat illa Pompeio febris, quæ tamquam calamitatum ipſi impendentium præſcia, eumdem in Campania morantem invaſerat. Verùm vota infelicia plurimarum urbium, & populi benevolentia, Superos pro ejus incolumitate comprecantis, atque adeo fatum Pompeio, & Romæ infenſum, a Diis impetrarunt, ut eo morbo levaretur, nempe ut a Cæſare debellatus, capite minueretur, quo ſupplicio affectus non eſt Lentulus, non Cethegus, non Catilina, qui nullâ corporis parte truncati, perierunt. Mater, quoties templum Veneris intuetur, filios anxiè optat formoſos, filias magis, nec modum in votis*

270. *Teutonico.* Cimbri & Teutones, populi Germaniæ inferioris, Romanas acies ſæpius profligarunt. Teutonas adortus Marius prope Aquas ſextias, urbem Galliæ, eorum trecenta fere millia aut cecidit, aut in ſervitutem abduxit. Cimbri in Italiam per Noricum ex Alpibus, ſuper clypeos ſuos inter nives devoluti, populationem ac vaſtitatem circumferebant, Catulo Conſule fruſtra illis obſiſtente. Marius eoſdem ad Vercellas internecione delevit, ac tertius Urbis conditor eſt appellatus: Catulum tamen in Triumphi ſocietatem adſcivit. Vide Sat. VIII, n. 247, 251 & 252.

271. *Pompeio.* Suprà nota 108. *Pompeios.*

*Campania.* Pars Italiæ, ad Neapolim.

*Febres.* Ante bellum civile Pompeius Neapoli ægrotavit, ac vota pro ejus ſalute publicè ſuſcepta ſunt.

275. *Lentulus.* P. Lentulus conjurationis Catilinariæ particeps, unà cum Cethego, a Cicerone comprehenſus, in carcere ſtrangulatus fuit.

*Cethegus.* Sat. II, nota *Cethegum.* Sat. VIII, v. 220.

276. *Catilina.* Sat. II, nota *Catilina.* Sat. VIII, v. 229.

Uſque

Usque ad delicias votorum. Cur tamen, inquit,
Corripias? pulchrâ gaudet Latona Dianâ.
Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipsa habuit: cuperet Rutilæ Virginia gibbum
Accipere, atque suam Rutilæ dare. Filius autem
Corporis egregii miseros, trepidosque parentes
Semper habet: *Rara est adeo concordia formæ,*
*Atque pudicitiæ!* Sanctos licèt horrida mores
Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinas:
Prætereà castum ingenium, vultumque modestum
Sanguine ferventem tribuat natura benigna

*ullum tenet. Quid vitii votum isthuc habet, inquit illa? Nonne Latona magnam e Dianæ pulchritudine voluptatem & gloriam capit? Fateor, at Lucretia documento est, quàm periculosa sit insignis ejusmodi pulchritudo: nec Virginia libenter oris sui dignitatem cum Rutilæ gibbo non mutaret. Filius liberali & honestâ facie præditus continuam parentibus sollicitudinem & metum affert.* Quippe rarò venustatem cum pudicitia junctam reperias. *Quamvis puer optimis imbutus moribus, quamvis domesticâ disciplinâ, priscorum Sabinorum ritu, sobriè ac severè fuerit educatus: quamvis indolem castimoniæ amantem, modestam faciem ac pudico rubore suffusam acceperit a natura. Quod*

279. *Delicias votorum.* Vota exquisita, nimis delicata & lepida. Hæc Persius disertè explicat, Sat. II, v. 37. *Hunc* (puerum) *optent generum Rex & Regina: puellæ hunc rapiant, quidquid calcaverit hic, rosa fiat, &c.*

280. *Latona.* Mater Dianæ & Apollinis.

281. *Lucretia.* Matrona Romana, insignis pudicitiæ, quæ a Tarquinii Superbi Romanorum Regis ultimi filio per vim oppressa, seipsam interemit.

282. *Rutilæ.* Anus gibbosæ & retortidæ, quæ annos 97 vixisse perhibetur.

*Virginia.* Anno Romæ 303, creati fuerant ad condendas leges Decemviri. Præcipuâ vigebat inter illos auctoritate Appius Claudius, qui ad scelus, eâdem, ut fit, abutens, adjecit oculos ad Virginiam, Virginii Centurionis filiam. Cùm filiæ pudicitiam graviter oppugnari, necdum tamen expugnari potuisse, pater absens audivisset, Romam advolans, eam ultrò jugulavit, maluitque filiam nullam habere quàm turpem. Livius, Lib. III, c. 44.

287. *Sabinas.* Sabini, populus antiquus Italiæ, insigniter frugalis & parcus.

289. *Sanguine ferventem.* Verecundum; facilè eru-

Larga manu. Quid enim puero conferre poteſt plus
Cuſtode, & curâ natura potentior omni?
Sed caſto quid forma nocet? quid profuit olim
Hippolyto grave propoſitum? quid Bellerophonti?
Erubuit nempe hæc, ceu faſtidita, repulsâ.
Nec Sthenobæa minus, quàm Creſſa excanduit, & ſe
Concuſſere ambæ. Mulier ſæviſſima tunc eſt,
Cùm ſtimulos odio pudor admovet. Elige quidnam
Suadendum eſſe putas, cui nubere Cæſaris uxor

*enim ipſi beneficium præſtantius largiri natura poteſt? quæ una profectò plus & cuſtodibus omnibus & cautionibus ad ſervandam probitatem valet. Attamen, inquies, quid obeſt forma, ſi quis pudicitiam retinere omnino decreverit. Decreverat iſtud quidem Hippolytus; decreverat Bellerophon; quàm gravibus uterque nihilominus periculis & exitiis objectus eſt! Phædra ſe repulſam ab Hippolyto videns, & contemptam, pudore ſimul & odio ad ultionem exarſit. Nec leviores quàm Phædra concepit iras Sthenobœa, Bellerophontis faſtidium & probitatem non ferens: itaque ambæ ad caſtiſſimorum adoleſcentum perniciem totis animis incubuerunt. Nihil eſt muliere crudelius, cùm ad odium pudor & infamiæ metus acceſſit. Age quid conſilii capiendum eſſe putas Silio, cui nubere Auguſta conſtituit? Ado-*

beſcentem; quod eſt virtutis indicium.

293. *Hippolyto.* Hunc Phædra noverca deperibat: fruſtra tentatum accuſavit ipſa apud ejus patrem Theſeum, quaſi ab eo fuiſſet de flagitio interpellata. Theſeus a Neptuno petiit ut in filium curru vectum & ſpatiantem in littore Phocas immitteret. Equi monſtris marinis territi excuſſerunt Hippolytum, & raptatum per ſylvas laniarunt.

*Bellerophonti.* Bellerophon, Glauci Regis Corynthiorum filius, Prætum Argivorum Regem inviſebat: amavit adoleſcentem Sthenobœa Præti uxor, ſed caſtum experta, perdere ſtatuit. Itaque inſimulavit apud Prætum, qui malè credulus egit cum Sthenobœæ patre, ut Bellerophon Chimæræ lacerandus objiceretur.

295. *Creſſa.* Cretenſis nempe Phædra, filia Minoïs Cretenſium Regis.

298. *Cui nubere, &c.* Exemplo Romano confirmat formoſos magnis obnoxios periculis eſſe. Meſſalina, uxor Claudii, Romanorum Imperatoris quarti, amore cujuſdam Silii juvenis, Conſulis deſignati, adeo protervè ac petulanter exarſit, ut matri-

Deſtinat. Optimus hic, & formoſiſſimus idem
Gentis patriciæ rapitur miſer exſtinguendus
Meſſalinæ oculis: dudum ſedet illa parato
Flammeolo, Tyriuſque palàm genialis in hortis
Sternitur, & ritu decies centena dabuntur
Antiquo, veniet cum ſignatoribus auſpex.
Hæc tu ſecreta, & paucis commiſſa putabas?
Non niſi legitimè vult nubere. Quid placeat, dic:
Ni parêre velis, pereundum eſt ante lucernas.
Si ſcelus admittas, dabitur mora parvula, dum res
Nota urbi & populo contingat Principis aures.
Dedecus ille domûs ſciet ultimus. Intereà tu

*leſcens egregiè probus, formoſus, nobilis & patricio loco natus abripitur, ut in conſpectu Meſſalinæ juguletur, ſi ejus nuptias reſpuat. Exſpectat illum procax mulier nuptiali veſte induta, paratur domi lectus, præſide nuptiarum, genio ſacer, pro dote centena ſeſtertiorum, antiquo more, millia numerabuntur. Non deerunt auſpices, atque ſignatores tabularum & contractûs. Credebas matrimonium iſtud clam agitari, & paucis conſciis teſtibuſque adhibitis: atqui ſervatis omnibus legibus & ritibus matrimonii, nubere Meſſalina decrevit. Tecum expende, Sili, quid eligas. Si morem gerere abnuis, mortem tibi, antequam ſol occidat, paratam ſcito: ſi tanto ſcelere te obſtringis, non diu eodem lætabere, donec nimirum facinoris jam totâ civitate pervulgati fama Cæſaris aures allabatur: ille omnium poſtremus inuſtam domi ſuæ ignominiam reſciet. Interea*

monium palam contrahere cum eo non dubitaverit. Claudius qui tunc Oſtiam, ſacrificii causâ profectus erat, cùm rem accepiſſet, homo miræ facilitatis, aut vecordiæ potiùs, cùm ignoſcere illis cogitaret, admonente & urgente Narciſſo liberto, utrique necem afferri juſſit.

300. *Patriciæ.* Sat. I, nota 22.

302. *Flammeolo.* Sat. II, nota *Flammea.*

*Genialis.* Subaudi *lectus*; Genio ſacer.

303. *Decies centena.* Subaudi, *ſeſtertiorum millia.*

*Ritu antiquo.* Nonnulli hoc ironicè dictum accipiunt, tanta enim pecuniæ vis moribus antiquis, & veterum parcimoniæ non congruit.

304. *Auſpex.* Qui auſpicia captat. Nefas enim erat quidpiam moliri, non captis priùs auſpiciis.

307. *Ante lucernas.* Ante veſperam, cùm faces domi accenduntur.

310. *Ultimus.* Monitus a liberto ſuo Narciſſo.

Obsequere imperio, si tanti est vita dierum
Paucorum: quicquid levius, meliusque putaris,
Præbenda est gladio pulchra hæc, & candida cervix.
Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis,
Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris;
Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt Di.
Carior est illis homo, quàm sibi. Nos animorum
Impulsu, & cæcâ, magnâque cupidine ducti,
Conjugium petimus, partumque uxoris; at illis
Notum, qui pueri, qualisque futura sit uxor.
Ut tamen & poscas aliquid, voveasque sacellis
Exta, & candiduli divina tomacula porci,
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.
Fortem posce animum, & mortis terrore carentem:
Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoscumque labores,

*morem gere, Sili, si tanti æstimas brevem usuram lucis ac vitæ. Quidquid demum statuas tamquam rebus tuis utilius, obeunda mors erit, ac tuum illud caput venustum & elegans gladio demetendum. Hæc si se ita, uti diximus, habent, inquiet aliquis, nihil erit optandum hominibus. Si me audis, relinques Superis considerandum, quid tibi expediat. Pro iis enim rebus, quas voluptate ducti concupiscimus, utiles largientur, quippe quibus cariores quàm nobis ipsi, simus. Nos cœco & præcipiti quodam animorum impetu & cupiditate impulsi matrimonium expetimus, & conjugis partum: at norunt Superi, qualis uxor, qualis filius futurus sit. Ne nihil tamen petas, ne nullas Cœlitibus victimas immoles, petendum ab illis hoc unum, ut mente sanâ, sano corpore sis. Postula fortitudinem & robur animi, qui nullo mortis metu perturbetur, qui vitam longiorem in postremis naturæ muneribus numeret, qui*

321. *Qui pueri.* An boni, an mali sint nascituri.

323. *Candiduli porci.* Ait Varro in nuptiis & re uxoria, albos porcos sacrificari.

*Tomacula.* Farcimina quædam ex intestinis porcorum.

326. *Spatium vitæ extremum.* Potest hoc *de morte* exponi sic: qui mortem ponat inter naturæ munera.

Neſciat iraſci, cupiat nihil, & potiores
Herculis ærumnas credat, ſævoſque labores
Et Venere, & cœnis, & plumis Sardanapali. 330
Monſtro, quod ipſe tibi poſſis dare: ſemita certè
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.
*Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia.* Nos te
Nos facimus, Fortuna, Deam, cœloque locamus.

*ferendis quibuſcumque laboribus par, qui potens iracundiæ, cupiditatiſque, ſit; qui Herculis ærumnas laboreſque, voluptatibus, epulis, & mollibus Sardanapali ſtratis anteponat. Doceo te felicitatem cujus tu artifex tibi eſſe poſſis. Virtus traducendæ per ſummam tranquillitatem vitæ unica ratio eſt;* modò adſit prudentia, facilè Fortunâ carebimus, ejuſque numen contemnemus, *quæ inter Deos locum niſi vitio noſtro non obtinet.*

329. *Herculis.* Vide App. c. XV.

330. *Sardanapali.* Regis Aſſyriorum ultimi, luxu, deliciiſque perditi: cujus ea vox, Epicureo digna porco, fertur: Ede, bibe, lude, cetera nihili ſunt.

# SATIRA XI.

## ARGUMENTUM ET SYNOPSIS.

*Invitat Perſicum amicum ſuum ad frugalem cœnam, & occaſione datâ, helluones inſectatur.*

ATTICUS eximiè ſi cœnat, lautus habetur:
Si Rutilus, demens. Quid enim majore cachinno
Excipitur vulgi, quàm pauper Apicius? Omnis
Convictus, thermæ, ſtationes, omne theatrum
De Rutilo: nam dum valida, ac juvenilia membra
Sufficiunt galeæ, dumque ardens ſanguine fertur,
Non cogente quidem, ſed nec prohibente Tribuno,

*SI Atticus epulatur opiparè, homo ſplendidus & magnificus exiſtimatur: ſi Rutilus hoc idem facit, demens. Tantem illum prædicamus. Quid enim eſt quod vulgò magis rideamus, quàm, ſi quis egens, Apicii luxum imitari geſtiat? In ore omnium Rutilus eſt, frequens de illo ſermo in conviviis, in balneis, in theatro, in plateis: quippe qui poſt fortunas in ganeis dilapidatas, ad ludum gladiatorium, ut narrant, brevi eſt iturus, dum per ætatem ac robur adhuc arma tractare poteſt; ut ibi a magiſtro artis gladiatoriæ excipiat ſcripto concepta verba, & regulas, quibus tirones in ludicra pugna inſtituuntur; non coactus*

1. *Atticus.* Dives quiſpiam, tunc notus.

3. *Apicius.* Famoſus fuit apud Romanos helluo, Tiberio imperante.

4. *Thermæ.* Sat. VII, nota 223; VIII, nota 166.

*Stationes.* Hic gall. *places publiques.*

5. *Nam dum, &c.* Ideo in ore omnium eſt Rutilus quòd redactus ad egeſtatem cogatur gladiatoriam artem diſcere, ex qua faciat quæſtum aliquem: gladiatores enim conducebantur pretio, cùm ederentur ſpectacula; cùm pompa, exequiæ, &c. celebrarentur.

6. *Fertur.* Vel, properat in ludum gladiatorium, ibi ſcripturus præcepta iſtius artis; vel, dicitur, jactatur ſcripturus eſſe leges, &c.

7. *Tribuno.* Debuiſſet Tribunus plebis prohibere, ne

Scripturus leges, & regia verba lanistæ.
Multos porrò vides, quos sæpe elusus ad ipsum
Creditor introitum solet exspectare macelli;
Et quibus in solo vivendi causa palato est.
Egregiùs cœnat, meliúsque miserrimus horum,
Et citò casurus jam perlucente ruinâ.
Intereà gustus elementa per omnia quærunt,
Numquam animo pretiis obstantibus: interiùs si
Attendas, magis illa juvant, quæ pluris emuntur.
Ergo haud difficile est perituram arcessere summam,

*quidem a Tribuno, non tamen ab eodem prohibitus. Multos videre est, quos sui creditores sæpe antea decepti, operiuntur in ipso macelli aditu: qui videntur eam unam ob causam vivere, ut edant ac bibant. Quò quis inter illos est perditior, & citiùs ad egestatem redigendus, eò lautiùs vescitur. Interim donec suppetunt nummi, gulæ irritamenta & ciborum delicias in aëre, mari, terra, consectantur, & ex omnibus elementis corrogant, neque ullius pretii magnitudine, & caritate ullius opsonii quod illis arriserit, deterrentur ab emendo: quin, si rem diligentiùs expendas, ea fercula magis eos delectant, quæ majori pretio coëmuntur. Neque verò admodum laborant quemadmodum pecuniam malè perdendam comparent, quippe qui non dubitent eam a creditoribus mutuari datis pignori patinis aureis argenteisve, ac reliquâ domesticâ supellectili; concisis etiam frustatim & comminutis parentum suorum sta-*

civis artem gladiatoriam tractaret, quæ mancipiorum vulgò erat.

8. *Regia verba.* Dictata & præcepta quibus regio more tirones lanista docet; sta, feri, declina, &c.

*Lanista.* Sic vocabantur qui familias gladiatorum instituebant, alebant, &c. Sat. III, nota 43. *Lanistæ.*

10. *Exspectare.* Cùm habeat pro certo se illic debitores gulæ deditos inventurum quos domi reperire, aut alloqui non potuerit.

12. *Egregiùs.* Magis egregiè.

13. *Casurus.* Metaphora sumitur a pariete vitioso, qui tam intelligitur esse brevi ruiturus, cùm rimas agit, per quas ipse paries perlucet: trans quas prospectus patet.

14. *Gustus.* Exquisiti saporis cibos.

17. *Ergo haud, &c.* Ut emant illa opsonia cariora, nihil putant difficile, aut vetitum, ne ipsas quidem lances oppignerare, &c.

Lancibus oppositis, vel matris imagine fractâ,
Et quadringentis nummis condire gulosum
Fictile: sic veniunt ad Miscellanea ludi.
Refert ergo quis hæc eadem paret: in Rutilo nam
Luxuria est, in Ventidio laudabile nomen
Sumit, & a censu famam trahit. Illum ego jure
Despiciam, qui scit quantò sublimior Atlas
Omnibus in Lybia sit montibus; hic tamen idem
Ignoret quantum ferrata distet ab arca
Sacculus. E Cœlo descendit γνῶθι σεαυτὸν,
Figendum, & memori tractandum pectore, sive

*tuis: neque cunctantur in unum aliquod opsonium fictili patinæ, quandoquidem aliæ pignori sunt datæ, impositum, quadringenta sestertia impendere. Ita dissipatis brevi fortunis eò deveniunt isti gulosi, ut histriones evadant, ac personam in Miscellaneis ludis agant. Interest igitur quis lautè ac splendidè vescatur: id enim si Rutilus faciat, luxui & intemperantiæ deditus esse dicetur; si Ventidius, honestè ac laudabiliter agere prædicabitur; idemque vitium, quia fit a divite, nomen virtutis induet. Mihi verò ille parum sapere meritò videbitur, qui norit quantò altior ceteris Africæ montibus sit Atlas, neque tamen sciat quantum sit discriminis inter ingentem arcam ferro munitam, & exiguam crumenam. Præclara illa vox & sententia, Nosce teipsum, e cœlo ad nos demissa est: oportet illam altis mentibus reponere, illiusque meminisse, seu ducere*

19. *Quadringentis.* Sat. I, nota 91.

20. *Miscellanea.* Duplex huic verbo subjecta vis est: prima, ut significet ludos in quibus ludicra varii generis ederentur spectacula, quos Suetonius in Caligula cap. 20, Miscellos vocat: altera, ut significet cibum quemdam gladiatorum proprium, e variis dapibus mixtum. Quo sensu vocem illam si accipias, locum hunc de ludo gladiatorio accipe, non de histrionico.

*Ludi.* Positum est pro *ludii*, sicut peculi pro *peculii*, &c. Est autem *Ludius*, histrio, ludio; qui artes ludicras exercet. Explicui Sat. VI, nota 49, ubi vox eadem pro *gladiatore* sumitur.

22. *Ventidio.* Sat. VII, nota 199.

24. *Atlas.* Sat. VIII, nota 30. Mauritaniæ mons, in Africa, cujus pars est Lybia.

γνῶθι σεαυτὸν. *Nosce teipsum.* Hanc tententiam tribuit Plinius, Chiloni cuidam Lacedæmonio: Diogenes Laërtius, Thaleti Milesio: Cicero, Apollini.

Conjugium quæras, vel ſacri in parte Senatûs
Eſſe velis : nec enim loricam poſcit Achillis
Therſites, in qua ſe traducebat Ulyſſes.
Ancipitem ſeu tu magno diſcrimine cauſam
Protegere affectas, te conſule : dic tibi quis ſis,
Orator vehemens, an Curtius, an Matho. Buccæ
Noſcenda eſt menſura tuæ, ſpectandaque rebus
In ſummis minimiſque, etiam cùm piſcis emetur.
Nec mullum cupias, cùm ſit tibi gobio tantùm
In loculis; quis enim te, deficiente crumenâ,
Et creſcente gulâ, manet exitus ? ære paterno,
Ac rebus merſis in ventrem fœnoris atque
Argenti gravis, & pecorum, agrorumque capacem ?

*uxorem cogites, ſive in Senatum cooptari velis. Quippe Therſites Achillis demortui arma nequaquam expetivit, ſuæ ſibi videlicet ignaviæ conſcius, quibus ferendis ne ipſe quidem Ulyſſes par, cùm ea induit, ludibrio eſt habitus. Ad hunc modum tu, cùm periculoſam & dubiam defendere cauſam meditaberis in foro, tuas vires expende, temetipſe inſpice, an eloquens perituſque ſis patronus, an Curtio, & Mathoni ſimilis. Oris tui, ingenii, facultatis, modulum attende, ſi quid majoris minoriſve negotii ſuſcipias, etiam cùm piſcem emes, ne mullum appetas, quando gobionis pretium duntaxat habebis in crumena. Quorſum enim, quæſo, evades, cùm exhauſtis opibus, augebitur lautiorum dapum appetentia ? Cùm patrimonium & fortunas omnes conjeceris in tuum abdomen, quod inſtar voraginis uſuras, vaſa argentea, greges, fundos, abſorbet, ac devorat ? Ejuſmodi helluones, poſt omnia bona conſumpta,*

29. *Sacri.* Venerandi. Nihil ſanctius juſtitiâ, cujus arbiter & cuſtos Senatus.

38. *Achillis.* Sat. I, nota 148. Poſt ejus mortem, magna contentio inter Ajacem præſertim & Ulyſſem orta eſt, cùm ejus arma, ſcilicet a Vulcano fabricata, uterque ſibi depoſceret. Rem fusè narrat Ovid. Lib. XIII Metam. Ulyſſes vicit.

31. *Therſites.* Sat. VIII, nota 267.

*Traducebat.* Sat. VII, nota 16. *Traducit.*

34. *Curtius, Matho.* Ignobiles eâ tempeſtate cauſidici.

37. *Mullum.* Sat. IV, nota 14.

*Gobio.* Vilis piſciculus : *un goujon.*

41. *Gravis.* Non ſignati, puri, quod eſt adhuc in maſſa.

Talibus a dominis post cuncta novissimus exit
Annulus, & digito mendicat Pollio nudo.
Non præmaturi cineres; nec funus acerbum
Luxuriæ, sed morte magis metuenda senectus.
Hi plerumque gradus, conducta pecunia Romæ,
Et coram dominis consumitur. Inde ubi paulum
Nescio quid supereſt, & pallet fœnoris auctor,
Qui vertêre solum, Baïas, & ad Ostia currunt.
Cedere namque foro jam non tibi deterius, quàm
Esquilias a ferventi migrare Suburra.

*coguntur denique vendere ſuum annulum, eoque exſutus Pollio adigitur ad ſtipem corrogandam. Illis ganeonibus non tam præcox & intempeſtiva mors, quam ſenectus ipſa eſt pertimeſcenda. Porrò ad extremam egeſtatem & miſeriam iſtis ferè gradibus deveniunt: primùm nummos accipiunt mutuos, quos Romæ dilapidant, inſpectantibus ipſis creditoribus: poſtquam illa pecunia tota fermè conſumpta eſt, incipitque fœnerator metuere ne ſortem perdat; tum iſti nebulones Romam exſilio voluntario deſerunt, demum ad Baianum Oſtienſemve portum fugiunt. Nam decoquere ac forum argentarium relinquere, nemini videtur nunc turpius, quàm ab una urbis regione ad alteram, a Suburra, ubi æſtas & calor eſt gravior, in Eſquilias frigidiores*

42. *Exit.* A digitis, e ſcrinio.

43. *Annulus.* Erat inſigne Equitum Romanorum. Sat. I, nota 26.

*Pollio.* Nobilis helluo.

47. *Dominis.* Creditores, domini ſunt pecuniæ mutuo datæ. Deinde imperium quoddam in debitores duriſſimum, ac dominatum vulgò exercent.

49. *Baïas.* Sat. III, not. 4.

*Oſtia.* Sat. VIII, nota 169.

*Oſtia.* Fugiunt autem Oſtia, vel Baïas, ut ſe mari committant, & in longinquas regiones demigrent, ubi ſint a creditoribus tuti. Porrò vertere ſolum, pro, *exſulare* dicitur.

50. *Cedere foro.* Eſt id quod Galli dicunt, *faire banqueroute.* Latini, *decoquere*, vel *conturbare.* Circa forum tabernas habebant ſuas ac menſas argentarii, *les Banquiers*: qui pecuniam igitur dilapidaverant, illis nihil erat quod agerent in foro. Hinc decoctores foro cedere dicebantur.

51. *Eſquilias.* Sat. III, nota 70.

*Suburra.* Sat. III, nota 5.

*Suburræ.* Eſquilinus mons unus erat e ſeptem Romæ collibus: ac proinde aër ibi frigidior: qui calidior in Suburra, vico humiliore.

Ille dolor ſolus patriam fugientibus, illa
Mœſtitia eſt, caruiſſe anno Circenſibus uno.
Sanguinis in facie non hæret gutta: morantur
Pauci ridiculum, & fugientem ex urbe pudorem.
Experiêre hodie numquid pulcherrima dictu,
Perſice, non præſtem vitâ, vel moribus, & re;
Sed laudem ſiliquas occultus ganeo; pultes
Coram aliis dictem puero, ſed in aure placentas.
Nam cùm ſis conviva mihi promiſſus, habebis
Evandrum, venies Tirynthius, aut minor illo
Hoſpes, & ipſe tamen contingens ſanguine Cœlum;
Alter aquis, alter flammis ad ſydera miſſus.

*demigrare: unum id exſules iſti dolent, quòd Circenſes ludos, unius anni, quo abfuturi ſunt Româ ſpatio, non ſpectabunt: ceterùm, quòd decoxerint, quòd patriam deſeruerint, nullo modo erubeſcunt. Quotus enim quiſque tandem eſt, qui pudorem Româ jam exſulare compulſum, & ab omnibus irriſum, retinere curet? Intelliges hodiernâ die, o Perſice, an præclaras iſtas frugalitatis leges obſervem reipſa; utrùm in moribus meis ac vivendi ratione veluti repræſentem ea, quæ verbis & magnificâ oratione prædicavi: an olera, & viles cibos palam collaudem, interim dum clam veſcor lautioribus: an cùm inviſunt me amici, clarâ voce jubeam a ſervo parari mihi in cœnam pultes: voce dein ſubmiſſâ, eidem ut placentas apponat imperem. Cùm enim promiſeris te domi meæ cœnaturum, eâdem frugalitate a me accipieris quâ Evander accepit Herculem, aut Æneam minorem Hercule hoſpitem, Divos tamen cognatione attingentem; utrumque diverſâ morte adſcriptum Superis, hunc aquis demerſum, illum flammis*

53. *Circenſibus.* Satira III, nota 208.

58. *Siliquas.* Sunt leguminum involucra. Hîc pro *oleribus* ponuntur.

59. *Placentas.* Placenta, propriè, *un gâteau*: hoc in loco *cupedia* & *opſonia delicatoria* ſignificat.

61. *Evandrum.* Evander, Arcadum Rex, in Italiam venit, ubi Herculem dicitur accepiſſe, & poſtea Æneam: utrumque parcè ac frugaliter, ut ſcribit Virgil. Lib. VIII, v. 180, &c.

*Tirynthius.* Hercules, ita dictus a Tirynthe, ſeu Tirynthia, agri Argivi oppido, in quo educatus.

62. *Contingens, &c.* Æneas Veneris filius.

63. *Aquis.* Fertur Æneas obiiſſe demerſus in fontem,

Fercula nunc audi nullis ornata macellis.
De Tiburtino veniet pinguissimus agro
Hœdulus, & toto grege mollior, insçius herbæ;
Necdum ausus virgas humilis mordere salicti,
Qui plus lactis habet, quàm sanguinis: & montani
Asparagi, posito quos legit villica fuso.
Grandia prætereà, tortoque calentia fœno
Ova adsunt ipsis cum matribus, & servatæ
Parte anni, quales fuerant in vitibus, uvæ.
Signinum Syriumque pyrum de corbibus isdem:

*absumptum. Accipe nunc quas tibi sim appositurus dapes, non illas quidem exquisitas, & arte multâ in macello præparatas. Hœdus præpinguis mensæ inferetur, & natus in agro Tiburtino; reliquis ejusdem armenti hœdulis tenerior, qui nondum herbam degustavit, nec momordit ramulos parvarum salicum, in quo major lactis copia, quàm sanguinis est: apponentur deinde asparagi quos in montibus, depositâ ad tempus colo, decerpsit mea villica: non aberunt ova grandiora, & adhuc a nido calida, simulque gallinæ, quæ illa ediderunt: addam uvas, quæ licèt ab aliquo tempore jam lectæ fuerint, ita diligenter tamen asservatæ sunt, ut videantur adhuc e suis palmitibus pendere. Educam ex eodem promiscuè canistro pyra nata in Signiæ arvis, & alia ex eorum genere quæ primùm e Syria in Italiam ad-*

seu flumen Italiæ, Numicium.

*Flammis.* Hercules Iolen Euriti Regis Œchaliæ filiam prætulerat uxori Dejaniræ: quæ id ægrè ferens misit Herculi vestem sanguine Nessi Centauri infectam, ignorans præsentissimum venenum esse: imò existimans eo remedio virum facilè ab Ioles amore abductum iri. Vix ille vestem induerat, cùm in furorem versus, pyram extruxit, in eamque insiliens, exustus est

64. *Fercula.* Quæ tibi apponere statui.

*Nullis ornata macellis.* Non empta, vel e macello & foro petita.

65. *Tiburtino.* Sat. III, nota 177. *Tiburis.*

66. *Insçius herbæ.* Materno adhuc lacte victitans, nondum herbam delibavit.

67. *Salicti.* Salictum, est locus salicibus consitus.

69. *Asparagi.* Gall. *des asperges.*

70. *Torto fœno calentia.* Adhuc retinentia calorem nidi, e torto fœno confecti.

73. *Signinum.* Signia, nunc *Segni* dictum, in ditione Pontificia est.

Æmula Picenis, & odoris mala recentis,
Nec metuenda tibi, ficcatum frigore poſtquam
Autumnum, & crudi poſuere pericula ſucci.
Hæc olim noſtri jam luxurioſa Senatus
Cœna fuit. Curius parvo quæ legerat horto
Ipſe focis brevibus ponebat oluſcula, quæ nunc
Squalidus in magna faſtidit compede foſſor.
Sicci terga ſuis rarâ pendentia crate,
Moris erat quondam feſtis ſervare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente novâ, ſi quam dabat hoſtia, carne.
Cognatorum aliquis titulo ter Conſulis, atque
Caſtrorum imperiis, & Dictatoris honore
Functus, ad has epulas ſolito maturiùs ibat,

*vecta ſunt : itemque poma cum Picenis certantia, quibus ineſt idem odor ac ſi eſſent recentia : & quæ nihil habent noxium, quia crudum & periculoſum ſuccum, quem autumno contraxerant, hyemis frigore coxerunt ac mitigarunt. Ita cœnabant noſtri pridem Senatores, iis etiam temporibus quibus a priſcorum Romanorum frugalitate diſcere cœperant. Curius aliud nihil cœnabat, quàm legumina, quæ in horto ſuo ipſe collegerat, & exili coxerat foco : quæ nunc adſpernantur etiam ſervi, qui catenis vincti humum ruri fodiunt. Olim ſolebant majores noſtri ſervare ad dies feſtos ſolennibus epulis celebrandos dorſum porcinum ſublimè ſuſpenſum in crate lignea, ut exſiccaretur : & cùm affines die ſuo natali ad convivium invitabant, apponebant ipſis nihil præter laridum, & aliquid recentis carnis, ſi quid ex immolata fortè hoſtia reſtaret. Ad ejuſmodi cœnam, tamquam ad opimum convivium, unus aliquis e propinquis, licèt Conſulatu ter functus, licèt maximis præfuiſſet exercitibus, & Dictaturam geſſiſſet, properabat horam cœnæ ſolitam antevertens, & ligonem, quo monta-*

*Syrium.* Sat. VIII, nota 167. *Syriæ amnibus.*

74. *Picenis.* Ager Picenus eſt in Italiæ ora orientali. Sat. IV, nota 64. *Picens.*

78. *Curius.* Sat. II, nota 3.

80. *Compede.* Solebant Romanorum mancipia opus ruri facere vincta compedibus, ne diffugerent.

86. *Caſtrorum imperiis.* Præfectura caſtrorum : militaribus honoribus.

*Dictatoris,* Sat. VIII, nota 7.

Erectum domito referens a monte ligonem.
Cùm tremerent autem Fabios, durumque Catonem,
Et Scauros, & Fabricios; rigidique severos
Censoris mores etiam collega timeret:
Nemo inter curas, & seria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Trojugenis factura, ac nobile fulcrum:
Sed nudo latere, & parvis frons ærea lectis
Vile coronati caput ostendebat aselli,
Ad quod lascivi ludebant ruris alumni.
Tales ergo cibi, qualis domus, atque supellex.
Tunc rudis, & Graïas mirari nescius artes,

*num arvum prosciderat, humeris impositum gestans. Sanè istis temporibus, quibus quisque sibi metuebat ne reprehenderetur & multaretur a Fabiis, Catonibus, Scauris, & Fabriciis; cùm ipse Censor a sui collegæ severitate ac censura tutus non esset; tunc, inquam, nemo, quasi rem seriam, & alicujus momenti, curavit exquirere, quales & quantæ in Oceano caperentur testudines, e quarum conchis in laminas desectis ornarentur lectorum fulcra: erant inornatæ cubilium spondæ, & nuda latera, ipsi lectuli angusti, & in eorum anteriori parte asini caput ex ære visebatur, floribus redimitum, circa quod infantes rustici protervè colludebant. Huic igitur supellectili ac domui consentanea erant mensarum fercula. Tunc milites nostri parum in æstimandis Græcorum artificum eximiis operibus*

89. *Fabios.* Sat. II, nota *Paulis*, &c. VI, nota 196; VII, nota 95; VIII, n. 13.

*Catonem.* Sat. II, nota 24.

90. *Scauros.* Sat. II, n. 19.

*Fabricios.* Sat. II, n. 112. *Fabricius.*

91. *Censoris.* Sat. II, nota 38, & nota 90; XI, n. 98.

*Collega.* Narrat Valerius Maximus, Lib. II, c. 9, Claudium Neronem & Livium Salinatorem, Censura simul fungentes anno U. C. 549, non sibi magis invicem, quàm ceteris civibus indulsisse. Idem refert de Fabricio & Decio Censoribus vetus Scholiastes.

94. *Trojugenis.* Romanis Proceribus, qui se jactant a Trojanis oriundos. Sat. I, v. 85.

96. *Aselli.* Asinorum crania valere credebant ad arcenda frugum incommoda: itaque illa in agris domibusque aut ponebant vera, aut simulata fingebant e ligno, ferro, &c.

Urbibus eversis, prædarum in parte reperta,
Magnorum artificum frangebat pocula miles;
Ut phaleris gauderet equus, cælataque cassis
Romuleæ simulacra feræ mansuescere jussæ
Imperii fato, & geminos sub rupe Quirinos,
Ac nudam effigiem clypeo fulgentis, & hastâ,
Pendentisque Dei perituro ostenderet hosti.
Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.
Ponebant igitur Tusco farrata catino
Omnia tunc; quibus invideas, si lividulus sis.

*periti, & ejusmodi rerum contemptores, si quam diripuissent urbem, cujus in spoliis elaborata reperissent ab egregiis opificibus vasa, eadem perfringere non dubitabant, ut ex iis bullas & alia id genus equorum ornamenta conficerent, ut suas galeas insignirent cælatâ effigie aliquâ, putà lupæ, quæ deponens nativam feritatem, ita jubentibus imperii Romani fatis, Romulum aluit: item geminorum fratrum Remi & Romuli, sub Quirinalis montis rupe jacentium: aut Martis, bellorum præsidis Dei, qui nudus cum hastâ & clypeo quasi exstare cerneretur e galea hostique velut imminens, illi exitium intentare. Si quid illis argenti erat, hoc armis duntaxat ornandis adhibebant. Tales igitur ac tanti viri, quorum fortitudini, famæ ac felicitati jure meritò invideat quicumque aliquâ tangi potest invidiâ, mensæ apponebant confecta e simplici farre cibaria in vasis fictilibus. In eorum etiam templis majestatem suam & præsentiam Superi evidentiùs declarabant:*

102. *Phaleris.* Phaleræ, *sunt* quædam equorum ornamenta, ex eorum olim fronte, auribus, ac præcipuè collo pendentia.

104. *Imperii fato.* Quasi fuisset hoc Urbis Romanæ fatum, ut aleretur ejus conditor a lupa, ne periret in sylva expositus.

*Sub rupe.* Ubi expositi fuerant, & ubi lupa mammas infantibus præbuit.

*Quirinos.* Sic appellat Remum & Romulum: quamvis Romulus solus propriè *Quirinus* diceretur. Sat. III, nota 60, & nota 66. *Quirine*; VIII, v. 257.

106. *Pendentis.* In summa galea efficti, & in ictum quasi pendentis ac proni.

108. *Tusco.* In Tuscia, quæ pars est Italiæ mediæ ad occidentem, *la Toscane*, fiebant egregia vasa fictilia, præsertim Arretii, *Arezzo*.

*Farrata.* Far, triticum, ex quo fiunt pultes, &c.

109. *Quibus invideas.* Vel ferculis, vel hominibus.

Templorum quoque majestas præsentior, & vox
Nocte ferè mediâ, mediamque audita per urbem,
Littore ab Oceani Gallis venientibus, & Dis
Officium vatis peragentibus, his monuit nos.
Hanc rebus Latiis curam præstare solebat
Fictilis, & nullo violatus Juppiter auro.
Illa domi natas, nostraque ex arbore mensas
Tempora viderunt; hos lignum stabat in usus,
Annosam si fortè nucem dejecerat Eurus.
At nunc divitibus cœnandi nulla voluptas,
Nil rhombus, nil dama sapit, putêre videntur
Unguenta atque rosæ, latos nisi sustinet orbes
Grande ebur, & magno sublimis pardus hiatu,

*quod maximè intellectum est, cùm Galli ab orbe occiduo irruperunt in Italiam : tunc enim auditæ voces fuerunt nocte intempestâ, media in urbe Roma quibus adventare Galli nuntiabantur : Superis ipsis vatum erga Romanos munere fungentibus. Sic nos de imminenti exitio admonebat, sic Romanam rem curabat Jupiter, cùm ejus statuæ duntaxat ex argilla confectæ essent, necdum auro conflatæ, vel potiùs inquinatæ. Illis temporibus mensæ fiebant ex arboribus in Italia natis & quasi domesticis. Si fortè vetulam nucem ventus prostravisset, ejus truncum ad mensam fabricandam reservabant. At nunc Romani locupletes cibum capere cum voluptate non possunt, nullius saporis esse rhombos ac damas, odoris nullius unguenta suavissima, ipsasque rosas, putant, nisi mensas ingentes fulciant pedes eburnei, pardorum hiantium figuram in summa parte referentes.*

110. *Et vox, &c.* Auctor est Livius, Lib. V, cap. 32, Romanum quemdam vocem humanâ clariorem noctu audivisse, quâ juberetur monere Magistratus de Gallorum in Italiam tunc irrumpentium adventu.

112. *Littore ab Oceani.* Gallia oceano, ad occidentem, claudtur, & septentrionem; ejusdem pars australis alluitur mari Mediterraneo.

114. *Latiis.* Pars Italiæ antiquæ, circa Tiberis ostia, ubi nunc Romanus ager, *Latium* dicebatur, quia Saturnus persequente filio Jove, ibi latuerat.

118. *Eurus.* Ventus ab ortu spirans.

120. *Rhombus.* Sat. IV, nota 38. *Rhombi.*

*Dama.* Animal e cervino genere, velocitate præstans.

121. *Unguenta.* Gall. *des parfums, des essences.*

122. *Pardus.* Gall. *un léopard.*

Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,
Et Mauri celeres, & Mauro obscurior Indus,
Et quos depositit Nabathæo bellua saltu,
Jam nimios, capitique graves. Hinc surgit orexis,
Hinc stomacho bilis: nam pes argenteus illis,
Annulus in digito quod ferreus. Ergo superbum
Convivam caveo, qui me sibi comparat, & res
Despicit exiguas. Adeò nulla uncia nobis
Est eboris, nec tessellæ, nec calculus ex hac

*tes, & ex ebore candidissimo fabricati, quale ex Elephantide insula, prope Sienen sita; e Mauritania, ex ipsa India aut sylvis Arabiæ deportatur. Ex eo nimirum quod ejusmodi pedibus nitatur mensa, nascitur appetentia ciborum, hinc vires adduntur stomacho ad cibos facilius digerendos. Itaque non minus turpe jam ducitur mensam habere domi pede sustentatam argenteo, quàm annulum in manu ferreum gestare. Ego verò lautos ejusmodi & arrogantes convivas fugio, qui meam tenuitatem scilicet cum suis opibus ac deliciis comparantes, eam contemnunt. Nam apud me ne uncia quidem eboris est, non tesseræ, non calculi eburnei sunt, immò ipsi cultrorum ca-*

123. *Dentibus*, &c. Ebur aliud nihil est, quàm dens Elephanti.

*Syenes.* Syene est urbs Ægypti, in limite Æthiopiæ, nunc *Asna*; prope illam urbem est insula elephantis abundans, quam idcirco *elephantinam*, vel *elephantidem* vocant: quæque hoc in loco dicitur porta Syenes, quia per illam insulam veluti portam transeunt, qui petunt Syenen, & Ægyptum reliquam, eburque Romam deferunt. Potest & Syene ipsa dici *porta*, per quam scilicet ejusmodi merces in Europam devehuntur.

124. *Mauri.* Populus Africæ: eorum tanta celeritas, ut feras cursu assequantur.

*Obscurior.* Magis fuscus.

*Indus.* Populus Asiæ, circa Gangem & Indum fluvios.

125. *Depositit.* Dicuntur elephanti, cùm ipsis ita crevere dentes, ut oneri sint, eos abjicere, illidendo arbori.

*Nabathæo.* Nabathæa est regio Arabiæ, ad ortum, elephantis referta.

126. *Orexis.* Sat. VI, nota 290.

127. *Bilis.* Bilis, humor est flavus & calidus, cibis in stomacho percoquendis maximè serviens.

*Pes argenteus*, &c. Adeo spernunt argentum præ ebore, ut mensæ pes argenteus tam vilis modò sit, quàm ferreus annulus.

131. *Tessellæ.* Exiguæ tesseræ, *un dé.*

Materia, quin ipsa manubria cultellorum
Ossea: non tamen his ulla umquam opsonia fiunt
Rancidula; haud ideo pejor gallina secatur.
Sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula, discipulus Trypheri doctoris, apud quem
Sumine cum magno lepus, atque aper, & pygargus,
Et Scythicæ volucres, & Phœnicopterus ingens,
Et Gætulus oryx, hebeti lautissima ferro
Cæditur, & totâ sonat ulmea cœna Suburrâ.

*puli sunt ex osse. Neque tamen idcirco meæ dapes rancidæ ac deteriores fiunt, non pejorem habent saporem gallinæ, quia istis cultellis scinduntur. Sed neque aderit apud me servus qui mensam instruat, cibos scitè apponat ac secet, illis omnibus peritior, qui artem ferculorum secandorum docentur in schola Trypheri, in qua sumina, lepores, apri, pygargi, phasiani, phœnicopteri, Oryces, & alia lautæ cœnæ fercula, ex ulmeis virgis confecta, ligneis quoque & obtusis cultris secantur, non sine fragore, quo Suburra tota perstrepit. Structor meus, in hac arte valde tyro & rudis, non callet quemadmodum aptè & decenter*

*Calculus.* Calculi lusorii. Gall. *des dames, des échecs.* Propriè calculus est *lapillus tritus & politus*: tales enim adhibebantur ad ludum, postea e buxo, ebore, &c. confecti calculi fuerunt.

136. *Pergulâ.* Propriè, *une galerie, une avance de boutique, &c.* Ibi solebant magistri discipulos erudire: itaque pro ipsa schola sumitur.

*Trypheri.* Nomen, ut videtur fictum, doctoris coquinarii, qui artem ciborum peritè secandorum docebat. Utebatur autem ad id simulacris vimineis avium & ferarum, quæ ligneis item cultellis dissecabantur in ejus schola.

137. *Sumine.* Sumen *est* venter suillus, qui tunc inter delicatiores habebatur cibos.

*Pygargus.* Caprea quædam sylvestris, posteriores dorsi partes albas præferens, unde illi nomen πυγὴ *clunis*, ἀργὸς *albus*.

138. *Scythicæ volucres.* Phasis est fluvius Colchidis, prope Scythiam. Hunc advecti phasiani, *des faisans.*

*Phœnicopterus.* Avis Afra, cujus alæ rubro colore vivido lucent.

139. *Oryx.* Capra quædam, frequens in Gætulia, parte Africæ.

140. *Suburra.* Vicus erat Romæ. Sat. III, nota 5. *Suburræ.*

Nec fruſtum capreæ ſubducere, nec latus Afræ
Novit avis noſter tirunculus, ac rudis omni
Tempore, & exiguæ fruſtis imbutus ofellæ.
Plebeios calices, & paucis aſſibus emptos
Porriget incultus puer, atque a frigore tutus:
Non Phryx, aut Lycius, non a mangone petitus
Quiſquam erit, & magno: cùm poſces, poſce latinè.
Idem habitus cunctis, tonſi, erectique capilli,
Atque hodie tantùm propter convivia pexi.
Paſtoris duri eſt hic filius, ille bubulci:
Suſpirat longo non viſam tempore matrem,
Et caſulam, & notos triſtis deſiderat hœdos,
Ingenui vultus puer, ingenuique pudoris,
Quales eſſe decet, quos ardens purpura veſtit.

*oporteat eximere partem aliquam capreæ toſtæ, aut alam Gallinæ Numidicæ, quippe qui numquam iſta didicerit, neque artis iſtius coquinariæ tyrocinium aliud poſuerit, quàm in fruſtulis quibuſdam carnis torrendis ac dividendis. Miniſtrabit nobis ruſticanus puer & incomptus, dabitque cyathos vilis pretii, quibus uti plebs ſolet ipſe craſſa tectus veſte, quantum ad arcendum frigus ſufficiat: nullum e Phrygia videbis petitum aut Lycia, vel emptum a mancipiorum venditore: ſi quid ab ipſo, cùm miniſtrabit, poſtulabis, fac loquaris latinè, neque enim ſcit, ut nobilium ſervi, Græcè. Neque aliis meis mancipiis elegantius erit veſtitus, omnibus eadem quippe veſtis eſt: omnium comæ attunſæ ſunt & rectæ, ſine cincinnis & ornatu: eaſque tantùm hodie, propterea quòd habeo te convivam, pectent. Hic paſtore meo genitus eſt, ille bubulco, liberali puer vultu & pudorem ſpirante, quali convenit eos eſſe qui togam prætextam & limbo purpureo inſignitam geſtant. Mœret quod a ſuo tugurio, a matre, ab hœdis, divulſus*

141. *Subducere.* Avellere a reliquo corpore.

143. *Ofellæ.* Offa, eſt fruſtum carnis, vulgò porcinæ: interdum maſſa panis, farinæ, &c.

146. *Phryx.* Phrygia, unde venales Romam deportabantur, eſt pars Aſiæ minoris occaſum versùs & ſeptentrionem. Lycia eſt infra, ad meridiem & occaſum.

*Mangone.* Mango, mancipiorum venditor.

147. *Poſce latinè.* Miniſter enim Italus linguam tantùm vernaculam novit.

154. *Purpura.* Romani pue-

Hic tibi vina dabit diffusa in montibus illis
A quibus ipse venit, quorum sub vertice lusit:
Namque una, atque eadem vini patria, atque ministri.
Forsitan exspectes, ut Gaditana canoro
Incipiat garrire choro, plausuque probetur:
Non capit has nugas humilis domus: audiat ille
Testarum crepitus cum cantibus, ille fruatur
Vocibus obscœnis, omnique libidinis arte,
Qui Lacedæmonium pytismate lubricat orbem.

*sit, eosque revisere cupit. Hic vinum tibi miscebit, lectum in iis, ubi est educatus ipse, collibus, in quibus antea ipse puerulus ludebat, neque alia vini ac ministrantis illud, patria est. Noli porrò exspectare dum aliqua puella petulans e Gadibus advecta, in medio saltantium cœtu, voce fractâ & lasciva canat. Ejusmodi ludicra oblectamenta angustiæ, qualis hæc nostra est, domui non conveniunt. Liceat sanè divitibus illis & lautis hominibus, qui superbum pavimentum Lacedæmonii marmoris orbibus stratum, vino ad delicias in os identidem accepto, moxque rejecto, gaudent aspergere; liceat, inquam, illis crepitantes & collisas inter se testas, audire, necnon cantus obscœnos & spurcas voces, atque omnibus artibus ac modis libidinem pro-*

ri, vestem quamdam ornatam limbo purpureo gestabant usque ad annum 17. Istam vestem vocat Juvenalis *ardentem* ob colorem igneum. Sat. I, nota 64.

155. *Diffusa.* Fusa e cupis, in cados & amphoras.

158. *Gaditana.* Sat. X, nota 1.

161. *Testarum.* Significat ea vox in hoc loco *tinnula crepitacula*, e testis, sive in morem testarum facta. Gall. *des castagnètes.* Est autem testa, *tegmen piscium*, duritiem argillæ coctæ, quæ testa propriè dicitur, referens, *une coquille de poisson*: quarum testarum figuram imitantur illa crepitacula.

163. *Lacedæmonium.* Lacedæmon, seu Sparta, urbs fuit Peloponnesi. Non procul ab hac urbe eruebatur egregiæ notæ marmor.

*Orbem.* Potest intelligi *de pavimento frustis marmoreis in orbem descriptis strato.* Potest explicari *de abaco, mensa, pelvi marmorea, rotunda.*

*Pytismate.* Græca vox est, πύτισμα, *sputum*, seu quodcumque expuitur, quale est vinum quod ab hominibus jam saturis, aut vomentibus, os abluentibus, aut vinum ipsum probantibus & degustantibus.

Namque ibi fortunæ veniam damus; alea turpis,
Turpe & adulterium mediocribus: hæc eadem illi
Omnia cùm faciant, hilares nitidique vocantur.
Noſtra dabunt alios hodie convivia ludos:
Conditor Iliados cantabitur, atque Maronis
Altiſoni dubiam facientia carmina palmam.
Quid refert tales verſus quâ voce legantur?
Sed nunc dilatis averte negotia curis,
Et gratam requiem dona tibi, quando licebit
Per totam ceſſare diem: non fœnoris ulla
Mentio, nec primâ ſi luce egreſſa, reverti
Nocte ſolet, tacito bilem tibi contrahat uxor.
Protinus ante meum, quidquid dolet, exſue limen.
Pone domum, & ſervos, & quidquid frangitur illis,
Aut perit; ingratos ante omnia pone ſodales.
Interea Megaleſiacæ ſpectacula mappæ

*ritare: ignoſcitur illis ſcilicet cùm peccant, perinde quaſi hanc ipſis poteſtatem nobilitas & divitiæ darent: vitio & dedecori vertitur alea, & adulterium homini mediocris fortunæ & conditionis: ſi dives eadem admittat flagitia, homo lautus eleganſque cenſebitur. Longè alios tibi ludos convivium noſtrum exhibebit; alias præbebit oblectationes. Homeri verſus recinentur, & præclara Virgilii carmina, quæ meritò dubitationem afferunt, utri palma poëſeos tribuenda ſit. Quid intereſt quænam vox adhibeatur iſtis verſibus recitandis, qui per ſe videlicet adeo canori præſtanteſque ſunt? Age igitur negotia & curas in aliud tempus differ, & nonnihil quietis indulge tibi; ſi quidem a negotiis vacare & feriari per totam iſtam diem fas erit: omnem de uſurarum lucro cogitationem ac ſermonem valere jube, nec ſtomachum tibi moveat uxor tua, ſi primo egreſſa mane domum ſeriùs redire ſolet. Quid multa? quidquid afferre tibi mœrorem poteſt, in limine mearum ædium depone, omnem de rebus domeſticis, de famulis, & eorum in rebus ſervandis, ac fungendo munere incuriâ, præſertim verò de amicorum ingrato animo, ſollicitudinem ac dolorem abjice. Dum nos epulis frugalibus operam ita*

rejicitur identidem: quod *pytiſſare* Latini vocant.

*Lubricat.* Marmor humidum, eſt admodum lubricum, & pellucidum.

168. *Iliados.* Ilias Poëma eſt ab Homero ſcriptum de excidio Ilii, ſeu Trojæ.

179. *Megaleſiacæ.* Cybele vocabatur ab Ethnicis Μεγάλη

Idæum ſolenne colunt, ſimiliſque triumpho
Prædo cabellorum Prætor ſedet: ac mihi pace
Immenſæ nimiæque licet ſi dicere plebis,
Totam hodie Romam Circus capit, & fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni.
Nam ſi deficeret, mœſtam, attonitamque videres
Hanc urbem, veluti Cannarum in pulvere victis

*dabimus, alii ſpectabunt ludos ſolenni pompâ in honorem magnæ Deorum Matris celebrari, & per ſuſpenſam in Circo mappam denuntiari ſolitos. Prætor habitu cultuque triumphantium inſignis, curru inſidebit, equis undecumque per vim ablatis, quibus ad hæc ſpectacula edenda plurimis eſt opus. Tota hodie Roma, quod pace tam numeroſi populi dixerim, in Circum confluet. Jam exaudire videor clamores inconditos, e quibus conjicio victorem diſceſſiſſe aliquem e viridis panni factione, quæ ſi ab æmulis factionibus vinceretur, Romam cerneres mœrore conſectam haud aliter atque olim, cùm in Cannenſi prælio duo Conſules*

*Magna*; hinc *megaleſiaca* ſignificat in honorem Cybeles.

*Mappæ*. Suſpenſa publicè mappa ſignum erat ludos celebratum iri: quod inde eſt ortum. Nerone prandente cùm plebs in Circo ſedens ludos inchoari poſtularet, ille projecta per feneſtram mappa, juſſit eos peragi.

180. *Idæum*. Ludicrum, ſive ſpectaculum, exhiberi ſolitum in honorem Idææ matris. Cybele vocabatur *Idæa*, quia præcipuè colebatur in Ida, monte Phrygiæ: unde Romam advectum ejuſdem ſimulacrum fuit, ut memoratur Satira III, nota 123.

181. *Prædo, &c.* Solebat Prætor qui ludos edebat, undique equos colligere, immò per vim a dominis abducere. De illius veſtibus lege Sat. X, nota 36.

183. *Circus*. Sat. III, nota 208.

184. *Viridis panni*. Aurigarum, qui equos in Circo agitabant, factiones erant quatuor præcipuæ, ſuis ſingulæ veſtibus certi coloris, quæ ſingulis anni tempeſtatibus quaſi reſponderent, diſtinctæ. Prima *viridi* ſeu *praſino colore*, qui verni temporis proprius eſt, utebatur, eique plerique Romani, ac ipſi etiam Imperatores favebant: altera *rubro*, ſeu *ruſſato*; qui color æſtati convenit: tertia, *albo*, qui autumno: quarta *veneto*, ſive *cæruleo*; qui hyemi.

186. *Cannarum*. Satir. II, nota *Cannis*.

Consulibus. Spectent juvenes, quos clamor, & audax
Sponsio, quos cultæ decet assedisse puellæ.
Nostra bibat vernum contracta cuticula solem,
Effugiatque togam: jam nunc in balnea salvâ
Fronte licet vadas, quamquam solida hora supersit
Ad sextam; facere hoc non possis quinque diebus
Continuis, quia sunt talis quoque tædia vitæ
Magna. Voluptates commendat rarior usus.

*prostigati fuerunt. Istis, per me licet, spectaculis interfint adolescentes, quos delectat strepitus, quos juvat sponsionem cum obvio quolibet facere de variis ludorum eventibus, qui captant locum, ubi garriant ingeniosè cum mulierculis politioribus. Nos, utpote seniores, rugosam cutem soli verno & clementi exponamus, & urbis ac togatæ vitæ molestias devitemus. Potes balneum petere modò, quamvis hora sit post ortum solis duntaxat quinta, idque impunè, ac nullius reprehensionem metuens. Sanè horam balnei solitam antevertere ac genio, ut a nobis hodie paulisper fiet, indulgere vix posses diebus quinque continuatis. Magnam quippe hæc vivendi ratio satietatem afferre solet. Voluptates ut sint gratæ, rariores esse debent.*

188. *Sponsio.* Gall. *une gageure, un pari.*

189. *Bibat, &c.* Moris apud Romanos erat, apricari & sedere ad solem, præsertim vernum, quandò ejus calor est clementior: interdum oleo cutem sic ungebant.

*Vernum.* Mense Aprili, quo celebrabantur Megalesia.

*Contracta.* Rugosa. Itaque hoc scripsit jam senior.

190. *Togam.* Toga *est* symbolum urbanæ vitæ & fori, Romani quippe cives ingenui, togati erant in urbe. Sat. II, nota 45, & Sat. III, nota 115.

*Balnea.* Ante cœnam balneo, ut plurimum utebantur. Sat. I, nota *Balnea*, v. 128.

*Salvâ fronte.* Fronti quasi vulnus imponitur cùm suffunditur rubore. Porrò frons pudoris & verecundiæ sedes.

191. *Licet.* Solebant lavare corpus in balneis post meridiem horâ circiter tertiâ. Licebat festis diebus antevertere id tempus: quod ebriosi ac intemperantes aliis etiam diebus factitabant.

192. *Sextam.* Ab orto sole nimirum, quæ nostra est duodecima.

*Quinque diebus.* Per quos nimirum continuos agebantur Megalesia.

# SATIRA XII.

## ARGUMENTUM ET SYNOPSIS.

*Describit naufragium Catulli amici sui. Hereditatum captatores insectatur.*

NATALI, Corvine, die mihi dulcior hæc lux,
Qua festus promissa Deis animalia cespes
Exspectat, niveam Reginæ cædimus agnam.
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maura:
Sed procul extensum petulans quatit hostia funem
Tarpeïo servata Jovi, frontemque coruscat:
Quippe ferox vitulus templis maturus & aræ,
Spargendusque mero, quem jam pudet ubera matris

*HIC dies, o Corvine, natali meo die mihi jucundior est: hæc mihi verè festa lux, quam victimas immolando votivas, colere ac celebrare decrevi. Agnâ candidâ Junoni sacrificaturus sum, itemque albâ, Palladi: vitulus Jovi destinatus, funem, quo alligatus est, succutit, & caput quassat: nempe jam lacte depulsus, satisque validus ut emergentibus primùm cornibus arbores lacessat, ac per ætatem idoneus, ut aris admoveatur, ejusque caput vino aspergatur. Si divitiis affluerem, ac voluntati opes respon-*

1. *Natali die.* Romani festum ac sacrum præcipuè ducebant natalem suum diem.

2. *Cespes.* Ara e cespite.

3. *Reginæ.* Junoni, Deorum Reginæ, de qua Virgil. Æn. 1. *Ast ego quæ divûm incedo Regina.*

4. *Par vellus.* Agna ejusdem velleris & coloris. Diis superis albæ immolabantur victimæ: nigræ Diis inferis.

*Pugnanti Gorgone.* Palladi quæ pugnat armata clypeo, in quo effigies Gorgonis, seu Medusæ, vide Sat. III, nota 106.

*Maura.* Gorgones incolebant insulas Atlanticas in mari Africano. Atlas mons est Mauritaniæ.

6. *Tarpeïo.* Capitolino. Sat. VI, nota 41.

8. *Mero.* Vinum inter immolandi bovis cornua fundebant.

Ducere,

Ducere, qui vexat naſcenti robora cornu.
Si res ampla domi, ſimiliſque affectibus eſſet,
Pinguior Hiſpullâ traheretur taurus, & ipſa
Mole piger, nec finitimâ nutritus in herba;
Læta ſed oſtendens Clitumni paſcua ſanguis
Iret, & a grandi cervix ferienda miniſtro,
Ob reditum trepidantis adhuc, horrendaque paſſi
Nuper, & incolumem ſeſe mirantis amici.
Nam præter Pelagi caſus, & fulguris ictum
Evaſi, denſæ cœlum abſcondêre tenebræ.
Nube unâ, ſubituſque antennas impulit ignis;
Cùm ſe quiſque illo percuſſum crederet, & mox
Attonitus nullum conferri poſſe putaret
Naufragium velis ardentibus. Omnia fiunt
Talia, tam graviter, ſi quando poëtica ſurgit

*derent, adducerem ad aras taurum Hiſpulla magis obeſum, quem tardiorem adeps ac vaſta corporis moles faceret; neque ille in vicinis educatus foret paſcuis, ſed ſaginatus in opimis Clitumni ripis, generoſi ſanguinis magnam effunderet copiam, & robuſtiorem ſacrificulum, a quo cæderetur, poſtularet. Talis, inquam, a me victima immolaretur ad gratias Superis agendas de reverſo feliciter amico, qui graviſſimo periculo defunctus, ipsâ ejus recordatione adhuc perhorreſcit, ſeque liberatum illo, & ſoſpitem eſſe obſtupeſcit. Ut enim ſileam varia, quibus in ipſa navigatione conflictatus eſt, diſcrimina, & evitatum fulmen, aër totus tetrâ caligine, quaſi perpetuâ nube tectus fuit; mox repentina flamma corripuit antennas; adeo ut jam putarent omnes perculſi metu ſe deflagrare, neque ullum periculum aut naufragium cum incenſa navi comparandum exiſtimarent. Alia tum permulta contigere, illis ſimillima quæ finguntur, & ad terrorem deſcribuntur a poëtis, cùm tem-*

9. *Vexat naſcenti robora cornu.* Ex petulantia arbores impetit cornibus nunc primùm erumpentibus.

11. *Hiſpulla.* Muliere obeſa & præpingui, quam obiter carpit.

13. *Clitumni.* Clitumnus, Italiæ fluvius, paſcuis abundans, in quibus victimæ vulgo ſaginabantur.

18. *Evaſi.* A verbo *evado*; evaſus, evitatus.

19. *Antennas.* Ligna tranſverſa, unde vela pendent.

Tempestas. Genus ecce aliud discriminis ; audi,
Et miserere iterum ; quamquam sint cetera sortis
Ejusdem : pars dira quidem , sed cognita multis ,
Et quam votivâ testantur fana tabellâ
Plurima ( pictores quis nescit ab Iside pasci ? )
Accidit & nostro similis fortuna Catullo :
Cùm plenus fluctu medius foret alveus , & jam
Alternum puppis latus evertentibus undis
Arboris incertæ , nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem ; decidere jactu
Cœpit cum ventis , cupiens evadere : in æquor ,
Fundite quæ mea sunt , dicebat , cuncta Catullus
Præcipitare volens etiam pulcherrima , vestem
Purpuream teneris quoque Mæcenatibus aptam ,

*pestatem suis depingunt coloribus ; & quæ verè Catullus expertus est. En aliud periculum , nec minori dignum commiseratione , licèt omnia ferè sint ejusdem generis & gravitatis ; sed commune tamen plerisque & pingi solitum in votivis tabellis quæ in sacris ædibus præstant. Quis enim ignorat quantum pictores lucri faciant pingendis tabulis quas naufragi suspendunt in Isidis templo ? Eadem igitur Catulli nostri ac ceterorum naufragorum sors calamitasque fuit. Cùm totam interioris navis quasi alvum implevissent aquæ , cùm ratem huc illuc temerè jactatam , fluctus modò in hanc , modò in illam partem inclinarent , ac propè subverterent ; cùm nihil prodesset jam navitæ senis industria , Catullus ut se præsentissimo exitio liberaret , cum ventis quasi pacisci cœpit , eâ lege , ut bona in mare projiceret , vitam incolumem retineret. Nec mora , inclamans nautas , quid cessatis , inquit , mea omnia in æquor præcipitare ? Jamque se ad supellectilem lautissimam in aquas proturbandam accingebat , putà purpureas vestes , quas Mæcenas istarum deliciarum amantissimus non respuisset : itemque*

28. *Isidæ.* Isis , Ægyptiorum Dea , cujus templum Romæ , plurimis Donariis celebrari solitum , præsertim a peregrinis & naufragis , qui sui naufragii imaginem ei suspendebant , quia ipsa variis , dum viveret , jactata fuerat erroribus. Sat. VI , nota 351 , & nota 387. *Æde Isidis.*

30. *Alveus.* Capacitas & fundus navis.

32. *Arboris.* Navigii ex arboribus confecti.

33. *Decidere.* Quasi dirimere litem a ventis & mari sibi illatam , aliquâ pactione.

37. *Mæcenatibus.* Erat Mæ-

Atque alias, quarum generosi graminis ipsum
Infecit natura pecus, sed & egregius fons
Viribus occultis, & Bæticus adjuvat aër.
Ille nec argentum dubitabat mittere, lances
Parthenio factas, urnæ cratera capacem,
Et dignum sitiente Pholo, vel conjuge Fusci.
Adde & bascaudas, & mille escaria, multum
Cælati, biberat quo callidus emptor Olynthi.
Sed quis nunc alius, quâ mundi parte, quis audet
Argento præferre caput, rebusque salutem?
Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,

*alias textas e lana Bætica, cui etiam ovibus inhærenti rutilum colorem indidit natura & indoles barbarum quibus oves Bæticæ pascuntur, necnon ipse fluvius & aër illius regionis, vim uterque arcanam habens ad inficiendas isto colore lanas. Similiter Catullus argentea vasa non cunctatus in mare dejicit: patinas a Parthenio fabricatas: cyathos urnæ vini capiendæ non impares, dignos in quibus Pholus vel uxor Fusci potaret: vasa Anglica, quas vocamus bascaudas, lances plurimas inferendis dapibus idoneas, pocula cælata ex argento pervetusto, quibus Philippus Macedo, is qui tam callidè Olynthum urbem emit, fuerat olim usus. At nunc quotusquisque tandem est, qui vitam servare quàm opes, malit? Quem mihi præter Catullum dabis, qui rerum suarum jacturæ salutem suam & caput redimere non dubitet? Nonnulli rem domesticam*

cenas admodum delicatus & lautitiarum amans. Sat. I, nota 52.

38. *Atque alias, &c.* Ordo verborum est: atque alias vestes, quarum pecus, seu quarum lanam ex ovibus sumptam, infecit, *id est*, tinxit, nativo scilicet colore, natura & indoles graminis excellentis.

39. *Fons.* Vel peculiaris quidam fons istius regionis, vel ipse fluvius Bætis.

40. *Bæticus.* Bætica, est regio Hispaniæ, sic dicta a fluvio Bæti, quem vocant indigenæ *Guadalquivir*.

43. *Pholo.* Pholus e centauris unus, in primis ebriosus.

*Conjuge Fusci.* Quæ mulier ebriosa. Vide Satir. IV, nota 110.

44. *Bascaudas.* Gall. *des cuvètes.*

45. *Olynthi.* Olynthus, Thraciæ urbs olim nobilissima, quam Philippus auro maluit expugnare quàm ferro. Exstant de illa Demosthenis Orationes.

48. *Non propter vitam,*

Sed vitio cæci propter patrimonia vivunt.
Jactatur rerum utilium pars maxima ; sed nec
Damna levant : tunc adversis urgentibus , illuc
Decidit , ut malum ferro summitteret , ac se
Explicat angustum , discriminis ultima quando
Præsidia afferimus , navem factura minorem.
I nunc ; & ventis animam committe ; dolato
Confisus ligno , digitis a morte remotus
Quattuor , ac septem , si sit latissima tæda.
Mox cum reticulis , & pane , & ventre lagenæ ,
Adspice sumendas in tempestate secures.

*augere studeat , non ut commodiùs vivant : sed vivunt idcirco duntaxat , ut rem majorem faciant : tanta est avaritia hominum ac cæcitas ! Interim post abjectam in mare sarcinarum & opum partem optimam , sævire nihilominus tempestas pergit , nec isto damno periculum levius fit : igitur eò demum urgente necessitate , recidit , ut quod extremum restabat in tanto discrimine remedium , navim parte unâ minueret , ad reliquas partes servandas , & ferro malum resecaret. Reciſus malus ratem in summas redactam priùs angustias , fecit ad vim tempestatis perferendam expeditiorem , & emergendi e tanto periculo spes affulsit. Miseros profectò , qui vitam pelago ventisque permittant , seque includant navi , in qua distant a morte digitis quatuor , aut septem ad summum , si fuerint latissimi asseres quibus illa compingitur. Perge sanè , quisquis es tam inconsultus , tam vitæ tuæ prodigus ; sed memineris , quando panem & vinum inferes in ratem , pariter sumere secures quibus ingruente tempestate utaris ad malum diffringendum. Post-*

*&c.* Multi avaritiâ adeo excæcantur , ut videantur ad hoc nati & vivere , ut opes colligant ; cùm e contrario non nisi ad vitam opes habendæ sint.

50. *Jactatur rerum , &c.* In mare jacitur a Catullo & Sociis.

52. *Decidit.* Quidam legunt *Recidit.* Quasi res eò cecidit.

53. *Se explicat , &c.* Se expedit ex angustiis , quæ tunc sunt maximæ , quando veniendum ad novissima præsidia , & mutilanda navis est , ut servetur.

58. *Reticulis.* Saccos intellige in morem retis factos.

59. *Adspice sumendas.* Id est , vide ut cum cibis etiam sumas secures ad excidendum , si opus est , malum. Alii legunt *Accipe.*

Sed postquam jacuit planum mare ; tempora 60
postquam
Prospera vectoris, fatumque valentius Euro,
Et pelago ; postquam Parcæ meliora benignâ
Pensa manu ducunt hilares, & staminis albi
Lanificæ ; modicâ non multò fortior aurâ
Ventus adest ; inopi miserabilis arte cucurrit 65
Vestibus extensis, & quod superaverat unum,
Velo prora suo. Jam deficientibus Austris,
Spes vitæ cum sole redit, tum gratus Iulo,
Atque novercali sedes prælata Lavino,
Conspicitur sublimis apex, cui candida nomen 70
Scrofa dedit, lætis Phrygibus mirabile sumen,

*quam æquor, stratis placidè fluctibus, conquievit, postquam serena cœli facies illis qui vehebantur navi arrisit, & maris ac ventorum inclementiam vis amica fati superavit, Parcis candidam & meliorem lanam e colu trahentibus, tunc ventus, in morem lenis auræ aspirare cœpit, ac pristinum navis cursum tenuit, arte miserabili adhibitâ, nimirum extensis nautarum vestibus, loco velorum, quæ fulmine absumpta, & diffracta fuerant tempestate, præter unum quod in prora supererat. Demum Austro quiescente, discussisque nubibus sol videri cœptus est, ac spes salutis revocata. Nec ita multò post apparuit Albanus mons, quem Iulus Lavinio, novercæ suæ oppido, prætulit, ut ibi Albam conderet, ita dictam ab alba porca, quam Trojani maxima cum voluptate invenerunt triginta porcellos inaudito*

63. *Staminis albi.* Parcæ in rebus secundis & lætis dicebantur albam lanam trahere, nigram, in adversis & perditis.

66. *Vestibus extensis.* Pro *velis*, quæ igne cœlesti conflagrarant.

67. *Velo prora suo.* Quod quidem minimum & *Dolon* vocatur velum ad proram, ut maximum *Arthemo* ; *Epidromus* autem quod est ad puppim.

*Austris.* Ventis meridionalibus, qui sunt vehementiores & tempestatem cient.

68. *Iulo.* Iulus Æneæ filius relicto Lavinio, sic dicto a Lavinia sua noverca & posteriori Æneæ conjuge, Albam ædificavit in eo loco, ubi Troës invenerant albam porcam triginta fœtus enixam. Virg. Lib. III Æneid. versu 389, & Lib. VIII, v. 81.

71. *Lætis Phrygibus.* Iulo & sociis Trojanis gaudentibus ob inventam ex vaticinio Suem.

Et numquam viſis triginta clara mamillis.
Tandem intrat poſitas incluſa per æquora moles,
Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rurſus,
Quæ pelago occurrunt medio, longéque relinquunt
Italiam. Non ſic igitur mirabere portus,
Quos natura dedit: ſed truncâ puppe magiſter
Interiora petit Baïanæ pervia cymbæ.
Tunc ſtagnante ſinu gaudent ibi vertice raſo
Garrula ſecuri narrare pericula nautæ.
Ite igitur pueri, linguis animiſque faventes,

*hactenus portento enixam. Demum Catulli navis portum Oſtienſem ſubit, munitum molibus ante paucos annos inſtauratis ac refectis, quæ in æquor longè procurrentes, tamquam brachia, illud amplectuntur & includunt. Hæc maris Tyrrheni Pharus eſt, ac portus eis quos natura fecit, præſtantior & mirabilior. Navarchus ratem mutilam provehit in interiorem portus partem, ubi mare inoffenſum eſt, ac ſtagno ſimile, & ubi tutæ ſunt etiam naviculæ, quales in lacu Lucrino viſuntur prope Baïas. Expoſiti nautæ caput detonſum oſtentant, & quæ fugerunt pericula renarrant læti. Agite ergo famuli & facite ut ſilentio,*

*Sumen.* Propriè *venter ſuillus*, pro *tota ſcrofa* ſumitur.

74. *Tyrrhenam.* Mare Tyrrhenum ſive Inferum alluit partem Italiæ occidentalem.

*Pharon.* Pharus fuit excelſa turris in Alexandrino portu, in qua ignes accenſi, eum longè oſtendebant. Similem in Oſtienſi portu turrim educi Claudius Imperator juſſit.

*Rurſus.* Ideò dicit, quia Trajanus aggeres & moles portus Oſtienſis, inſtauraverat ac refecerat.

78. *Baïanæ.* Sat. III, n. 4.

79. *Vertice raſo.* Servi libertate donandi radebant caput. Hoc ipſum nautæ faciebant oppreſſi tempeſtate, quaſi qui liberationem & ſalutem a Diis exſpectarent, quibus crines ſuos tunc offerebant.

81. *Ite igitur pueri.* Inquit Juvenalis ad pueros, ite, parate neceſſaria ad rem divinam pro reditu Catulli faciendam.

*Linguis faventes.* Favete linguis, formula erat in ſacris uſurpari ſolita, quâ monebantur qui aderant, ut tacerent, ut bene ominata tantùm verba dicerent.

Sertaque delubris, & farra imponite cultris,
Ac molles ornate focos, glebamque virentem.
Jam sequar; & sacro, quod præstat, rite peracto,
Inde domum repetam, graciles ubi parva coronas
Accipiunt fragili simulacra nitentia cerâ.
Hîc nostrum placabo Jovem, Laribusque paternis
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.
Cuncta nitent, longos erexit janua ramos,
Et matutinis operatur festa lucernis.
Nec suspecta tibi sint hæc, Corvine, Catullus,
Pro cujus reditu tot pono altaria, parvos
Tres habet heredes. Libet exspectare quis ægram,
Et claudentem oculos gallinam impendat amico
Tam sterili: verùm hæc nimia est impensa, coturnix
Nulla umquam pro patre cadet: sentire calorem
Si cœpit locuples Gallita, & Paccius orbi,

*attentisque mentibus sacrificio interstitis, templum floribus ornate, cultros molâ salsâ conspergite, aram e cespite construite, ignem adornate. Jam vos consequar, & facto legitimè sacrificio, quæ pars est præcipua officii & pietatis, referam me domum, ubi coronas e floribus imponam cereis Deorum domesticorum statuis. Hic meum Jovem, & alios quos domi colo, quos majores mei coluere, Superos, oblato thure conciliabo, & violas omnis coloris affatim spargam. Factum bene, omnia nitida & ornata sunt; frondentibus arborum ramis postes januæ vestiuntur, & lucernæ frequentes ibidem summo mane accensæ diei festæ lætitiam redolent. Neque verò sinistram de me suspicionem aliquam tibi, Corvine, moveant isthæc officia pietatis. Catullo cujus reditu gratulor, cujus in gratiam tot aras domi & foris exstruo, sunt filii tres domi, & heredes. Cedo, quem reperias, qui, ut gratificetur ejusmodi amico, a quo nihil sperandum sit, quique liberos habeat, immolare gallinam velit morbidam & moribundam, immò coturnicem? At verò, si Gallita, si Paccius, qui opibus abun-*

82. *Farra.* Intelligitur mola salsa, hoc est, far, sal, & aqua; quibus ignem, victimam, cultros aspergebant.

95. *Coturnix nulla.* Ne vilis quidem avicula impenditur cui sunt filii & heredes.

96. *Pro patre.* Pro *cive*, qui sit pater, qui liberos habeat.

97. *Gallita, & Paccius.* Opulenti, filiis carentes.

Legitimè fixis veſtitur tota tabellis
Porticus : exiſtunt qui promittant hecatomben,
Quatenus hìc non ſunt nec venales elephanti,
Nec latio, aut uſquam noſtro ſub ſidere talis
Bellua concipitur, ſed furvâ gente petita
Arboribus Rutulis, & Turni paſcitur agro,
Cæſaris armentum : nulli ſervire paratum
Privato, ſi quidem Tyrio parêre ſolebant
Annibali, & noſtris Ducibus, Regique Moloſſo
Horum majores, & dorſo ferre cohortes
Partem aliquam belli, & euntem in prælia turmam.
Nulla igitur mora per Novium, mora nulla per Hiſtrum
Pacuvium, quin illud ebur ducatur ad aras,

*dant, qui liberis carent, febricula tentantur, confeſtim videas templi porticum totam refertam tabellis in quibus captatores deſcripſerint vota ſua pro illorum incolumitate ritè ſuſcepta : non deſunt qui ſacrificium centum boum ſe facturos pollicentur, ſiquidem Romæ non venduntur elephanti, nec in Italia & noſtris regionibus iſtæ belluæ naſcuntur, ſed ab Africæ aut Aſiæ longinquis oris abductæ, in Latio nutriuntur ; quippe quæ Imperatoris tantùm ſumptibus ali poſſint : grex nobilior, quàm ut privatis hominibus mancipetur. Sanè iſtorum elephantorum majores non ad alios quàm bellorum uſus a Ducibus noſtris, itemque Annibale, & Pyrrho, ſolebant adhiberi, cùm eorum tergo turres militibus plenæ imponerentur, ac medias in acies immitterentur. Sed elephanti Romæ ſi qui nunc eſſent, profectò non dubitarent Novius & Hiſter Pacuvius eoſdem addu-*

98. *Legitimè.* Adhibitis certis cæremoniis.

99. *Hecatomben.* Sacrificium in quo centum boves eodem tempore mactantur, ἑκατὸν *centum*, βοῦς *bos*.

102. *Furva.* Fuica, nigra.

103. *Rutulis.* Rutuli veteris Italiæ populus : iis Turnus imperitabat.

105. *Tyrio.* Carthaginienſes e Phœnicia & Tyro erant oriundi.

106. *Annibali.* Sat. VI, n. 121, & Sat. VII, v. 161.

*Regi Moloſſo.* Moloſſia, pars eſt Epiri in Græcia. Ibi regnavit Pyrrhus, qui ſuſcepto contra Romanos bello, elephantis princeps in Italia uſus fuit. Juſtinus, Lib. XVIII.

109. *Nulla igitur mora, &c.* Nihil ergo retardaret Novium & Pacuvium captatores, &c.

110. *Illud ebur.* Illi ele-

Et cadat ante lares Gallitæ victima sacra,
Tantis digna Deis, & captatoribus horum.
Alter enim, si concedas mactare, vovebit
De grege servorum magna, & pulcherrima quæque
Corpora, vel pueris, & frontibus ancillarum
Imponet vittas: & si qua est nubilis illi
Iphigenia domi, dabit hanc altaribus, etsi
Non speret tragicæ furtiva piacula cervæ.
Laudo meum civem, nec comparo testamento

*cere ad altaria, & illos pro salute unius mulierculæ Gallitæ offerre Diis ipsius Penatibus, dignas certè tam caris Numinibus victimas, dignas eorum astutis cultoribus. Quin etiam erit ex iis captatoribus, qui, si detur hæc ipsi facultas, & venia, Superis promittat se mactaturum lectissimos e suis famulis, qui mancipia & ancillas vittis ac tæniolis, instar victimarum, adornatas aris admoveat: immo etiam suam ipsius filiam, si quam domi jam viro maturam habeat, etsi non speret cervam aliquam, id quod de Iphigenia narratur, & in tragœdiis exhiberi solet, pro filia sua furtim suppositum iri. Ego verò Pacuvium esse virum egregium & sapientem judico: neque comparandam puto Græcorum classem totam, quam immolandâ filiâ servatam Agamemnon voluit, testamento & hereditati, quam Pacuvius suâ pariter filiâ sacrificandâ captat. Nam si ægrotus ille dives mortem evaserit, testamentum vetus a se factum*

phanti. Eorum dentes, ebur ipsum sunt.

112. *Deis.* Gallitæ Penatibus, ut expositum: vel ipsis Paccio & Gallitæ, qui, tamquam Dii quidam summi, colluntur a captatoribus.

113. *Alter.* Pacuvius scilicet, unus e duobus quos appellavit modò, captatoribus.

116. *Vittas.* Tænias quasdam, quibus ornabantur hostiarum capita.

117. *Iphigenia.* Filia fuit Agamemnonis. Cùm Græcorum classis hæreret in Aulide, Græciæ portu, ventis adversis ne solveret prohibita: consuluit oraculum Agamemnon. Responsum est, immissos a Diana fuisse ventos adversos, iratâ quòd sacram ipsi cervam Græci venantes peremissent: placari non posse Deam, nisi mactaretur Iphigenia: illam pater destinavit aræ, cúmque mactanda foret, Diana cervam ejus loco supposuit.

118. *Piacula.* Significat ea vox in hoc loco *sacrificium*, seu *victimam* quâ piatur crimen.

Mille rates : nam ſi Libitinam evaſerit æger,
Delebit tabulas incluſus carcere naſſæ,
Poſt meritum ſanè mirandum, atque omnia ſoli
Forſan Pacuvio breviter dabit : ille ſuperbus
Incedet victis rivalibus. Ergo vides, quàm
Grande operæ pretium faciat jugulata Mycenis.
Vivat Pacuvius, quæſo, vel Neſtora totum !
Poſſideat, quantum rapuit Nero, montibus aurum
Exæquet ; nec amet quemquam, nec ametur ab ullo.

*delebit, ut novum conficiat, quo Pacuvium, tamquam optimè de ſe meritum, fortè ſolum heredem ſcribat, ineſcatus illo videlicet ſacrificio, & veluti piſcis in naſſam inductus. Pacuvius per unum aut alterum teſtamenti verſiculum hereditate lautâ donatus plaudet ſibi & gratulabitur, ac ſuos æmulos, mœrentes victoſque deridebit. Jamne intelligis quantum lucri fecerit ille captator : cùm ſuam Iphigeniam pro divite orbo mactare non dubitavit ? At ego patior illum ſanè opibus & vitâ frui, per tot annos, quot Neſtor vixit : tantas habere divitias, quantas Nero prædatus eſt, ac montes, ut aiunt, aureos poſſidere ; ſed eâ lege ut neminem habeat amicum, nemini ſit amicus.*

120. *Mille rates.* Claſſis Græcorum mille navium erat.

*Libitinam.* Deam funerum præſidem. Pro *morte* ſumitur.

125. *Mycenis.* Mycenis, Mycenidis : Iphigenia, filia Agamemnonis Regis Mycenarum, in Peloponneſo. Ibi Vates intelligit filiam captatoris, & in eadem allegoria pergit.

126. *Neſtora.* Neſtor Dux Græcorum, tres ætates hominum vixiſſe fertur.

# SATIRA XIII.

## ARGUMENTUM ET SYNOPSIS.

*AMICUM suum Calvinum, mœrentem quòd sibi non redderentur decem sestertia ab eo apud quem illa deposuerat, consolatur. Nonnulla subjicit de pœnis improborum & sceleratæ conscientiæ cruciatu.*

EXEMPLO quodcumque malo committitur, ipsi
Displicet auctori. Prima est hæc ultio, quòd se
Judice, nemo nocens absolvitur; improba quamvis
Gratia fallacis Prætoris vicerit urnam.
Quid sentire putas omnes, Calvine, recenti 5
De scelere & fidei violatæ crimine? Sed nec
Tam tenuis census tibi contigit, ut mediocris
Jacturæ te mergat onus: nec rara videmus

*OMNE scelus hoc habet proprium ac peculiare ut illi, a quo admissum est, dolorem ac pudorem incutiat. Primum hoc supplicium ob sua flagitia dependunt scelerati, ut suo ipsorum judicio & conscientiâ condemnentur, licèt iniquâ judicis sententiâ & pravo favore sint absoluti. Illum autem, qui depositam apud se pecuniam, & suæ fidei a te, Calvine, concreditam per immanem perfidiam nuper abjuravit, nonne vides ab omnibus etiam condemnari, tamquam perjurum & impium? Neque verò est adeo tibi angusta res familiaris, ut levi ejus generis jacturâ, damno-*

1. *Exemplo malo.* Id est, pravè, sceleratè, quæ vitiosè fiunt exemplum ferè, quod alii sequantur, præbent.

4. *Urnam Prætoris.* Judicum sententiæ in tabellis scriptæ conjici solebant in urnam, aut capsulam, unde illas educens Prætor & recognoscens, damnatum aliquem aut absolutum pronunciabat. Prætor enim judiciis vulgò præerat.

7. *Census.* Sat. I, v. 47, & Sat. III, nota 125, & v. 145.

Quæ pateris ; casus multis hic cognitus, ac jam
Tritus, & e medio Fortunæ ductus acervo.
Ponamus nimios gemitus, flagrantior æquo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere major.
Tu quamvis levium minimam, exiguamque malorum
Particulam vix ferre potes, spumantibus ardens
Visceribus, sacrum tibi quod non reddat amicus
Depositum. Stupet hæc, qui jam post terga reliquit
Sexaginta annos Fonteio Consule natus ?
An nihil in melius tot rerum proficis usu ?
Magna quidem, sacris quæ dat præcepta libellis
Victrix Fortunæ sapientia. *Dicimus autem*
*Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitæ,*
*Nec jactare jugum vitâ didicêre magistrâ.*

*que sis ad egestatem redigendus, neque infrequens illud infortunium tuum est, sed multis evenire solitum, ac sumptum e medio veluti acervo calamitatum quibus vexare mortales quotidie Fortuna solet. Itaque noli plus æquo indulgere mœrori ; homo gravis & constans dejici dolore non debet, nec vehementiùs, quàm res ipsa poscat, afflictari. Pudeat te, quòd exiguum ac leve malum tolerare nequeas, & furentis in morem excandescas, ob fraudem & perfidiam amici depositum tibi restituere negantis, quod sanctè custodiendum ab eo & reddendum erat. Miraris hoc scilicet, homo sexagenarius, & editus in lucem quo tempore Fonteius Consulatum gerebat ! Nihilne tandem didicisti ac profeceris ad casus adversos leviùs ferendos, tam longâ experientiâ ? Magnam quidem vim habent philosophiæ præcepta quæ in sapientum libris exstant, ac docent quo pacto vincere Fortunam possimus ;* nec minorem tamen ad beatè vivendum facultatem dat ipsa vitæ quotidianæ consuetudo & rerum usus, cùm perferendo ærumnarum jugo nos assuefacit, & ad hanc patientiæ disciplinam erudit. *Age, quem*

17. *Fonteio.* Consulatum gessit anno U. C. 812, Neronis 5, a quo tempore annus sexagesimus incidit in annum Adriani tertium, U. C. 872.

20. *Victrix Fortunæ sapientia.* Democritus Fortunæ minaci mandat laqueum, mediumque ostendit unguem.

22. *Jactare jugum.* Metaphora ducitur a *bobus*, qui aratro subditi & oppressi jugum detractant excutiuntque.

Quæ tam festa dies, ut cesset prodere furem,
Perfidiam, fraudes, atque omni ex crimine lucrum
Quæsitum, & partos gladio, vel pyxide nummos? 25
*Rari quippe boni:* numero vix sunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.
Nona ætas agitur, pejoraque secula ferri
Temporibus; quorum sceleri non invenit ipsa
Nomen, & a nullo posuit Natura metallo. 30
Nos hominum, divumque fidem clamore ciemus,
Quanto Fessidium laudat vocalis agentem
Sportula. Dic senior bullâ digniſſime, nescis

*dabis mihi diem tam sacrum, tam festum, quin aliquis in eo deprehendatur perfidus, fraudulentus, fur? omne criminum genus lucri causâ susceptum, & opes ferro aut veneno partæ.* Exiguus nempe numerus proborum est. *Vix tot sunt, quot urbis Thebanæ portæ, vel Nili ostia. Seculum nostrum ferreo illo seculo deterius est, neque ullum habet metallum natura, quo nonæ hujus ætatis improbitatem designet. Et nos tamen Superûm hominumque fidem imploramus clamore tanto, quantum edere solent Fessidii clientes, cùm illi verba in foro facienti applaudunt. Ignoras scilicet, o bone senex, & digne cui appendatur, ut pueris, e collo bulla, ignoras, inquam, quas furtiva pe-*

25. *Pyxide.* Pyxis est *theca e buxo*, quod est *lignum insigni duritie*, atque adeò servandis venenis idoneum.

26. *Rari quippe boni.* Juvenalis ad Sapientum numerum alludit. Hi septem fuêre, sicut septem Nili ostia, & septem Thebarum portæ.

27. *Thebarum.* Thebæ civitas erat Bœotiæ, in Græcia, septem portas habens.

*Divitis ostia Nili.* Nilus Ægypti fluvius septem ostiis in mare devolvitur: *dives* appellatur, quia commercio ditat Ægyptum, & felici etiam limo, quo, exundans certis mensibus, fœcundat arva.

28. *Nona ætas.* Latini quatuor mundi ætates numerabant; *auream, argenteam, æream* & *ferream.* Græci octo ponebant, *auream, argenteam, electream, æream, cupream, stanneam, plumbeam, ferream.* Nonam addit Juvenalis prioribus pejorem. Sunt qui legant, *nunc ætas agitur.*

32. *Fessidium.* Cautè cum imperitum, qui pecuniâ clientes conducebat, ut sibi peroranti plauderent.

Quas habeat veneres aliena pecunia? neſcis
Quem tua ſimplicitas riſum vulgo moveat, cùm
Exigis a quoquam ne pejeret, & putet ullis
Eſſe aliquod numen templis, aræque rubenti?
Quondam hoc indigenæ vivebant more, priuſquam
Sumeret agreſtem, poſito diademate, falcem
Saturnus fugiens; tunc cùm virguncula Juno,
Et privatus adhuc Idæis Juppiter antris.
Nulla ſuper nubes convivia cælicolarum,
Nec puer Iliacus, formoſa nec Herculis uxor
Ad cyathos, & jam ſiccato nectare tergens
Brachia Vulcanus Liparæâ nigra tabernâ.
Prandebat ſibi quiſque Deus, nec turba Deorum

*cunia illecebras habeat, & quo riſu ſimplicitatem tuam homines proſequantur, cùm a quopiam poſtulas ne falſum jusjurandum dicat, & ineſſe credat aliquam vim divinam templis & altaribus victimarum ſanguine infectis. Hæc ſanè probitas, hi mores erant uſitati apud primos Italiæ incolas, antequam Saturnus regno pulſus falcem meſſoriam acciperet, cùm puella Juno, cùm Jupiter nondum rerum potitus privatam in aliqua montis Idæ ſpelunca, vitam degeret: cùm nullas in cœlo epulas Superi celebrarent, necdum Ganymedes aut Hebe miſcerent illis pocula, nec e furvis Liparæarum inſularum antris progreſſus Vulcanus ad cœleſtes illas epulas, multo nectare hauſto, labra humentia brachiis abſtergeret: unuſquiſque Deorum domi ſuæ*

34. *Sportula.* Sat. I, nota 80.

*Bulla.* Erat bulla *orbiculus* vel *corculum aureum.* Sat. V, nota 164.

37. *Eſſe aliquod numen.* Quaſi dicat, imperiti duntaxat jam verentur Deos perjuriorum vindices.

38. *Indigenæ.* Sic vocantur, qui eam regionem in qua ſunt nati, incolunt.

40. *Fugiens.* Jovem filium, a quo pulſus cœlo & ſolio eſt. Vide appendicem.

41. *Idæis.* Ida mons eſt Cretæ, ubi Juppiter educatus.

43. *Iliacus.* Trojanus filius Trois, Regis Ilii, ſeu Trojæ.

*Herculis uxor.* Hebe Jovis ac Junonis filia. Juventutis præſes Dea, nupta Herculi.

44. *Nectare.* Nectar, Deorum potus erat: ambroſia, cibus.

*Vulcanus.* Deus, ignis præſes, Jovis & Junonis filius. Vide app. c. IV.

Talis, ut est hodie, contentaque sidera paucis
Numinibus, miserum urgebant Atlanta minori
Pondere: nondum aliquis fortitus triste profundi
Imperium, aut Siculâ torvus cum conjuge Pluto:
Nec rota, nec Furiæ, nec saxum, aut vulturis atri
Pœna, sed infernis hilares sine Regibus umbræ.
Improbitas illo fuit admirabilis ævo.
Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicumque puer, licèt ipse videret

*cœnabat: non tam numerosum erat cœlicolarum, uti modò est, agmen, cœlumque a paucis habitatum Diis, leviori pondere Atlantem premebat: nondum ex illis unus regna inferorum gubernanda ductis sortibus acceperat, non trux Pluto cum Proserpina uxore umbras terrebat, neque ulla rotæ Ixioneæ, Furiarum Sisyphiæ rupis, & diri vulturis mentio: sed læti, nullo Rege, Manes suo arbitratu ætatem agebant. Aureâ illâ ætate, portenti simile quidpiam erat, si quis nequam & flagitiosus foret: immane tunc scelus & capitali pœnâ plectendum censebatur, si adolescens venienti seni honorem, surgendo, non haberet; aut puer adolescenti, quamvis esset ditior, & majorem domi suæ*

48. *Atlanta.* Sat. VIII, n. 30, & Sat. XI, nota 24.

50. *Sicula conjuge.* Proserpina, Cereris filia, quam rapuisse Pluto dicitur, in Ætna, monte Siciliæ.

51. *Rota.* Ixionis, qui cùm temerare Junonem tentasset, a Jove detrusus est ad inferos, & affixus rotæ, quæ semper circumagitur.

*Furiæ.* Alecto, Megæra, Tisiphone, Noctis & Acherontis filiæ: quibus conscientiæ stimuli significantur.

*Saxum.* Sisyphus, Æoli filius, cùm Atticam latrociniis infestam haberet, a Theseo interfectus est. Hunc Poëtæ fabulantur eo supplicii genere plecti apud inferos, ut saxum ingens in montis verticem cogatur provolvere quod cùm ad summum cacumen extulit, repentè deorsum relabitur. Virgil. VI Æneid. v. 616.

*Vulturis.* Tityus, terræ, ut Poëtæ narrant, filius, cùm Latonam de stupro interpellasset, Jovis fulmine dejectus in tartarum, ibi per novem porrectus jugera, jecur semper renascens vulturi exedendum præbet. Eâdem pœnâ Prometheum multatum fingunt, quòd iguem e cœlo furatus esset.

Plura domi fraga, & majores glandis acervos.
Tam venerabile erat præcedere quattuor annis,
Primaque par adeo ſacræ lanugo ſenectæ.
Nunc ſi depoſitum non inficietur, amicus,
Si reddat veterem cum tota ærugine follem,
Prodigioſa fides, & Thuſcis digna libellis,
Quæque coronatâ luſtrari debeat agnâ.
Egregium ſanctumque virum ſi cerno, bimembri
Hoc monſtrum puero, vel mirandis ſub aratro
Piſcibus inventis, & fœtæ comparo mulæ:
Sollicitus, tamquam lapides effuderit imber,
Atque examen apum longâ conſederit uvâ

*copiam fragorum glandiſque conſpiceret. Tantam apud eos venerationem obtinebat ætas quatuor duntaxat annis provectior : ita ſuccreſcens primùm barba eodem colebatur tunc honore, quo ſenectus apud nos afficitur. Nunc ſi depoſitam pecuniam amicus non deneget, crumenamque cum nummis ob vetuſtatem rubigine ac ſitu detritis, reſtituat, portentoſa illa prædicatur eſſe fidelitas, & digna quæ cum ceteris prodigiis in libros Hetruſcorum haruſpicum referatur, immo quæ inſtar inauditi monſtri certis ſacrificiis expietur. Ego quidem, cùm virum hac virtute & fide præditum intueor, videre videor infantem membris partim ferinis conſtantem, aut piſces ab agricola in agro quem arat inventos, aut mulam gravidam : nec minùs rei novitate perturbor, quàm ſi pluiſſet lapidibus, aut apum examen, inſtar oblongi racemi conflatum, in templi cujuſpiam faſtigio hæſiſſet ; aut lacteum flumen magno impetu*

57. *Fraga.* Tunc glandes, & fructus alii, hominum cibus & opes erant.

61. *Follem.* Saccum plenum, inſtar follis intumeſcentem.

62. *Thuſcis.* Thuſcia ſive Hetruria, *la Toſcane*, eſt pars Italiæ ſupra Romanum agrum. Auguriorum olim & haruſpicinæ peritiſſima.

*Digna libellis.* Vel, ut in iis ſcribatur ad poſteritatis memoriam, vel, ut ex eorum præſcripto ac formulis expietur.

63. *Luſtrari.* Expiari. Sat. II, nota 115. Si quid accidiſſet portenti, ſolebant immolare victimas, ut iram Deorum, quam ſignificare monſtra videbantur, averterent. Coronas autem floreas victimis imponere moris erat.

66. *Mulæ.* Steriles vulgò mulæ ſunt.

68. *Examen apum.* Portenti loco habebatur ſi apes in tem-

Culmine delubri, tamquam in mare fluxerit amnis
Gurgitibus miris, & lactis vortice torrens.
Intercepta decem quereris sestertia fraude
Sacrilegâ: quid si bis centum perdidit alter
Hoc arcana modo? majorem tertius illâ
Summam, quam patulæ vix ceperat angulus arcæ?
Tam facile & pronum est superos contemnere testes,
Si mortalis idem nemo sciat. Adspice quantâ
Voce neget, quæ sit victi constantia vultûs.
Per solis radios, Tarpeiaque fulmina jurat,
Et Martis frameam, & Cirrhæi spicula vatis:
Per calamos venatricis, pharetramque puellæ,
Perque tuum, pater Ægei Neptune, tridentem:
Addit & Herculeos arcus, hastamque Minervæ,

*in mare devolveretur. Ingemiscis quòd per impiam fraudem, ablata fuerint tibi decem sestertia: quid igitur dicas, si cernas alium quempiam ducenta sestertia itidem amisisse, quæ similiter alterius fidei & custodiæ clam & sine testibus commiserat? Si videas alium plures etiam nummos perdidisse, qui vix in ingentis arcæ angulo poterant contineri? Adeo facilè scelerati pro nihilo pendunt, quòd testes perfidiæ suæ & conscios habeant Deos, si nemo homo conscius testisque sit. En ille perjurus ac perfidus, quàm firmo & erecto vultu, quàm intentâ voce, depositum abnegat? Jurat per Solem, per Jovem fulminantem, per Martem ense, Apollinem jaculis instructum, Dianam sagittis armatam, Neptunum tridente, Herculem arcu, Minervam*

plum aut domum aliquam convolassent, in pendentis uvæ speciem inter se glomeratæ. Virg. IV Georg. v. 557, VII Æn. 65.

71. *Decem sestertia.* Sunt libræ Turonicæ 1000.

73. *Arcana.* Arcanæ fidei credita, sine ullis testibus.

78. *Tarpeia.* Sat. VI, nota 41.

79. *Frameam.* Ensem, vel hastam.

*Cirrhæi.* Cyrrha oppidum Phocidis, ad radicem montis Parnassi, ubi Apollo præcipuè colebatur.

81. *Ægei.* Mare Ægeum, est pars maris Mediterranei, inter Græciam & Asiam minorem.

82. *Herculeos arcus.* Habebat Hercules sagittas Hydræ cruore tinctas, eratque in fatis, sine iis expugnari Trojam non posse.

Quidquid habent telorum armamentaria cœli.
Si verò & pater est: Comedam, inquit, flebile nati
Sinciput elixi, Pharioque madentis aceto.
Sunt qui in Fortunæ jam casibus omnia ponant,
Et nullo credant mundum rectore moveri,
Naturâ volvente vices, & lucis, & anni;
Atque ideo intrepidi quæcumque altaria tangunt.
Est alius metuens ne crimen pœna sequatur:
Hic putat esse Deos, & pejerat; atque ita secum:
Decernat quodcumque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro,
Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego, nummos.
Et phthisis, & vomicæ putres, & dimidium crus
Sunt tanti. Pauper locupletem optare podagram
Nec dubitet Ladas, si non eget Anticyrâ, nec

*hastâ: demum per tela omnia quæ in cœli apothecis servantur, jurare non dubitat. Quod si liberos habet, si fallo, inquit, ita mihi Superos iratos imprecor, ut filii caput aceto incoctum cogar comedere. Neque verò mirum est illos impios tam fidenter pejerare, & aras sine ullo metu tangere: quippe cùm ex illis sint qui omnia Fortunæ & casui tribuant, qui nullum, a quo regatur hic orbis, numen agnoscant: qui diei, noctis, & quatuor anni tempestatum, varias vices oriri a natura existiment; alii existere Deos quidem arbitrantur, ac proinde timent ne perjurii pœnas luant; pejerant nihilominus, & sic taciti cogitant: de me statuat Isis quodcumque volet, oculos meos irata sistro suo percutiat, dummodo pecuniâ, quam abjuro, fruar, vel ipsis oculis captus. Morbis omnibus, phthisi, apostematibus, crure diffracto & mutilo, emuntur bene nummi, tanti valent. Si sapit Ladas ille, velocitate pedum*

85. *Sinciput.* Pars capitis anterior: occiput, posterior est.

*Pharioque.* Quid esset Pharus diximus Sat. VI, nota 50, & Sat. XII, n. 74. *Pharon.*

*Aceto.* Acetum Ægyptium laudabatur.

93. *Isis.* Sat. XII, nota 28.

*Sistro.* Sistrum, est instrumentum quoddam musicum, instar fistulæ, at tinnuli crepitaculi, quo Ægyptii maximè utebantur in sacris Isidis.

95. *Phthisis.* Tabes lenta, qua corpus sensim exeditur.

*Vomicæ.* Sunt ulcera interiora, apostemata.

97. *Ladas.* Histrio quidam

Archigene. Quid enim velocis gloria plantæ
Præstat, & esuriens Pisææ ramus olivæ?
Ut sit magna, tamen certè lenta ira Deorum est.
Si curant igitur cunctos punire nocentes,
Quando ad me venient? sed & exorabile numen
Fortasse experiar, solet his ignoscere: multi
Committunt eadem diverso crimina fato.
Ille crucem sceleris pretium tulit, hic diadema.
Sic animum diræ trepidum formidine culpæ
Confirmant. Tunc te sacra ad delubra vocantem
Præcedit, trahere immo ultrò, ac vexare paratus.

*inclytus, si elleboro & medico non indiget, profectò anteponet podagram, quæ ipsi opes allatura sit, pernicitati suæ, cum qua est inops & fame conficitur. Quam enim utilitatem habet pedum illa velocitas & corona in certaminibus Olympicis data, si est cum fame ac paupertate conjuncta? Deinde, tametsi gravis Deorum ira sit, est eadem certè ad puniendum tarda. Quod si omnes improbos mérito afficere supplicio decreverint, quandonam ad me in tanto numero, pervenient? Quid quod, fieri poterit, ut eos placabiles & propitios habeam: perjuris non rarò ignoscunt: denique eadem admittunt scelera plerique, eventu perquam diverso: unus in crucem tollitur, alter in sollium evehitur. His rationibus mentem conscientia sceleris anxiam perjurus erigit, ac discutit metum. Ita confirmatus, tibi ad templum, ubi jurare illum cogas, eunti præibit sponte, immo te huc pertrahere non cunctabitur & urgere: cùm enim aliquis, malè sibi conscius, præ se fert audacia*

tunc notus, aut scurra, miræ pernicitatis. De illo vide Martialem a nobis editum, pag. 141, Lib. II, Epig. 62.

*Anticyra.* Insula quædam Laconiæ adjacens ubi nascitur præstans elleborum, quâ herbâ seu frutice, curantur insani ac furiosi. Egere elleboro, sive Anticyrâ, est *insanire.*

98. *Archigene.* Medico tunc nobili & perito ad venam in media fronte scindendam, quo deliri & furiosi sanantur.

*Quid enim velocis, &c.* Quid prodest agilitate pedum valere, ut nobilis ille cursor Ladas, si pariter ut ipse postea sis inops.

99. *Pisææ.* Pisa, urbs Græciæ fuit in Peloponneso. Non procul ab ea urbe celebrabantur quinto quoque anno certamina Olympica: in quibus ii, qui cursu vicerant, olivæ foliis coronabantur.

Nam cùm magna malæ supereſt audacia cauſæ,
Creditur a multis fiducia. Mimum agit ille,
Urbani qualem fugitivus ſcurra Catulli.
Tu miſer exclamas, ut Stentora vincere poſſis,
Vel potiùs quantum gradivus Homericus: audis
Juppiter hæc, nec labra moves, cùm mittere vocem
Debueras vel marmoreus, vel aheneus? aut cur
In carbone tuo chartâ pia thura ſolutâ
Ponimus, & ſectum vituli jecur, albaque porci
Omenta? Ut video nullum diſcrimen habendum eſt
Effigies inter veſtras, ſtatuamque Bathylli.
Accipe quæ contrà valeat ſolatia ferre,

*ciam inſignem, putatur a multis eſſe propter innocentiam confidens ac ſecurus. Ille perfidus ac ſacrilegus inſtar hiſtrionis perſonam fictam ſuſtinet, qualem ſervus agit ſcurriliter in quadam Catulli poëtæ comœdia: tu interim infelix validiùs, quàm Stentor vel Mars apud Homerum, vociferaris, & in has erumpis querelas: O ſancte Jupiter audis hunc ſacrilegum pejerantem, nec vocem mittis! at loqui & exclamare certè, licèt ex ære conflatus aut marmore, debueras: cur ergo ad aras tibi conſecratas adolemus thura, cur vituli exta, inteſtina porci obeſa immolamus, ſi hæc inulta pateris? Sic eſt, nihil veſtræ Deorum ſtatuæ a Bathylli ſtatuis differunt. Ita tu quidem Superos incuſas. Audi viciſſim rationes quibus tuum ſolari dolorem, & querelas compeſcere conabor ego, qui neque*

111. *Fugitivus.* Sic vocabantur *ſervi nequam.*

*Catulli.* Comœdiam ille ſcripſerat, in qua herus quidam fugitivum mancipium repetebat. Negabat ſervus impudens, ſe umquam ejus fuiſſe, & herum ad aras juraturus ſponte pertrahebat. Sat. VIII, v. 184.

112. *Stentora.* Stentor Græcus, apud Homerum, miles, tantum valebat voce, quantum alii quinquaginta.

113. *Gradivus.* Martem affirmat idem Homerus vulneratum a Diomede, tantum clamorem edidiſſe quantum ederent hominum decem millia. Iliad. V.

116. *Charta ſoluta.* Aperto papyraceo thuris involucro.

119. *Bathylli.* Citharœdum illum fuiſſe aiunt, & mimum, ſtatuâ donatum a Polycrate Samiorum Rege.

Et qui nec Cynicos, nec Stoïca dogmata legit
A Cynicis tunicâ distantia; non Epicurum
Suspicit exigui lætum plantaribus horti.
Curentur dubii medicis majoribus ægri,
Tu venam vel discipulo committe Philippi.
Si nullum in terris tam detestabile factum
Ostendis, taceo, nec pugnis cædere pectus
Te veto, nec planâ faciem contundere palmâ:
Quandoquidem accepto claudenda est janua damno,
Et majore domûs gemitu, majore tumultu

*Cynicorum scholas frequentavi, neque perlegi placita Stoïcorum, quos tunica tantùm formâ dispar & dissimilis distinguit a Cynicis; neque Epicurum admiror oleribus victitare solitum. Ægroti gravioribus implicati morbis adhibeant sanè medicos præstantiores: tu curari vel a Philippi discipulo rectè possis. Si nullum facinus vides cum illa tui amici perfidia comparandum, nihil causæ dico, quin dedas te penitùs dolori, & pectus ac vultum utraque manu percutias ac dilanies; quin domum tuam occludas, ut fit*

121. *Cynicos.* Cynicus κυνικὸς, Græca vox idem significans ac *caninus*. Id nominis inditum fuit Philosophis quibusdam Græcis, qui canum instar, omnes allatrabant, impudenti mordacitate. Illorum princeps Antisthenes, Socratis discipulus.

*Stoïca.* Sat. II, nota 40.

122. *A Cynicis, &c.* Ait Philosophiam Stoïcorum a Cynicorum effatis discrepare tantùm penes tunicam, & pallium, quia cùm utrique summum bonum in virtute statuerent, & eadem fere in aliis sentirent, Cynici erant solo induti pallio, cum interula leviori duntaxat aut subligaculo: Stoïci ad pallium tunicam addebant, quæ vestis est interior & crassior, totum corpus obtegens.

*Epicurum.* Philosophum Græcum, a quo summum bonum in voluptate ponebatur, sive in doloris immunitate, ita ut corpus esset sanum, animus perturbatione omni careret. Oleribus victitasse, ac primus hortos Athenis intra urbem habuisse fertur.

124. *Curentur, &c.* Comparat homines graviori aliquo affectos damno cum ægrotis gravi morbo laborantibus, Calvinum cum aliis leviùs periclitantibus.

125. *Venam.* Incidendam, aperiendam.

*Philippi.* Medici fortasse non peritissimi, quo imperitiores fuisse ipsius discipulos credibile est.

Planguntur nummi, quàm funera. Nemo dolorem
Fingit in hoc casu, vestem diducere summam
Contentus, vexare oculos humore coacto:
Ploratur lacrymis amissa pecunia veris.
Sed si cuncta vides simili fora plena querelâ;
Si decies lectis diversa in parte tabellis,
Vana supervacui dicunt chirographa ligni,
Arguit ipsorum quos littera, gemmaque princeps
Sardonychum, loculis quæ custoditur eburnis:
Te nunc delicias extra communia censes
Ponendum, quia tu gallinæ filius albæ,
Nos viles pulli nati infelicibus ovis.

*in summo luctu & funeribus parentum ac propinquorum, quæ minus molestè graviterque toleramus quàm pecuniæ jacturam: hæc enim non simulato mœrore defletur, non veste leviter scissa, non lacrymis per vim extortis, at ex animo deploratur. Igitur si reperire est in foro quolibet, homines de ejusmodi sceleribus & damnis conquerentes, si debitores quos sua ipsorum manus & scriptura, quos signum annulo & nobili gemmâ impressum convincit aliquam syngraphàm ab ipsis scriptam & obsignatam fuisse, nihilominus hoc pernegant, & adulterinum esse chirographum falsumque clamitant, licèt illa syngrapha decies recitata fuerit palàm, variis in locis & coram diversis testibus, valde profecto delicatus es, si putas te ex hominum grege communi, & usitatis casibus eximendum, quasi gallinæ albæ, ut paræmia fert, esses filius, ceteri præ te uno viles & contemnendi forent pulli. Si graviores quibus alii*

137. *Supervacui.* Falsi, adulterini, inutilis ad fidem faciendam.

*Ligni.* Syngraphæ, cautionis. Scribebant in tabellis ligneis, cerâ obductis.

139. *Sardonychus.* Dicitur etiam Sardonyx & sardonyche. Sat. VI, nota 249; Sat. VII, v. 144.

*Princeps gemma.* Quia ut plurimum iis erat annulis inserta, quos adhibebant ad obsignanda instrumenta litium.

*Loculis.* Annulos, quibus ad obsignandas tabellas utebantur, servabant in thecis elegantioribus.

141. *Gallinæ, &c.* Adagium illud jactatur in homines beatulos & delicatos.

*Albæ.* Color *albus* prosperis rebus: *niger*, adversis tribuitur.

Rem pateris modicam, & mediocri bile ferendam,
Si flectas oculos majora ad crimina: confer
Conductum latronem, incendia sulphure cœpta,
Atque dolo, primos cùm janua colligit ignes.
Confer & hos veteris qui tollunt grandia templi
Pocula adorandæ rubiginis, & populorum
Dona, vel antiquo positas a Rege coronas.
Hæc ibi si non sunt, minor exstat sacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis, & faciem ipsam
Neptuni, qui bracteolam de Castore ducat:
An dubitet, solitus totum conflare Tonantem?
Confer & artifices, mercatoremque veneni,
Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adversis innoxia simia fatis.
Hæc quota pars scelerum, quæ custos Gallicus urbis

*quotidie afficiuntur calamitates expendas, leve illud tuum profectò damnum esse intelliges. Compara, sodes, cum infortunio tuo, latrocinia quæ fiunt ab inductis pecunia prædonibus: incendia domorum, quando clam sulphur & alia id genus ignis irritamenta foribus admoventur? Sacrilegia, cum impio furto surripiuntur vasa ob vetustatem sacro quodam honore digna, donaria populorum, coronæ ab aliquo Rege prisco superis oblatæ, & in templis repositæ. Quod si præda tam dives in iis nulla existit, aureæ laminæ de statua Herculis, Neptuni, aut Castoris abraduntur a sacrilegis levioribus: nec mirum, quippe qui graviora nullo perculsi metu flagitia suscipere soleant, ac totam Jovis ex auro statuam igni liquefacere. Compara cum eodem amico depositum tibi subducente, veneficos; compara parricidas, quibus hæc irrogata legibus pœna est, ut inclusi sacco, simul cum infelice simia, in æquor abjiciantur. Hæc tamen scelera quæ hactenus memoravi minima pars eorum sunt, quæ quotidie ad Rutilium Gallicum urbis Præfectum, unius*

151. *Herculis.* Satir. III, nota 88.

152. *Castore.* Castor fuit Pollucis frater, Jovis & Ledæ filius. Ipse & frater alternis mori & vivere dicebantur.

155. *Et deducendum, &c.* Hoc erat statutum in parricidas a Romanis supplicium, ut in mare abjicerentur insuti in culeum, sive saccum e corio confectum, cum gallo, cane, simia & serpente. Sat. VIII, nota 212.

156. *Adversis fatis,* Quia mori jubetur cum nocente, licèt sit innocens.

Usque a Lucifero, donec lux occidat, audit?
Humani generis mores tibi nosse volenti
Sufficit una domus; paucos consume dies, &
Dicere te miserum, postquam illinc veneris, aude.
Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis
In Meroë crasso majorem infante mamillam?
Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam
Cæsariem, & madido torquentem cornua cirro?
Nempe quòd hæc illis natura est omnibus una.
Ad subitas Thracum volucres, nubemque sonoram
Pygmæus parvis currit bellator in armis;
Mox impar hosti, raptusque per aëra curvis
Unguibus a sæva fertur grue. Si videas hoc
Gentibus in nostris risu quatiare; sed illic,
Quamquam eadem assiduè spectentur prælia, ridet

*tantùm diei spatio deferuntur. Si velis quàm profligata hominum vita sit nosse, unam aliquam inspice domum; quid in ea geratur per dies aliquot expende, tum per me licebit daplores calamitatem tuam. Nemo Alpium incolas tumidis esse faucibus: nemo mulierum Ægyptiarum mammas obesis pueris crassiores miratur: nemo Germanorum oculos cæruleo colore tinctos, flavos eorumdem crines, unguento delibutos & crispos: quia nimirum hæc in iis regionibus usitata & communia sunt omnibus. Quando grues agmine infesto in Pygmæos incurrunt, illi pumiliones aciem scilicet instruunt, & pusillis armis accinguntur: nec resistendo pares, a gruibus sublimè rapiuntur. Hoc si cerneres in Italia, risum profectò non teneres: apud Pygmæos verò, quamvis hoc idem vulgò fiat, nemini ea res tamen risum*

158. *Lucifero.* Sat. VIII, nota 11.

160. *Sufficit una domus.* Nempe Rutulii Gallici domus; in quam ad jus rei omnes confluunt.

162. *Alpibus.* Alpes montes altissimi; Gall. *les Alpes.* Ibi homines ferè strumosi, propter pruinas & cœli gravitatem.

163. *Meroë.* Nili est insula. Vide Sat. V, nota 387.

165. *Cornua.* Cincinnos, instar cornuum, recurvos.

167. *Thracum.* Thracia Europæ pars ad septentrionem, supra Macedoniam. Gruibus abundare fertur. Eam incoluere olim pygmæi, teste Plinio Lib. IV, cap. 11; sed a gruibus fugati sunt.

Nemo,

Nemo, ubi tota cohors pede non est altior uno.
Nullane perjuri capitis, fraudisque nefandæ
Pœna erit? Abreptum crede hunc graviore catenâ
Protinus, & nostro (quid plus velit ira?) necari
Arbitrio. Manet illa tamen jactura, nec umquam
Depositum tibi sospes erit; sed corpore trunco
Invidiosa dabit minimus solatia sanguis.
At vindicta bonum vitâ jucundius ipsâ?
Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis
Interdum, aut levibus videas flagrantia causis;
Quantulacumque adeo est occasio, sufficit iræ.
Chrysippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium, dulcique senex vicinus Hymetto,
Qui partem acceptæ sæva inter vincla cicutæ,
Accusatori nollet dare. Plurima felix

*movet, ubi nullus in toto exercitu miles pedis unius mensuram excedit. Ergone, inquis, inultum crimen perfidus amicus feret? Finge illum statim in tetrum carcerem conjici, ac tuo arbitratu interfici, nihil enim, credo, amplius expetas: non idcirco tamen depositum tibi tuum restituetur, neque illato damno medicina fiet; leve duntaxat solatium & invidiæ plenum, ex ejus cruento & mutilato cadavere accipies. Atenim dulce est ulcisci, & vitâ ipsâ dulcius? Nimirum ita sentiunt homines imperiti ac barbari, qui nullâ aut levi de causa exacandescunt, quorum bilis vel minimâ occasione in iracundiam & furorem exardescit. Non ea mens Chrysippi & oratio, non Thaletis hominis mitissimi; neque Socratis, qui accusatori suo particulam veneni, quo in carcere exstinctus est, largiri noluisset. Est hoc philosophiæ scilicet beneficium, quæ undâ*

183. *Chrysippus.* Sat. II, nota 5, & Sat. VI, nota 75. *Acervi.*

*Thaletis.* Thales, unus e septem Græciæ Sapientibus.

185. *Senex, &c.* Socrates Athenis ortus, quæ civitas non abest procul Hymetto monte, mellis feraci. Hunc tamquam de superis parum piè sentientem accusavit Anytus Athenienſis. Condemnato propinatum est venenum e cicuta, succo frigidissimo confectum.

187. *Accusatori nollet dare, &c.* Socrates proditionis accusatus in vincula est conjectus cum accusatore: huic verò oblati veneni partem petenti dare noluit ille. Socratis autem accusatores tres

Paulatim vitia, atque errores exuit omnes
Prima docens rectum sapientia: quippe minuti
Semper, & infirmi est animi, exiguique voluptas
Ultio. Continuò sic collige, quòd vindictâ
Nemo magis gaudet, quàm fœmina. Cur tamen hos tu
Evasisse putes quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multò sævior illis,
Quas & Cæditius gravis invenit, aut Rhadamanthus,
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.
Spartano cuidam respondit Pythia vates,

*vel maximè confert ad beatè vivendum, ut quæ sunt recta doceat homines, & ex illorum animis vitiorum sensim & errorum omnium fibras extirpet. Ac sanè quàm imbecillum animum & pusillum arguat voluptas ultionis, vel ex eo facilè intelliges quòd hujusmodi voluptate mulieres potissimùm ducantur. Cave tamen putes flagitiosis impunè esse: domesticum illi tortorem habent, a quo intùs plectantur, nempe mentem ream & sceleris conscientiâ trepidam. Nulla, mihi crede, pœna gravior ab Cæditio, vel Rhadamantho excogitata umquam fuit, quàm gerere in sinu suo testem sui sceleris, qui diu noctuque illud nobis objiciat intentetque. Lacedæmonius quidam cogitabat depositum apud se*

fuêre; scilicet Anytus, Melitus, Lycon. De his aiebat ille: Possunt quidem me occidere, non autem lædere. Quia nimirum *nemo læditur nisi a seipso.*

197. *Cæditius.* Judex eâ tempestate atrox & severus.

*Rhadamanthus.* Judex umbrarum apud inferos cum Minoë & Æaco. Vide Sat. I, nota 10.

199. *Spartano.* Lacedæmon, urbs Peloponnesi primaria, dicta fuit quoque Sparta.

*Cuidam.* Glaucum appellat Herodotus, & apud eum depositam ab amico Milesio pecuniam fuisse docet.

*Pythia.* Sic vocabatur *fatidica, sacerdos templi Delphici.* Apollo ipse *Pythius* dicebatur a serpente Pythone, quem interemerat. Porro illa domicilium habebat in spelunca profunda, ore angusto, in cujus aditu locatum tripodem inscendens, divinationes afflabatur spiritu, indeque responsa reddebat.

Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret
Depositum retinere, & fraudem jure tueri
Jurando; quærebat enim quæ numinis esset
Mens; & an hoc illi facinus suaderet Apollo.
Reddidit ergo metu non moribus; & tamen omnem
Vocem adyti dignam templo, veramque probavit
Exstinctus totâ pariter cum prole, domoque,
Et quamvis longâ deductis gente propinquis.
Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet. Cedo, si conata peregit?
Perpetua anxietas, nec mensæ tempore cessat,
Faucibus ut morbo siccis, interque molares
Difficili crescente cibo: sed vina misellus
Exspuit; Albani veteris pretiosa senectus

*retinere, ac interposito etiam jurejurando abnegare. Oraculum Apollinis consuluit, quæsivit quid censeret Phœbus, an id facere approbante Deo posset. Responsum est a Pythia, pœnas ipsum graves daturum, qui hoc ab Apolline quæsivisset, in dubiumque rem ejusmodi revocasset. Quo ille terrore ac pœnarum metu attonitus magis, quàm studio virtutis & amore inductus, depositam pecuniam restituit: idem tamen verum ac dignum Apolline responsum fuisse comprobavit suo, ac suorum liberorum, propinquorum, & universæ familiæ ab ultima stirpe penitùs exstinctæ, exitio. Ita solam peccandi voluntatem Superi plectunt. Et verò qui scelus pectore deliberatum concepit, perinde nocens est, ac si illud admisisset. Quid verò si meditatum facinus etiam complevit? Nonne meritas dependet pœnas? Hinc illa mentis anxiæ ac malè metuentis sollicitudo, quæ hominem non deserit in ipsa mensa, ubi fauces aridæ, tamquam febri laboraret, cibum deglutire vix possunt, hærentibus inter ipsos dentes dapibus, & os, quia ægrè trajiciuntur, magis magisque implentibus. Respuit vina vel optima: Albanum vetus & generosum fastidit; si generosius aliquod*

205. *Adyti.* Adytum, locus est templi secretior, quo profanis adire nefas.

207. *Gente.* Sumitur interdum ea vox pro *familia* & *genere*: latiùs tamen, quàm *familia*, & *domus*, patet.

212. *Molares.* Dentes majores, qui cibos commolunt.

214. *Albani.* Prope Albam Latii urbem, vinum natum, licèt optimum, ei non sapit.

Displicet; ostendas melius, densissima ruga
Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.
Nocte brevem si fortè indulsit cura soporem,
Et toto versata toro jam membra quiescunt:
Continuò templum, & violati numinis aras,
Et (quod præcipuis mentem sudoribus urget,)
Te videt in somnis, tua sacra, & major imago
Humanâ, turbat pavidum, cogitque fateri.
Hi sunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,
Cùm tonat, exanimes primo quoque murmure cœli,
Non quasi fortuitu, nec ventorum rabie; sed
Iratus cadat in terras, & vindicet ignis.
Illa nihil nocuit, curâ graviore timetur
Proxima tempestas, velut hoc dilata sereno.
Præterea lateris vigili cum febre dolorem
Si cœpere pati, missum ad sua corpora morbum
Infesto credunt a numine; saxa Deorum

*asperas, ita rugas fronte contractâ ducit, ut si Falernum acre austerumque biberet. Si per noctem a curis ac metu respirare paulisper, & indulgere somno cœpit, post artus toto cubili diu multumque jactatos, confestim tetra somnia illi objiciunt templum in quo pejeravit, aras quarum numen violavit, quodque illum majori afficit terrore, te, quem spoliavit. Effigies tua, instar alicujus Numinis aut Furiæ, humanæ staturæ modum excedens, attonitum percellit, & ad crimen confitendum adigit. Ejusmodi sceleratos, simul ac tonitru quodpiam increpuit, aut fulgur emicuit, cohorrescere videas, exalbescere, metu exanimari, perinde quasi non casu aliquo, & ventorum vi nativâ, fulguraret, tonaretve, sed certo numinis irati consilio, & ultrice dextrâ immissum fulmen ipsorum capiti ingrueret. Quod si præsentem procellam effugiunt incolumes, proximam gravius reformidant, & quamvis cœlum videant serenum, dilatam ad breve tempus duntaxat tempestatem ac perniciem suam arbitrantur. Ad hæc si laborare febri occipiunt, si latus illis condoluit, his morbis ab irato Deo se plecti*

216. *Falerno.* Sat. IV, nota 135.

221. *Sacra.* Minitans, terribilis.

225. *Fortuitu.* Ex opinione Epicureorum, qui expunctâ divinâ providentiâ, casui & fortunæ omnia tribuebant.

Hæc & tela putant; pecudem ſpondere ſacello
Balantem, & Laribus criſtam promittere galli
Non audent: quid enim ſperare nocentibus ægris
Conceſſum? vel quæ non dignior hoſtia vitâ?
Mobilis, & varia eſt fermè natura malorum,
Cùm ſcelus admittunt, ſupereſt conſtantia: quid fas
Atque nefas, tandem incipiunt ſentire, peractis
Criminibus: tamen ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa & mutari neſcia. Nam quis
Peccandi finem poſuit ſibi? quando recepit
Ejectum ſemel attritâ de fronte ruborem?
Quiſnam hominum eſt, quem tu contentum videris uno
Flagitio? Dabit in laqueum veſtigia noſter
Perfidus, & nigri patietur carceris uncum,
Aut maris Ægei rupem, ſcopuloſque frequentes
Exſulibus magnis: pœnâ gaudebis amarâ

*putant, his tamquam ſaxis & telis peti: neque valetudinem a Superis deprecari audent votivâ, quam aris admoveant, ove, aut Diis Penatibus gallum immolandum promittere: quid enim ſperent ſcelerati ægrotantes? Quæ victima, quàm illi, dignior vitâ non eſt? Inconſtantiam improborum vide. Illis nihil eſt audacius ac deliberatius, cùm peccant; poſtquam peccarunt, tunc metu, pudore, pœnitentiâ perturbantur, & quid ſit virtutem inter ac vitium diſcriminis, agnoſcunt. Nihilominus ad eadem flagitia quæ condemnaverant, revolvuntur, naturæ quodam impetu inveteratam ſervantis conſuetudinem, & pravos mores dediſcere neſcientis. Quotus enim quiſque certos in peccando limites præſcripſit ſibi, quos ultra non progrederetur? Quis exutam ſemel verecundiam, induit rurſum, ac revocavit? Quis uno tantùm ſcelere contentus fuit? Perjurus ille amicus tuus, alio aliquo ſcelere implicatus, in eo deprehendetur, ac merito ſupplicio mactabitur. Vel abripietur in carcerem, vel in exſilium amandabitur, in ſcopulum Ægei maris aliquem ex iis ad quos famoſi exſules*

246. *Ægei.* Suprà nota 81. *Rupem ſcopuloſque.* Ad ſcopuloſas iſtas inſulas, in quibus exſulant inſignes rei bene multi, procul hinc deportabitur.

Nominis inviſi, tandemque fatebere lætus
Nec ſurdum, nec Tireſiam quemquam eſſe Deorum,

*deportantur. Illius cruciatum lætus adſpicies, ac tandem nullum inter Deos ſurdum & cœcum eſſe fateberis.*

249. *Tireſiam.* Tireſias, vates Thebanus, quem oculis orbatum ab irata Junone, Jupiter conceſsâ divinandi facultate, ſolatus eſt.

# SATIRA XIV.

*Quàm ſanctè pueri ſint educandi. Avaritiæ fœditas.*

PLURIMA ſunt, Fuſcine, & famâ digna ſiniſtrâ,
Et nitidis maculam ac rugam figentia rebus,
Quæ monſtrant ipſi pueris, traduntque parentes.
Si damnoſa ſenem juvat alea, ludit & heres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.
Nec de ſe melius cuiquam ſperare propinquo
Concedit juvenis, qui radere tubera terræ,
Boletum condire, & eodem jure natantes
Mergere ficedulas didicit, nebulone parente,

*Ex iis flagitiis, quæ ignominiam inurere mortalium vitæ ſolent, & eorum egregias dotes obſcurare, permulta diſcunt a parentibus liberi. Si pater quiſpiam ætate jam provectior, aleâ delectatur, eumdem ludum ejus filius, adhuc puerulus, ludit, & exiguâ turriculâ verſare talos amat. Adoleſcens qui doctus eſt a patre, helluone pervetuſto & emerito, boletis & tuberibus veſci, adhibere illis certum jus, coque pariter ficedulas condire, nullam profectò ſpem propinquis relinquit, fore ut aliquando tempe-*

5. *Bullatus.* Perſium vide Sat. V, nota 21.

*Eadem arma.* Talos, teſſeras.

*Fritillo.* Gall. *un cornet.*

7. *Tubera radere.* Accommoder des truffes.

8. *Boletum.* Gall. *champignon.*

*Jure.* Condimento, pulmento.

9. *Ficedulas.* Gall. *Becfigues.*

Et canâ monſtrante gulâ. Cùm ſeptimus annus
Tranſierit puero, nondum omni dente renato,
Barbatos licèt admoveas mille inde magiſtros,
Hinc totidem, cupiet lauto cœnare paratu
Semper, & a magna non degenerare culinâ.
Mitem animum, & mores modicis erroribus æquos
Præcipit, atque animas ſervorum, & corpora noſtrâ
Materiâ conſtare putat, paribuſque elementis?
An ſævire docet Rutilus, qui gaudet acerbo
Plagarum ſtrepitu, & nullam Sirena flagellis
Comparat, Antiphates trepidi laris, ac Polyphemus?

*rantiùs, quàm ſuus pater vivat. Vix annum ſeptimum attigerit, antequam omnes dentes, qui exciderant, ut fit, infantulo fuerint reparati, licèt illum erudiendum ſexcentis magiſtris ætate ac ſapientiâ ſpectatis tradas, nihilominus epulari ſplendidè & paterno more atque exemplo culinam ferculis exquiſitiſſimis refertam habere percupiet. Quæſo, te, an Rutilus, ille crudelis in ſervos herus, cujus aures murmur nullum, ac ne ipſarum quidem Sirenum vox, oblectat ſuaviùs, quàm verberum quibus famulos cædit, ſonitus: ille in ædibus ſuis Polyphemus aut Antiphates, qui tunc ſe beatum ac pulchrum putat, cùm alicui mancipio, propter unum, alterumve linteum furto ſurreptum, turpem ardenti ferro notam in fronte inurì per carnificem jubet: an Rutilus, inquam, docet liberos ſuos clementiam, & in levibus erratis benignè tolerandis*

11. *Renato.* Infantibus excidunt dentes anno ſeptimo, & eorum in locum alii ſuccreſcunt.

12. *Barbatos.* Sapientes, Philoſophos.

15. *Mores modicis erroribus æquos.* Horatius, Lib. I, Sat. III. *Nam vitiis nemo ſine naſcitur, optimus ille eſt, qui minimis urgetur.*

19. *Sirena.* Monſtra quædam Sirenes fuere, fœmineo vultu, alis & pedibus volucrum inſtructæ, ita quippe in veteribus nummis pictæ cernuntur. Dicebantur pellaci cantu vectores in ſcopulos pertrahere.

20. *Antiphates.* Rex Leſtrigonum in Italia, homines devorare ſolitus, ut fusè Homerus narrat Libro Odyſſeæ X.

*Laris.* Sat. VIII, nota 13.

*Polyphemus.* Sat. IX, nota 47. Virg. Lib. III Æn. 620.

Tum felix quoties aliquis tortore vocato
Uritur ardenti duo propter lintea ferro.
*Sic natura jubet: velociùs & citiùs nos*
*Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis*
*Cùm subeunt animos auctoribus.* Unus, & alter
Forsitan hæc spernant juvenes, quibus arte benignâ,
Et meliore luto finxit præcordia Titan;
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.
*Abstineas igitur damnandis:* hujus enim vel
Una potens ratio est, ne crimina nostra sequantur
Ex nobis geniti: quoniam dociles imitandis
Turpibus, ac pravis omnes sumus; & Catilinam
Quocumque in populo videas, quocumque sub axe:
Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus usquam.

*lenitatem, an severitatem potiùs & crudelitatem? an servorum animos ejusdem cum ceteris esse generis, artus illorum ex eodem ac nostros, luto fictos putat?* Ita natura comparatum est, ut exemplis domesticis faciliùs multò & celeriùs, quàm externis & peregrinis depravemur, præsertim cùm proficiscuntur ab hominibus, quorum auctoritas magni apud nos momenti est. *Reperientur fortasse nonnulli qui se exemplis ejusmodi corrumpi non sinant, quos e reliqua mortalium veluti massa secretos, Numinis benigni manus procliviores ad virtutem finxit; ceteri vestigia scelerum a parentibus impressa consectantur, & viam sæpe monstratam terunt.* Vide igitur ut vitia, quæ tam justis aliis de causis condemnari & vitari debent, ideirco maximè fugias; *ne filiis tuis peccandi præbeas ansam: siquidem ita nati sumus omnes, ut sponte flagitia imitemur, & Catilinas ubique gentium reperire sit, Brutos & Catones,*

27. *Titan.* Prometheus Japeti, unius e Titanibus, filius, hominum corpora e luto finxisse dicitur, & igne, quem e solis curru surripuerat, eadem animasse. Potest & *ipse sol* intelligi, qui *Titan* a Poëtis appellatur, quique ad corporum temperationem non parum confert. Vide Satiram VIII, nota 130.

29. *Orbita.* Propriè significat *sulcum* & *vestigium rotæ*, humi impressum a prætereunte curru.

33. *Catilinam.* Sat. II, nota 16. *Catilina*; VIII, versu 229, & Sat. X, versu 276.

34. *Quocumque sub axe.* Sub qualibet cœli parte.

35. *Brutus.* Sat. IV, nota 102.

Nil dictu fœdum, visuque hæc limina tangat:
Maxima debetur puero reverentia: si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos;
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.
Nam si quid dignum Censoris fecerit irâ,
Quandoque & similem tibi se non corpore tantùm,
Nec vultu dederit, morum quoque filius; & cùm
Omnia deteriùs tua per vestigia peccet,
Corripies nimirum, & castigabis acerbo
Clamore, ac post hæc tabulas mutare parabis.
Unde tibi frontem libertatemque parentis,
Cùm facias pejora senex, vacuumque cerebro
Jam pridem caput hoc ventosa cucurbita quærat?
Hospite venturo cessabit nemo tuorum:

*nusquam. In ea domo, in qua puer aliquis versatur, nihil audiatur obscœnum, nihil adspiciatur. Habenda est permagna puerilis ætatis ratio, & quasi reverentia, tuque, si quid improbè facere cogitas, noli teneram pueri ætatem spernere, immo libidini tuæ ac improbitati puritia filii frænos injiciat. Si enim aliquando ille admiserit quidpiam a Censore meritò castigandum, nec tui duntaxat oris lineamenta, sed morum etiam turpes notas expresserit, paternæ improbitatis heres & æmulus; cùm scelera tua fideliter imitatus, ea flagitiis suis adhuc pejoribus cumulaverit, illum scilicet reprehendes, severus pater, & verbis atrocibus increpabis, quin etiam hereditate spoliare constitues. Quâ tandem fronte redargues filium? unde tibi arrogabis illam paternæ objurgationis libertatem, cùm graviora pecces ipse jam ætate provectus, & caput tuum sanamentis expers, iis quibus curantur phrenetici, cucurbitulis indigeat? Cùm hospes aliquis te domi tuæ conventurus est,*

*Bruti avunculus.* Cato. Sat. II, nota 24, & Sat. XI, v. 89.

40. *Censoris.* Censores præerant moribus emendandis. Sat. II, nota 38 & nota 90; Sat. IX, nota 98.

47. *Vacuum cerebro.* Sapientiâ destitutum.

48. *Cucurbita.* Ut hîc sumitur est vitreum, corneum, aut æneum vas, instar minoris cucurbitæ (hunc fructum Galli vocant *une courge*, *une citrouille*) in quod ignis immittitur: tum admovetur cuti ad exprimendum sanguinem vitiosum: *une ventouse.* Ventosa hîc dicitur, *id est*, inanis, cava.

Verre pavimentum, nitidas ostende columnas,
Arida cum totâ descendat aranea telâ;
Hic lavet argentum, vasa aspera tergeat alter:
Vox domini fremit instantis, virgamque tenentis.
Ergo miser trepidas, ne stercore fœda canino
Atria displiceant oculis venientis amici,
Ne perfusa luto sit porticus; & tamen uno
Semodio scobis hæc emendat servulus unus.
Illud non agitas, ut sanctam filius omni
Adspiciat sine labe domum, vitioque carentem?
Gratum est, quod patriæ civem, populoque dedisti,
Si facis, ut patriæ sit idoneus, utilis agris,
Utilis & bellorum, & pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus instituas. Serpente Ciconia pullos
Nutrit, & inventâ per devia rura lacertâ:
Illi eadem sumptis quærunt animalia pennis.
Vultur jumento, & canibus, crucibusque relictis

*omnes tui famuli suos quisque partes agunt strenuè: instas acriter, imperasque huic ut pavimentum purget sordibus, illi ut columnas tergeat; tu araneas mihi istas dejice: tu argentea vasa fac laves; alius, poculis cælatis nitorem primum redde. Sic illos dictis ac verberibus etiam urges. Ergo infelix, sollicitus es ac vereris anxiè, ne quid fœdum domi tuæ amicus adspiciat; ne atrium canino stercore, porticus cœno inquinata sit, cùm tamen injectâ paulisper scobe huic malo mederi famulus unus possit: illud verò non curas, ut puram ab omni scelere domum tuam filius adspiciat! Sanè multùm tibi Roma debet ac respublica, quòd ei civem donaveris, quando filium in lucem edidisti: modò tamen efficias educatione probâ, ut reipublicæ sit utilis, ac vel colendis agris, vel tractandis togæ bellive artibus idoneus existat. Ad hanc rem porrò vim longè maximam habebit institutio domestica, & mores quos filio maturè instillabis. Implumes adhuc fœtus, anguibus alunt ac stellionibus Ciconiæ: illi, cùm e nido provolare cœperunt, eumdem cibum quæritant. Vultures abjecta*

57. *Semodio scobis.* Scobs, *la limaille.* Semodius, *un* vel scobis, *de la sciure, de demi-boisseau.*

Ad fœtus properat, partemque cadaveris affert:
Hinc est ergo cibus magni quoque vulturis, & se
Pascentis, propriâ cùm jam facit arbore nidos.
Sed leporem, aut capream, famulæ Jovis, & generosæ
In saltu venantur aves; tunc præda cubili
Ponitur: inde autem, cùm se matura levabit
Progenies stimulante fame, festinat ad illam
Quam primùm prædam rupto gustaverat ovo.
Ædificator erat Centronius, & modò curvo
Littore Caïetæ, summâ nunc Tiburis arce,
Nunc Prænestinis in montibus, alta parabat
Culmina villarum, Græcis, longéque petitis
Marmoribus, vincens Fortunæ, atque Herculis ædem.
Dum sic ergo habitat Centronius, imminuit rem,

*in agris equorum & canum, aut hominum suspensa e patibulis cadavera laniant, ac frusta pullis deportant in nidos: ubi ætas & vires accrevere vulturiis, & jam per se nidos exstruunt, eâdem escâ nutriuntur. At Jovis ministræ alites, & aliæ nobiliores, venationem per nemora exercent, leporesque aut capreas excipiunt, quas inferunt nidis, e quibus cùm evolavit generosa soboles, famem illâ ipsâ dape sedat, quam initio sumpsit, cùm ex ovo excluſa est. Lautas domos ædificare Centronius amabat, nunc in Cajetano littore, nunc in collibus Tiburtinis aut in Prænestinis, villas exstruebat elegantes, quas accersito e Græcia & longinquis oris marmore, sic ornabat ut magnificentiam templorum Herculis Fortunæque superaret. Hâc arte Centronius opes dilapidavit, quarum tamen pars adhuc*

77. *Caïetæ.* Urbs est Italiæ, in littore maris Tyrrheni. Virgil. Lib. VII Æn. v. 2.

*Tiburis.* Sat. III, not. 177. *Tiburis.*

78. *Prænestinis.* Præneste urbs Latii, nunc *Palestrina.* Narrat Gellius, Lib. 16, c. 13, efflagitantibus Prænestinis, e colonia factum municipium a Tiberio Imperatore.

79. *Græcis.* Plin. Lib. 36, cap. 7, *Pretiosi quidem generis*, inquit, *marmor extitit Lacedæmonium viride, cunctisque hilarius.*

*Longè petitis.* Ex Ægypto, Numidia, &c.

Fregit opes, nec parva tamen mensura relictæ
Partis erat; totam hanc turbavit filius amens,
Dum meliore novas attollit marmore villas.
Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
Nil præter nubes, & cœli numen adorant,
Nec distare putant humanâ carne suillam:
Romanas autem soliti contemnere leges,
Judaïcum ediscunt, & servant, ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moses.
Sed pater in causa, cui septima quæque fuit lux
Ignava, & partem vitæ non attigit ullam.
Sponte tamen juvenes imitantur cetera, solam
Inviti quoque avaritiam exercere jubentur.

*non adspernanda superat; hanc ejus filius totam perdidit, dum insanâ pariter ædificandi captus libidine, villas præstantiori marmore sumptuosas erigit. Nonnulli cultorem sabbati Judaïci patrem nacti, nubes & cœli numen unicè venerantur, neque discrimen ullum inter humanam carnem & porcinam statuunt, cùm perinde ab edenda utraque abstineant: iidem Romanorum legum contemptores, instituta & jura, Judæis a Mose in sacris tradita voluminibus, memoriæ diligenter mandant, ac summâ religione custodiunt. Causam si quæras, ea scilicet est, quòd ipsorum pater eâdem infectus religione, septimam diem cujuslibet hebdomadæ, feriatus transigeret in otio, & ab omnibus communis vitæ officiis abstineret. Ceterùm etsi vitia omnia ultro adolescentes & libenter a parentibus hauriant imitando, avaritiam inviti & ægrè condiscunt.* Ad hanc verò

85. *Sabbata.* Erat dies hebdomadæ septima Judæis præcipuè festa. Quâ die nefas illis erat operis quidquam facere, &c. Sat. VI, n. 110.

86. *Nubes.* Ut unum Deum, cœli terræque opificem, colere se Judæi significarent, nubes, *id est*, cœlum sæpe intuebantur, præsertim cùm orarent.

87. *Suillam.* Porco non vescebantur Judæi; quia immundum est animal: sic docebantur omnem obscœnitatem fugere, & ad cœlestia se se erigere. Levitici, cap. XI.

90. *Arcano volumine.* Tota lex Judaïca & religio continebatur præsertim quinque Libris a Mose conscriptis, Pentateuchum, vulgò vocant. Ea porro volumina non evulgabant Judæi.

94. *Inviti.* Quia juvenes naturâ liberales & prodigi sunt.

*Fallit enim vitium ſpecie virtutis, & umbrâ;* 95
*Cùm ſit triſte habitu, vultuque, & veſte ſeverum.*
Nec dubiè, tamquam frugi, laudatur avarus,
Tamquam parcus homo, & rerum tutela ſuarum
Certa magis, quàm ſi fortunas ſervet eaſdem
Heſperidum ſerpens, aut Ponticus. Adde quod 100
hunc de
Quo loquor, egregium populus putat, atque
verendum
Artificem; quippe his creſcunt patrimonia fabris.
Sed creſcunt quocumque modo, majoraque fiunt
Incude aſſiduâ, ſemperque ardente camino.
Et pater ergo animi felices credit avaros, 105
Qui miratur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis eſſe putat: juvenes hortatur, ut illam
Ire viam pergant, & eidem incumbere ſectæ.

a parentibus eò diligentiùs exercentur, quòd ſpeciem ac vultum virtutis illa præ ſe ferat, & auſteritate quâdam ac ſeveritate ſe commendet. *Sanè laudant homines avarum, ut virum probum, frugalem, parcum, qui fortunas ſuas tutetur ac ſervet meliùs, quàm ſi eas cuſtodiret ille pervigil draco, qui poma Heſperidum, aut alter, qui aureum vellus cuſtodiebat. Præterea ſtrenuus idem a populo exiſtimatur, & ingenioſus; ac rei bene gerendæ peritus, quippe qui matrimonium amplificet arte multâ, quæcumque demum illa ſit, & aſſiduo labore, indefeſſâ curâ, inſtar opificum qui ferrum igne multo molliunt, atque impoſitum incudi fingunt, rem domeſticam in dies faciat auctiorem. Pater igitur hâc præclarâ de avaris opinione imbutus, qui nihil æquè ac divitias ſuſpicit, qui nullum exſtitiſſe pauperem umquam putat eumdemque felicem, filios adhortatur ſedulò ut eamdem inſiſtant viam & præclaram hanc ſectam complectantur. Quemadmodum autem in omnibus vitiis, perinde atque in artibus, rudimenta ſunt nonnulla, in quibus ponendum eſt tirocinium & unde eſt auſpicandum, dat operam avarus pater, ut liberi avaritiæ minima documenta ma-*

100. *Heſperidum.* Sat. V, nota 152.

*Ponticus.* Jaſon cum Argonautis navigavit in Colchidem, quæ eſt Aſiæ regio propè Pontum, ut inde vellus aureum auferret. Illud ſervabat immanis draco, quem ope Medeæ ſopivit. Ovid. Lib. VII Metamorph.

108. *Sectæ.* Profeſſioni, diſciplinæ, inſtituto vitæ.

Sunt quædam vitiorum elementa, his protinus illos
Imbuit, & cogit minimas ediscere sordes:
Mox acquirendi docet insatiabile votum.
Servorum ventres modio castigat iniquo,
Ipse quoque esuriens, neque enim omnia sustinet umquam
Mucida cærulei panis consumere frusta,
Hesternum solitus medio servare minutal
Septembri, necnon differre in tempora cœnæ
Alterius, conchem æstivi cum parte lacerti
Signatam, vel dimidio, putrique siluro;
Filaque sectivi numerata includere porri.
Invitatus ad hæc aliquis de ponte negabit.

*turè percipiant. Tradit illis omnes modos conficiendi ex re qualibet, vel tenuissima, lucri sordidi; post paulò excitat in eorumdem animis inexsaturabilem habendi cupiditatem. Servos justi demensi & annonæ parte defraudat, triticum ipsis, minore quàm æquum est, modio admetiens, sic illos immeritâ cruciat fame, quâ se ipse quoque macerat; neque enim adigi potest umquam, ut omnia frustula rancidi panis comedat; pulmentum e cibis minutatim concisis pridie paratum ac delibatum, medio mense Septembri, servare solet in sequentem diem: fabarum cum suo cortarum putamine, item siluri lacertive jam putentis, partes, unâ cœnâ relictas reponit in alteram cœnam, eaque omnia diligenter sigillo suo munita condit, cum filis porri sectilis, quorum numerum accuratè recenset. Quis rogator in pontibus mendicare solitus, ad ejusmodi vocatus opsonia, ve-*

110. *Sordes.* Omnes technas & astus sordidæ avaritiæ.

112. *Modio.* Certam mensuram tritici, certos mensibus singulis modios a dominis accipiebant servi, vulgò quaternos.

114. *Cærulei.* Est color iste mucidi panis.

115. *Minutal.* Cibum minutatim concisum, *un hachis, un pâté en pot.*

116. *Septembri.* Qui mensis in Italia est calidior. Opsonia æstu corrumpuntur.

117. *Conchem.* Sat. III, nota 278.

*Æstivi lacerti.* Æstivo calore facilè putrescentis. Pisciculus est: eximius capiebatur propè Sexitaniam, urbem Hispaniæ Bæticæ. Plin. Lib. 32, cap. XI.

118. *Siluro.* Siluri fluviatiles pariter ac marini pisces: sunt in Nilo frequentes.

120. *De ponte.* In pontibus vulgò mendici consistunt,

Sed quò divitias hæc per tormenta coactas ?
Cùm furor haud dubius, cùm sit manifesta phrenesis ;
Ut locuples moriaris, egenti vivere fato ?
Interea pleno cùm turget sacculus ore,
*Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit,* 125
*Et minus hanc optat, qui non habet.* Ergo paratur
Altera villa tibi, cùm rus non sufficit unum ;
Et proferre libet fines, majorque videtur,
Et melior vicina seges : mercaris & hanc, &
Arbusta, & densâ montem qui canet olivâ. 130
Quorum si pretio dominus non vincitur ullo,
Nocte boves macri, lassoque famelica collo
Armenta, ad virides hujus mittuntur aristas ;
Nec prius inde domum, quàm tota novalia sævos
In ventres abeant, ut credas falcibus actum. 135
Dicere vix possis, quàm multi talia plorent,

*nire non recusaret ? Quid hominem quæso, juvare possunt collectæ tot ærumnis opes ? Nonne hunc furere ac phrenesi dira laborare perspicuum est, qui, ut dives moriatur, mendici more vivit ? Interim, etsi crumena nummis distenta vix eos capiat*, nihilominus divitiarum insana cupiditas, cum ipsis divitiis augetur, adeò, ut qui penitùs illis caret, leviùs eadem desideret. *Itaque cùm tibi villa una satis non sit, alteram mercaris, placet agri tui limites extendere : vicini arvum & majus & feracius videtur : illud emis cum amœna sylvula & monte oleis albicante. Quod si compelli nequit arvi dominus pecuniâ oblatâ quantacumque, ut illud vendat, gregem boum macilentum & enectum fame, in segetes illius, tum primùm humo emersas, immittis noctu, nec priùs reducis domum, quàm herba omnis ac spes messis futuræ a famelicis armentis depasta & attrita fuerit, perinde quasi falcibus fuisset succisa. Vix dici potest, quàm multi suas segetes ita deperditas lamenten-*

ubi turba major hominum commeantium.

121. *Sed quò, &c.* Quò pertinent, quid profunt ?

130. *Canet.* A verbo *caneo*, pro quo frequentiùs usurpatur *canesco*.

134. *Novalia.* Novale arvum dicitur *quod alternis annis novatur*, seu *conseritur : quod uno anno sementem accipit, altero quiescit.*

Et quot venales injuria fecerit agros.
Sed qui sermones? quàm fœdæ buccina famæ?
Quid nocet hoc? inquit. Tunicam mihi malo lupini,
Quàm si me toto laudet vicinia pago,
Exigui ruris pauciſſima farra ſecantem.
Scilicet & morbis, & debilitate carebis,
Et luctum, & curam effugies, & tempora vitæ
Longa tibi poſt hæc fato meliore dabuntur;
Si tantùm culti ſolus poſſederis agri,
Quantùm ſub Tatio populus Romanus arabat.
Mox etiam fractis ætate, ac Punica paſſis
Prælia, vel Pyrrhum immanem, gladioſque Moloſſos,

*tur, quàm multi per iſtam injuriam & improbitatem ſuos agros divendere ſint coacti. Age verò quis hominum eſt ſermo, quàm palàm, quàm malè apud omnes avarus audit? Quid hoc mihi tandem obeſt, inquit? Malo leguminis viliſſimi ſiliquam habere, quàm laudari ab integra vicinia, ſi parum interim frumenti ex agello anguſto colligam. Nempe id aſſequêris, opinor, tuis illis opibus, ut morbos, infirmam valetudinem, curas & mœrorem propulſes? Ut vitâ longiore perfruaris, ſi agri opimi limites tantos habueris ſolus, quantos integer populus Romanus obtinebat, cùm Tatius Sabinis imperitaret? Certè auctâ ſubinde republicâ poſt bella cum Carthaginienſibus, cum Pyrrho, Moloſſiſque geſta, militibus Romanis pro multis vulneri-*

139. *Lupini.* Legumen plebeium, *Lupin.*

142. *Scilicet & morbis, &c.* Hæc ironicè Poëta in avarum: ſcilicet cùm pecunia abundabis, habebis omne bonum, nec te ulla ægritudo impugnabit, arcebis etiam mortem, aut ſaltem ævum produces.

146. *Tatio.* Rex fuit Sabinorum eo tempore, quo Romæ imperitabat Romulus.

147. *Punica.* Bella Punica tria memorantur. Primum inchoatum eſt anno urbis 489, & a Q. Lutatio Catulo confectum; ſecundum anno 536 cœptum, poſt annos 17, ab Africano majore abſolutum fuit; tertium anno 605 redintegratum, a Scipione Africano minore, ſive Æmiliano peractum. Flor. Lib. II, c. 2, 6. 15.

148. *Pyrrhum.* Regem Epiri, quæ pars eſt Græciæ, ſpectans Italiam.

*Moloſſia.* Eſt Epiro vicina.

Tandem pro multis vix jugera bina dabantur
Vulneribus : merces ea sanguinis, atque laboris
Nullis visa umquam meritis minor, aut ingratæ
Curta fides patriæ : saturabat glebula talis
Patrem ipsum, turbamque casæ, quâ fœta jacebat
Uxor, & infantes ludebant quattuor, unus
Vernula, tres domini : sed magnis fratribus horum
A scrobe vel succo redeuntibus, altera cœna
Amplior, & grandes fumabant pultibus ollæ.
Nunc modus hic agri nostro non sufficit horto.
Inde ferè scelerum causæ, nec plura venena
Miscuit ; aut ferro grassatur sæpius ullum
Humanæ mentis vitium, quàm sæva cupido
Indomiti censûs : nam dives qui fieri vult,
Et citò vult fieri. Sed quæ reverentia legum ?
Quis metus, aut pudor est umquam properantis avari ?
Vivite contenti casulis, & collibus istis,
O pueri, Marsus dicebat, & Hernicus olim,

*bus acceptis, vix duo jugera donabantur. Hanc sudoris multi cruorisque in bello fusi mercedem nemo umquam meritis suis inferiorem putavit, aut ingratam idcirco patriam, ac minùs fidelem, liberalemque est arbitratus. Agellus ejusmodi patrem alebat, cum tota familia, in qua erat uxor prægnans, infantes quatuor ; tres nempe filii familiàs & unus servulus domi natus. Sed illorum fratribus, cùm redirent ab agro, ubi vel humum araverant vel scrobes effoderant, major quædam cœna instruebatur, in qua scilicet pultes largiter apponebantur. Nunc jugera duo, quibus veterum agri definiebantur, nostris hortis non sufficiunt. Ex hac nimirum habendi cupiditate omnia fermè flagitia proficiscuntur, neque ullo vitio sæpius aut ad venena propinanda, aut ad stringendum ferrum excitantur mortales, quàm avaritiâ. Qui enim ditescere cupit, voti compos fieri citò cupit ; qui verò ita comparatus est, qui semper in augenda re festinat, an ille tandem leges reverebitur ? An pudor eum vel metus in officio continebit ? O filii contenti estote istis mapalibus atque agellis (sic olim suos liberos Marsi patres, Hernici aut Vestini com-*

152. *Curta.* Manca, mutila.

166. *Marsus.* Populus antiquæ Italiæ. Marsi, Salino

Veſtinuſque ſenex; panem quæramus aratro,
Qui ſatis eſt menſis: laudant hoc numina ruris,
Quorum ope & auxilio, gratæ poſt munus ariſtæ,
Contingunt homini veteris faſtidia quercûs.
Nil vetitum feciſſe volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi, qui ſummovet Euros
Pellibus inverſis: peregrina, ignotaque nobis
Ad ſcelus atque nefas, quodcumque eſt, purpura ducit.
Hæc illi veteres præcepta minoribus: at nunc
Poſt finem autumni mediâ de nocte ſupinum
Clamoſus juvenem pater excitat: Accipe ceras,
Scribe puer, vigila, cauſas age, perlege rubras
Majorum leges, aut vitem poſce libello.

*pellabant*) *humo colenda & exercenda paremus panem qui ſatis ad victum eſt: laudant iſtam frugalitatem ruſtici Dii; per quos dato frumento abjectæ ſunt glandes, quibus pridem homines alebantur. Nihil ſceleris ille admittet, qui perones per brumam libenter induet; qui frigus arcebit ovium pellibus, earum villoſa parte corpori admota. Luxus & pompa veſtium, ex ignota pridem nobis & arceſſita longè purpura confectarum, omnia flagitia in mores invexit. Sic majores noſtri ſuos liberos inſtituebant, his illos præceptis formabant, ac nunc, autumno jam exeunte, nocte intempeſtâ, dormientem placidè filium pater his verbis objurgat, jubetque ſurgere: Sume, inquit, libros, ſomnum excute, in ſcribendum incumbe, ad cauſas defendendas te compara, legum a majoribus traditarum codices evolve;*

teſte, a Marſo Circes filio ſunt dicti: hodie *ducato di Marſi.*

*Hernicus.* Latii fuit populus, vetus Pelaſgorum colonia, a Duce Hernico nuncupatus.

172. *Perone.* Gall. *des guêtres.*

173. *Peregrina.* Tyria, Laconica.

*Ignota nobis.* Quia Romæ non conficitur.

176. *Poſt finem autumni.* Tunc maximè ſtudiis operam dabant, cùm agrorum amœnitas defloruit, nocteſque ſunt longiores. *Vel ſenſus eſt:* Autumno exeunte, ſæviente frigore, non parcit filio pater, jubet ſurgere.

177. *Ceras.* Scribebant in ligneis tabellis cerâ obductis.

178. *Rubras leges.* Quarum tituli & primores litteræ minio, ſeu rubricâ ſunt ſcriptæ.

179 *Vitem.* Vitis, ſive ſcipio e ſarmento, erat in-

Sed caput intactum buxo, narefque piloſas
Adnoret, & grandes miretur Lælius alas.
Dirue Mororum attegias, caſtella Brigantum,
Ut locupletem aquilam tibi ſexageſimus annus
Afferat: aut longos caſtrorum ferre labores
Si piget, & trepido ſolvunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita; pares, quod vendere poſſis
Pluris dimidio: nec te faſtidia mercis
Ullius ſubeant ablegandæ Tyberim ultra:
Nec credas ponendum aliquid diſcriminis inter
Unguenta & corium: lucri bonus eſt odor ex re

*aut Centurionis munus & inſignia ſupplici libello ab Imperatore poſtula. Sed fac ut Lælius, Dux exercitûs impexos tibi & hiſpidos eſſe crines, nares pilis hirſutas, & lacertos ingentes lætus animadvertat. Everte Maurorum vicos, arces Anglorum exſcinde, ut cùm ætatis annum ſexageſimum attigeris, ſigniferi munus in aliqua legione obtineas, unde magnas opes denique conſequaris. Quod ſi ferendo militiæ labori diuturno par non es, ſi tubarum clangor tibi metum, quo reſolvatur alvus, afferat, mercaturam exerce, compara quod vendas pluris dimidio quàm emeris, neque faſtidias olidas quaſdam merces, quæ trans Tiberim deportandæ ſint, aut putes differentiam aliquam inter unguenta ſuaviſſima, & fœtidas pelles eſſe ſtatuendam: bene olet quidquid id eſt, unde aliquid auferri po-*

ſigne Centurionum. Sat. VIII, nota 245.

181. *Alas.* Axillas; ſive ſummas brachiorum partes, introrſum junctas pectori, quæ ſi pilis grandioribus abundant, robuſtam corporis conſtitutionem oſtendunt, uti & piloſæ nares.

182. *Brigantum.* Brigantes, populi quidam Angliæ.

183. *Aquilam.* Vexillum Romanorum erat pertica, in cujus ſummo erat aquila inaurata expanſis alis; infra circulus laureæ coronæ effigiem referens; denique pannus brevis, litteras inſcriptas gerens, S. P. Q. R. Senatus, populuſque Romanus.

185. *Cornua.* Hoc diſcrepant a lituis, quòd litui leviter in ſummo ſint incurvi, recti cetera & oblongi; cornua, tota ſint incurva & retorta.

188. *Tiberim ultra.* In Transberina regione verſabantur viliores opifices, qui verbi gratiâ, pelles animalibus dereptas lavabant, &c. *des tanneurs.*

190. *Lucri bonus, &c.* Veſpaſianus hoc ipſum reſpon-

Qualibet. Illa tuo ſententia ſemper in ore
Verſetur, Diis, atque ipſo Jove digna, poëtæ:
*Unde habeas quærit nemo, ſed oportet habere.*
Hoc monſtrant vetulæ pueris poſcentibus aſſem.
Hoc diſcunt omnes ante alpha, & beta puellæ.
Talibus inſtantem monitis quemcumque parentem
Sic poſſem affari: Dic, o vaniſſime, quis te
Feſtinare jubet? Meliorem præſto magiſtro
Diſcipulum. Securus abi, vincêris, ut Ajax
Præteriit Telamonem, ut Pelea vicit Achilles.
Parcendum eſt teneris, nondum implevere medullas
Nativæ mala nequitiæ: cùm pectere barbam
Cœperit, & longi mucronem admittere cultri,
Falſus erit teſtis, vendet perjuria ſummâ

*teſt lucri. Hunc Ennii verſiculum, dignum certè Superis auctoribus & ipſo Jove, ſemper uſurpa:* Unde habeas quærit nemo, ſed oportet habere. *Hanc præclaram ſententiam docent matronæ pueros, qui ab ipſis aliquid pecuniolæ ad emenda crepundia rogitant: eamdem puellæ omnes perdiſcunt, antequam prima litterarum appellare norint elementa. Ego verò patrem quemlibet egregia hæc præcepta filio ſuo inculcantem ſic libenter alloquerer: Agedum, homo inconſultiſſime, cur ita properas filium ad avaritiam inſtituere? Spondeo fore, ut brevi diſcipulus magiſtrum ſuperet; confide, nequior patre filius erit, ac in omni avaritiæ artificio callidior, ut fuit Ajax Telamone patre ſuo fortior, Achilles Peleo. Nunc ſanè tenerior ejus eſt ætas, necdum opportuna & par illis robuſtioris avaritiæ facinoribus: exſpecta pauliſper dum accreverit, cùm tondere cœperit barbam, falſum dicet teſtimonium, venalem ad perjuria quælibet linguam minimo pretio addicet, nec Ce-*

dit filio Tito, improbanti vectigal impoſitum urinæ, quâ in tingenda purpura fullones uti ſolent.

192. *Poëtæ.* Ennii ſcilicet, qui quidem ironicè iſtam ſententiam pronuntiavit: *Unde habeas, &c.*

199. *Ajax.* Sat. VII. Telamonis filius, inter bellatores Græcos inſignis.

200. *Pelea.* Græcus eſt accuſandi caſus; pro *Peleum*, Achillis patrem.

*Achilles.* Sat. I, nota 148.

203. *Longi cultri.* Novaculæ.

Exiguâ, Cereris tangens aramque pedemque.
Elatam jam crede nurum, si limina vestra
Mortiferâ cum dote subit: quibus illa premetur
Per somnum digitis! Nam quæ terraque, marique
Acquirenda putes, brevior via conferet illi.
Nullus enim magni sceleris labor. Hæc ego numquam
Mandavi, dices olim, nec talia suasi:
Mentis causa malæ tamen est, & origo penes te.
Nam quisquis magni censûs præcepit amorem,
Et lævo monitu pueros producit avaros,
Et qui per fraudes patrimonia conduplicare
Dat libertatem, totas effundit habenas
Curriculo; quem si revoces subsistere nescit,
Et te contempto rapitur, metisque relictis.
Nemo satis credit tantùm delinquere, quantùm
Permittas, adeo indulgent sibi latius ipsi.

*reris aram ac statuam inter pejerandum tangere dubitabit. Jam exploratum habe funus tuæ nurûs, si domum illa vestram ingreditur cum grandi dote, ob quam ipsi mortem filius tuus afferet. Ut ille non cunctanter ac timidè fauces uxori dormienti elidet! Quas enim opes terrâ & mari conquirendas arbitraris, eas ipse compendio ac perfacili via comparabit. Maxima quippe scelera nullo negotio perpetrantur. Olim tu quidem dices te numquam hæc illi præcepisse, numquam ad hæc flagitia hortatum esse. Quod etsi fatear, tamen illud mihi concedas necesse est, vitiosam ejus indolem non ab alio, quàm abs te profectam fuisse. Nam quicumque magnarum opum cupiditatem teneris adolescentium animis instillat, qui sinistris monitis sensim illos ad avaritiam perducit, qui vias monstrat amplificandæ malis artibus rei familiaris, ille similiter facit ac si habenas currui liberas laxaret; is enim cùm semel præceps ferri, & ab equis rapi cœptus est, cohiberi nequit, atque aurigâ spreto, metas longissimè transilit. Parum sibi esse putant homines tantùm peccare, quantùm ipsis permittitur. Adeo abutuntur datâ sibi facultate, & ultra præscriptos termi-*

205. *Cereris.* Per Ceremem jurare sanctum præsertim apud Romanos erat. Sat. VI, nota 44; XV, v. 141.

*Pedemque.* Statuæ pedes, & basim.

214. *Producit.* Educat, effingit.

Cùm dicis juveni ſtultum, qui donet amico,
Qui paupertatem levet, attollatque propinqui;
Et ſpoliare doces, & circumſcribere, & omni
Crimine divitias acquirere; quarum amor in te eſt,
Quantus erat patriæ Deciorum in pectore, quantum
Dilexit Thebas, ſi Græcia vera, Menœceus;
In quarum ſulcis legiones dentibus anguis
Cum clypeis naſcuntur, & horrida bella capeſſunt
Continuò, tamquam & tubicen ſurrexerit unà.
Ergo ignem, cujus ſcintillas ipſe dediſti,
Flagrantem latè, & rapientem cuncta videbis.
Nec tibi parcetur miſero, trepidumque magiſtrum
In cavea magno fremitu leo tollet alumnus.

*nos evagantur. Cùm ex te audit puer, illum inſanire qui amico egenti aliquid largiatur; qui affinem inopiâ laborantem ſublevet; cùm, inquam, hoc dicis filio adoleſcenti, tunc inſpiras illi mentem alios ſpoliandi, decipiendi, opes per fas nefaſque comparandi, quarum opum amore tanto flagras, quanto proſequuti ſunt patriam Decii, quanto, ſi vera ſcriptores Græci narrant, Menœceus Thebanam urbem, cujus in agro e ſeminatis a Cadmo draconis dentibus dicuntur legiones olim, inſtructæ armis, ſubitò emicuiſſe, & pugnam inter ſe ſe, quaſi ſigno per tubicinem dato, commiſiſſe. Sed ut ad te redeam, ignem illum quem primus excitaſti, flammas latè ſpargentem cernes, & cuncta incendio lugubri devaſtantem: videbis leonem quem aluiſti, ſævire in obvios quoſlibet, ac ne magiſtro quidem ſuo parcere, ſed meritam mortem tibi per impium furorem in cavea ſua conſciſcere. Norunt ſanè aſtrologi quot ad viven-*

223. *Circumſcribere.* Per fraudem circumvenire, fallere.

225. *Deciorum.* Sat. VIII, nota 252.

226. *Thebas.* Sat. XIII, nota 27.

*Menœceus.* Thebanus princeps e ſtirpe Cadmi ultimus qui, cùm fuiſſet reſponſum ab oraculo, Thebarum quas Argivi premebant, obſidionem ſolutum iri, ſi ipſe oppeteret, ultro morti ſe devovit.

227. *In quarum, &c.* Cadmum aiunt cùm Thebas conderet, feviſſe dentes draconis a ſe occiſi: ex illis natos repentè milites, qui ſe mutuis vulneribus confecerunt. Ovid. Lib. IV Metamorph.

233. *Cavea.* Locus erat,

Nota mathematicis geneſis tua: ſed grave tardas
Exſpectare colos: morieris ſtamine nondum
Abrupto. Jam nunc obſtas, & vota moraris;
Jam torquet juvenem longa & cervina ſenectus.
Ocyus Archigenem quære, atque eme, quod Mithridates
Compoſuit, ſi vis aliam decerpere ficum,
Atque alias tractare roſas: medicamen habendum eſt,
Sorbere ante cibum quod debeat & pater, & Rex.
Monſtro voluptatem egregiam, cui nulla theatra,
Nulla æquare queas Prætoris, pulpita lauti,
Si ſpectas quanto capitis diſcrimine conſtent
Incrementa domus, æratâ multus in arcâ
Fiſcus, & ad vigilem ponendi Caſtora nummi,

*dum annos hora tua natalis tibi adpromittat, ſed filio tuo permoleſtum eſt exſpectare dum Parcæ tam diuturnum vitæ tuæ ſtamen abſolvant: antequam Lacheſis fatale filum reſecuerit, mortem oppetes. Negotium jam nunc juveni faceſſis, & hereditatem paternam ſpe votiſque devoranti, moram longiorem affers. Diſcruciat illum hæc tua tam longa, tam ſimilis cervinæ, ſenectus: itaque auctor tibi ſum, ut medicum conſulas, & emas antidotum, a Mithridate compoſitum, ſi alterius autumni ficus deguſtare, aut veris alterius roſas intueri velis. Ut Regi a ſubditis, ſic patri a filiis metuenti, comparandum eſt medicamentum, quod ſumat antequam capiat cibum, & quo ſe contra venena tueatur. Quod ſi quis inſpicere vitam avarorum ſtudeat, ac ſpectet quantis laboribus & ærumnis rem familiarem augeant, nummoſque coacervent, in templo Caſtoris cuſto-*

ubi feræ, in amphitheatrum producendæ, alebantur.

234. *Geneſis.* Horoſcopus: natalia ſydera.

237. *Cervina.* Cervi ad multos annos vitam producunt.

238. *Archigenem.* Celebrem tunc medicum. *Mithridates.* Sat. VI, nota 513.

243. *Prætoris.* Præerat edendis ludis, uti dictum Sat. I, nota 61.

*Pulpita.* Erant loca editiora & ſuggeſta quædam in theatro, unde ludi commodius propiúſque ſpectabantur.

246. *Fiſcus.* Pro *theſauro*

Ex quo Mars ultor galeam quoque perdidit, & res
Non potuit ſervare ſuas. Ergo omnia Floræ,
Et Cereris licet, & Cybeles aulæa relinquas;
Tantò majores humana negotia ludi.
An magis oblectant animum jactata petauro
Corpora? quique ſolent rectum deſcendere funem?
Quàm tu, Coryciâ ſemper qui puppe moraris,
Atque habitas, Coro ſemper tollendus & Auſtro?

*diendos, ex eo ſcilicet tempore, quo a furibus ablatæ ſunt pecuniæ depoſitæ in templo Martis ultoris, qui ab iiſdem latronibus galeâ quoque ſuâ ſpoliatus eſt, ac ſuas ipſe res amiſit: ſi quis, inquam, ærumnas avarorum ſpectet, næ ille voluptatem ex eo ſpectaculo percipiet majorem illâ, quæ colligitur e ſpectaculis ſive ſcenicis, ſive Circenſibus, a Prætore vel ditiſſimo editis. Nec dubito quin eam ludis omnibus Floræ, Cereris, Cybeles facilè anteponat; ita ſe res habet, humanæ occupationes, maximè avarorum, ludus & ſpectaculum ſunt reliquis ſpectaculis multò jucundius. Et verò an voluptate liquidiori perfundit animum funambulus, agile corpus per petaurum tranſmittens, aut per funem rectum devolans, quàm tu, infelix avare, qui perpetuò in navi tamquam in addicta tibi domo, verſaris, ventis & naufragiis ſemper obnoxius, ut quaſdam odoris gra-*

hic ſumitur. Aliam ſignificationem vide Sat. IV, n. 54.

*Caſtora.* Sat. XIII, nota 152.

247. *Mars ultor.* Erat Romæ templum Martis, ultoris, ab Auguſto ædificatum: ibi ſervabantur divitum arcæ; verùm cùm furto ſublatæ fuiſſent, cœptæ ſunt aſſervari in templo Caſtoris, appoſitique vigiles & excubiæ.

248. *Floræ.* Meretrix quædam fuit, quæ cùm populum Romanum heredem reliquiſſet, ab eo inter Deas relata & ludi ejus in honorem inſtituti, dictique Floralia, ut Cereris Cerealia; Cybeles, Megalefia.

249. *Cybeles.* Sat. II, nota 86.

*Aulæa.* Ornamenta ſcenæ, ac decora.

251. *Petauro.* Petaurum, rota quædam erat, vel machina, ſublimè poſita, per cujus anguſtos meatus ac circulos arte mira corpus tranſmittebant.

253. *Corycia.* Corycus erat urbs & mons Ciliciæ, in Aſia minori, unde crocus deveherebatur.

254. *Coro.* Corus ventus eſt procelloſus, ab occaſu flans.

Perditus,

Perditus, ac vilis sacci mercator olentis: 255
Qui gaudes pingue antiquæ de littore Cretæ
Passum, & municipes Jovis advexisse lagenas?
Hic tamen ancipiti figens vestigia plantâ
Victum illâ mercede parat, brumamque famemque
Illa reste cavet; tu propter mille talenta, 260
Et centum villas temerarius. Adspice portus,
Et plenum magnis trabibus mare. Plus hominum est jam
In pelago; veniet classis quocumque vocarit
Spes lucri, nec Carpathium, Gætulaque tantùm
Æquora transiliet; sed longè Calpe relictâ; 265

*vioris merces e Cilicia, aut e Creta liquorem ex uvis ad solem arefactis expressum, & vinum in eodem quasi municipio, quo Jupiter, natum, Romam devehas? Ille tamen funambulus, qui per extensum funem trepidanti ac lubrico incedit gressu, hâc arte vitam tolerat, hâc frigus & famem depellit; tu tantis periculis ac laboribus temerè caput objicis, ut mille compares talenta, ut centum villas numeres. Contemplare portus, & refertum majoribus navigiis æquor, plures jam videbis homines in mari, quàm in ipsa terra. Ruunt per fluctus procellosos numerosæ classes ubicumque lucri faciendi spes affulsit; neque tantùm Carpathium aut Africanum pervolant mare, sed trans Gadita-*

256. *Cretæ.* Creta, *Candie*, celebris insula, contra Græciam, Jovis patria.

257. *Passum.* Liquor est ex uvis ad solem arefactis expressus.

*Municipes Jovis.* Ex eodem quo Jupiter solo & veluti municipio oriundas.

260. *Tu propter, &c.* Ille funambulus fame ac necessitate coactus, artem exercet periculosam; tu magna sponte subis pericula, ut nummos plurimos, villas, & alia id genus compares, quibus carere facilè potes.

*Mille talenta.* Gall. *d'immenses richesses.*

264. *Carpathium.* Ab insula Carpatho dictum, propè Rhodum, hodie *Scarpanto.*

*Gætula.* Gætulia, pars Africæ, ad mare Mediterraneum.

265. *Calpe.* Calpe & Abila duo sunt montes, hic in Mauritania, ille in Hispania propè fretum Gaditanum oppositi ambo, & Herculis columnæ olim dicti, quia post varios errores ibi substitisse dicitur, & illos montes quasi metas laborum suorum statuisse. Et verò non ultra protendi or-

Audiet Herculeo ſtridentem gurgite ſolem.
Grande operæ pretium eſt, ut tenſo folle reverti
Inde domum poſſis, tumidâque ſuperbus alutâ,
Oceani monſtra, & juvenes vidiſſe marinos.
Non unus mentes agitat furor: ille ſororis
In manibus vultu Eumenidum terretur, & igni;
Hic bove percuſſo mugire Agamemnona credit,
Aut Ithacum. Parcat tunicis licet, atque lacernis,
Curatoris eget, qui navem mercibus implet
Ad ſummum latus, & tabulâ diſtinguitur unda;
Cùm ſit cauſa mali tanti, & diſcriminis hujus
Conciſum argentum in titulos, facieſque minutas.

*num etiam fretum penetrant, in Oceani ultimos ad Occidentem fines, ubi ſol currum cum ſtridore mergit, ubi monſtra, Tritones & ignotas belluas non ſine metu graviſſimo conſpiciunt. Quorſum autem? Quis tot ærumnarum fructus, nempe ut marſupio nummis diſtento, ac divite ſuperbi prædâ domum redeant. Hæccine labore tanto periculiſque digna merces! Homines alii aliâ laborant inſaniâ. Eſt qui videre ſibi furias tædis armatas videatur, in ſororis amantiſſimæ complexu: eſt qui, dum boves & pecudes flagellis cædit, putet ſe in Agamemnonem ſævire, aut Ulyſſem. Quamvis avarus veſtes furioſi more non diſcindat, non minus tamen curatore aliquo indiget, quàm qui palàm inſaniunt, dum mercibus ratem onerat uſque ad extremas ejus oras, & unius aſſeris, quo compacta navis eſt, intervallo, a mari & morte ſeparatur: cùm ad tam exitiale periculum adeundum non aliâ impellatur cauſâ, quàm ut ſignatum argentum in loculos demittat. Cogitur*

bis a veteribus credebatur. Hinc iſtud æquor Herculeum vates vocat. Calpe nunc *Gibraltar* vocatur.

266. *Stridentem.* Fingunt Poëtæ ſolem in Oceano occidentali propè Hiſpaniam occidere quotidie magno cum ſtrepitu, ut cùm ferrum candens aquæ frigidæ immergitur.

267. *Folle.* Marſupio inſtar follis diſtento.

268. *Aluta.* Eſt pellis agnina, ex qua vulgò conficiuntur crumenæ.

270. *Ille.* Oreſtes. Sat. I, nota 6; VIII, nota 213.

272. *Hic.* Ajax. Sat. VII, nota 115; X, nota 84.

273. *Ithacum.* Ulyſſem, ab Ithaca inſula, unde oriundus, ſic appellatum.

*Tunicis.* Tunica veſtis interior, ac ferè manicis carens; lacerna, exterior, & inſtar pallii.

277. *In titulos.* In num-

Occurrunt nubes, & fulgura: Solvite funem,
Frumenti dominus clamat, piperisque coëmptor?
Nil color hic cœli, nil fascia nigra minatur,
Æstivum tonat. Infelix! ac forsitan ipsâ
Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur
Obrutus, & zonam lævâ, morsuque tenebit.
Sed cujus votis modò non sufficerat aurum
Quod Tagus, & rutilâ volvit Pactolus arenâ;
Frigida sufficient velantes pectora panni,
Exiguusque cibus, mersâ rate naufragus assem
Dum rogat, & pictâ se tempestate tuetur.
Tantis parta malis, curâ majore, metuque
Servantur: *Misera est magni custodia censûs.*
Dispositis prædives hamis vigilare cohortem

*in nubem aër turbidus, emicant fulgura: inclamat nihilominus mercator nautas, ut onustam tritico & pipere navim e portu provehant in altum: Ne vos, inquit, atra cœli facies aut nubes lividæ, quæ cœlum instar fasciæ ambiunt, territent: hæc fulgura, hæc tonitrua ex eorum genere sunt, quæ calor æstivus gignere solet, minimè ceteroquin periculosa & noxia. Forsan tamen illâ ipsâ nocte miser naufragio facto, undis jactabitur, crumenam manibus dentibusque comprehensam tenens. At cujus avaritiæ & cupiditati satis non fuerat aurum omne quod Tagus, quod Pactolus versat in flavis arenis, hic vili centone ad tegendos artus uvidos contentus erit, ac modico cibo, dum vix emersus mari corrogabit stipem, & ostentatâ naufragii sui depictâ imagine, prætereuntium commiserationem excitabit. Porrò divitiæ tot ærumnis ac laboribus quæsitæ, majori sollicitudine ac metu retinentur.* Miserè trepidus & anxius est, quicumque magnas opes servare satagit. *Licinus in certis ædium suarum locis paratas habet in vasis aquas:*

mos, qui faciem Imperatorum gerunt inscriptam cum variis titulis *v. g.* Germanici, Parthici, &c.

283. *Zonam.* In Zona crumenas gestabant.

285. *Tagus.* Fluvius Hispaniæ: aureas olim, ut fama est, arenas volvens.

*Pactolus.* Lydiæ fluvius in Asia minori, hodie *Sarabat*, olim & *Chrysorroas* ab arenis aureis dictus, teste Plinio, Lib. V, c. 29.

288. *Picta*, &c. Naufragi solebant pictam tabulam circumferre, in qua ipsorum naufragium spectabatur.

291. *Hamis.* Hama est *vas aquarium*, vel *uncus ferreus*;

Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro
Electro, signisque suis, Phrygiâque columnâ,
Atque ebore, & lata testudine. Dolia nudi
Non ardent Cynici: si fregeris, altera fiet
Cras domus, aut eadem plumbo commissa manebit.
Sensit Alexander, testâ cùm vidit in illa
Magnum habitatorem. Quantò felicior hic, qui
Nil cuperet, quàm qui totum sibi posceret orbem;
Passurus gestis æquanda pericula rebus.
*Nullum numen habes, si sit prudentia; sed te*
*Nos facimus, Fortuna, Deam.* Mensura tamen quæ
Sufficiat censûs, si quis me consulat, edam.
In quantum sitis, atque fames, & frigora poscunt;

*præterea complures servos pernoctare vigiles in excubiis jubet, metuens ne vasa pretiosa ex electro, statuæ elegantes, columnæ e marmore Phrygio, eburnea ornamenta, mensæ testudinum putaminibus contectæ, furto rapiantur, aut absumantur incendio. Diogenis dolium igne consumi nequit: si quo casu frangatur, cras ipse alterum dolium, alteras ædes inveniet, aut easdem resarciet, partibus plumbo rursum conjunctis & compositis. Ubi Alexander hunc philosophum angustæ testæ ingentem incolam adspexit, tunc profectò intellexit quantò insignior esset hominis nihil desiderantis felicitas, quàm ejus, qui totius orbis dominatum ambiret, ac simul cùm rerum gestarum gloriâ & voluptate periculorum acerbitatem & laborum, adæquaret.* Nullam vim habes, Fortuna, si adsit Prudentia; nos te in Deorum numero collocamus. *Quod si quis tamen exquirat a me, quem statuendum esse modum opibus existimem; dicam. Tantas parari non vetabo, quantæ ad famem, sitim, frigus propulsandum necessariæ sunt; quantæ*

ut alii malunt; quo muri sepiuntur, ne facilis pateat ascensus.

292. *Licinus.* Sat. I, nota 94. *Licinis.*

294. *Dolia, &c.* Diogenes Philosophus Cynicus pro domo dolium habebat: fiebant autem tunc dolia ex argilla coctâ, seu testâ.

295. *Cynici.* Sat. XIII, nota 121.

297. *Alexander.* Venisse fertur ad Diogenem Alexander, eique paupertatem exprobrasse. Cui Diogenes uter, *inquit*, pauperior, ipse cui nihil sufficit, an is qui nullius eget, qui nihil cupit?

Quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis;
Quantum Socratici ceperunt ante penates:
Numquam aliud natura, aliud sapientia dicit.
Acribus exemplis videor te cludere. Misce
Ergo aliquid nostris de moribus, effice summam
Bis septem ordinibus, quam lex dignatur Othonis.
Hæc quoque si rugam trahit, extenditque labellum,
Sume duos Equites, fac tertia quadringenta.
Si nondum implevi gremium, si panditur ultra,
Nec Crœsi fortuna umquam, nec Persica regna
Sufficient animo, nec divitiæ Narcissi,

*satis Epicuro, cui victum hortus præbebat, fuerunt; quantas antea Socrates possidebat. Eadem ubique sapientiæ vox & naturæ est, eadem lex. Videbor tibi fortasse paulò severior, qui philosophorum istorum exempla te sequi velim: tempera igitur hanc severitatem, & illi de Romanorum opulentia elegantiaque nonnihil admisce: compara, per me licet, summam illam pecuniæ quam Otho lege latâ illis esse voluit, qui cederent quatuordecim ordinibus theatro proximis. Si hæc tibi summa non sufficit, si eam ut nimis angustam respuis, habeto sanè censum duorum Equitum, immo trium. Quod si nondum es contentus, si tua cupiditas istis limitibus coërceri nequit, neque Crœsi, neque Persidis Regum divitiæ eam aliquando explebunt, ac ne ipsius quidem Narcissi, cui summam potestatem Claudius*

305. *Epicure.* Hic oleribus & parvo contentus fuisse dicitur, nec summum bonum in ventris & gulæ voluptatibus posuisse, sed in tranquillo corporis animique statu, qui dolorem omnem excluderet.

306. *Socratici.* Sat. XIII, nota 185.

308. *Cludere.* Vox antiqua, pro *claudere*; in angustias compellere, urgere dicendo, & convincere.

310. *Othonis.* Sat. III, nota 140. *Legi.*

311. *Si rugam trahit.* Si facit ut frontem in rugas contrahas, quod factitant qui aversantur & abnuunt; iidem labra producunt & proferunt.

312. *Quadringenta.* Sat. I, nota 91.

314. *Crœsi.* Sat. X, n. 262. *Persica regna.* Reges Persarum ditissimi habebantur.

315. *Narcissi.* Libertus fuit Claudii Imperatoris: summas opes malis artibus collegit, ac ipsi Claudio imperitavit, homini credulo & minimè malo.

Indulſit Cæſar cui Claudius omnia, cujus
Paruit imperiis uxorem occidere juſſus.

*Imperator conceſſerat, & cui ad nutum ita fuit obſequens, ut eo jubente, uxorem interfecerit.*

317. *Uxorem, &c.* Lege finem Sat. X, nota 300, & nota 310.

# SATIRA XV.

## ARGUMENTUM ET SYNOPSIS.

*INSECTATUR Ægyptiorum ſuperſtitionem, qui animalia & olera viliſſima Deorum loco habebant: deinde crudelitatem, qui hominem in fruſta diſcerptum devoraverint, quod fuſiùs deſcribit. Ad extremum de clementia & humanitate quam a natura inſitam habemus, pauca diſſerit.*

QUIS neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc: illa pavet ſaturam ſerpentibus Ibin.

*QUIS ignorat, Voluſi Bithynice, quæ Numinum monſtra, quàm ridiculos Deos Ægyptii veſanâ ſuperſtitione venerentur? Alii Crocodilum, alii ſerpentibus paſci ſolitam Ibin, religioſo metu colunt. In urbe The-*

1. *Bithynice.* E Bithynia oriunde: quæ eſt Aſiæ minoris regio, Euxino mari & Propontidi vicina.

2. *Crocodilon.* Eſt crocodilus, piſcis, ſeu ſerpens quadrupes, lacertæ ſpecie, in eam exſcreſcens magnitudinem, ut cubitos aliquando viginti ſuperet.

3. *Ibin.* Ibis, eſt volucris Ciconiæ non abſimilis, ſerpentibus & locuſtis veſci ſolita: quibus quia Ægyptum purgabat, numinis colebatur loco.

Effigies ſacri nitet aurea Cercopitheci;
Dimidio magicæ reſonant ubi Memnone chordæ,
Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.
Illic cæruleos, hîc piſces fluminis: illic
Oppida tota canem venerantur: nemo Dianam:
Porrum & cepe nefas violare, ac frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina! Lanatis animalibus abſtinet omnis
Menſa: nefas illic fœtum jugulare capellæ,
Carnibus humanis veſci licet. Attonito cùm
Tale ſuper cœnam facinus narraret Ulyſſes

*bana, quæ nunc æquata ſolo eſt, olim centum habuiſſe portas fertur, prope quam viſebatur ſtatua Memnonis dimidiata & geſtans citharam, cujus chordæ, per magicam artem ſonum quemdam edebant, in ea, inquam, urbe imago ſimiæ caudatæ in templis adoratur. Hîc marinos, illic fluviales piſces, alibi canem civitates integræ colunt; civis nullus Dianam. Porra & cepas manducare aut ſecare ingens piaculum eſt. O religioſam nationem, cui Deos ipſi horti progenerant! Ovium carnibus aut hædorum veſci apud illos nemini licet, humanis licet; ſanè cùm ſimile quidpiam de Antiphate ac Polyphemo Ulyſſes*

4. *Nitet.* Adornatur ad cultum.

5. *Memnone.* Memnon Auroræ filius, ex Æthiopia Trojam profectus, ut opem Priamo ferret, ab Achille interfectus eſt. Ejus ſtatua viſebatur in templo Serapidis, citharam tenens, quæ quotidie ſolis orientis radiis percuſſa, ſonum citharæ ſimilem edebat, magicâ, ut creditum eſt, arte. Hinc magicas, nempe iſtius citharæ, chordas Juvenalis appellat: ejus ſtatuæ partem dimidiam terræ motu corruiſſe Strabo narrat.

6. *Vetus Thebe.* Urbs Ægypti clara: centum habuiſſe portas fertur. Eſt alia ejuſdem nominis in Græcia ſeptem portis inclyta.

7. *Cæruleos.* Eſt hic maris color.

8. *Nemo Dianam.* Quæ tamen Dea venationis, & canum eſt præſes.

9. *Cepe, &c.* Cepas, allia, &c. non attingebant Ægyptii, quia lacrymas cient, ſitim accendunt, &c. ovibus parcebant, quia lanam & lac hominibus præbent: ita e ſuo commodo vel incommodo Deos æſtimabant, faciebantque.

14. *Tale facinus.* Nempe hominum, qui carnibus humanis paſcerentur; qualem Polyphemum Ulyſſes narrabat. *Ulyſſes.* Sat. IX, nota 47.

Alcinoo, bilem, aut risum fortasse quibusdam
Moverat, ut mendax aretalogus. In mare nemo
Hunc abicit, sævâ dignum, verâque Charybdi
Fingentem immanes Læstrygonas, atque Cyclopas?
Nam citiùs Scyllam, vel concurrentia saxa
Cyanes, plenos & tempestatibus utres
Crediderim, aut tenui percussum verbere Circes,

*inter cœnandum Alcinoo narraret, non dubito quin e convivis aliqui aut irriserint, aut etiam stomachati sint, atque ut inepto circulatori succensuerint. Nemone hunc fabulatorem, inquiebant, in mare projicit, qui de Læstrigonibus & Cyclopibus tam incredibilia, tam crudelia facinora nobis affirmet? Dignus est profectò qui demergatur in veram Charybdim, non fictam, qualem nobis descripsit. Facilius enim mihi persuaserim quæ de Scylla, de Cyaneis scopulis, inter se collidi solitis, de ventis in saccum inclusis, de sociis suis ac remigibus a Circe virgâ verberatis &*

15. *Alcinoo.* Alcinoüs Rex Phæacum fuit in Corcyra insula, *Corfou*, homo voluptatibus perinde ac Phæaces omnes, deditus. Celebrantur illius horti. Ulysses naufragio facto cùm ad Corcyram insulam enatasset, a Regis Alcinoi filia Nausicae repertus in littore, domum deductus est ad Alcinoüm, cui super cœnam narravit quidquid periculorum adierat per annos septem.

16. *Aretalogus.* Blaterator, sophista, *un Charlatan.*

17. *Charybdi.* Sat. V, nota 102.

18. *Læstrigonas.* Sat. XIV, nota 20.

*Cyclopas.* Ministri & operæ Vulcani erant Cyclopes, uno media in fronte oculo conspicui.

19. *Scyllam.* Voraginem, in freto Siculo, Charybdi oppositam.

20. *Saxa Cyanea.* Cyaneæ insulæ, sive potiùs scopuli duo sunt, in aditu Bosphori Thracii, modico spatio inter se distantes, ita ut, qui cominus cernuntur divisi, eminus appareant juncti, & inter se concurrere videantur.

*Utres.* Ulysses ab Æolo, ventorum Rege, saccum acceperat, in quo erant inclusi omnes procellosi & graviores venti; sed cùm utrem malè curiosi Ulyssis socii aperuissent, erumpentes venti tetram tempestatem concitarunt.

21. *Circes.* Famosæ veneficæ, quæ Ulyssem in Tyrrheni maris littus ejectum excepit, ejus socios veneficiis in porcos mutavit, &c.

Et cum remigibus grunniſſe Elpenora porcis.
Tam vacui capitis populum Phæaca putavit?
Sic aliquis meritò nondum ebrius, & minimum qui
De Corcyræa temetum duxerat urna.
Solus enim hoc Ithacus nullo ſub teſte canebat.
Nos miranda quidem, ſed nuper, Conſule Junio,
Geſta ſuper calidæ referemus mœnia Copti:
Nos vulgi ſcelus, & cunctis graviora cothurnis.
Nam ſcelus a Pyrrha, quamquam omnia ſyrmata volvas,
Nullus apud tragicos populus facit. Accipe noſtro
Dira quod exemplum feritas produxerit ævo.

*Elpenore in porcum mutato, narrat, quàm de hominibus humanas carnes devorantibus. An Phæacas tam ſtolidos eſſe judicavit, ut hoc ſibi affirmanti crederent? Ita loqui meritò potuiſſet aliquis convivarum, nondum vino patrio gravis. Quippe Ulyſſes id nullo teſte aut conſcio, qui eadem vidiſſet, aſſerebat. Nos mirum quidem facinus narraturi ſumus, ſed in media Ægypto prope Coptum haud ità pridem, Junio Sabino Romæ Conſulatum gerente, perpetratum. Auctor illius ſceleris populus integer eſt, atque adeò eorum omnium quæ in tragœdiis exhibentur gravitatem ſuperat; ſi quidem, etſi omnes tragœdias quæ poſt hominum genus natum conſcriptæ ſunt, ſcruteris, nullum ſcelus ab toto populo communiter admiſſum invenies. Terrimum audi facinus & exemplum inuſitatæ crudelitatis,*

22. *Elpenora.* Unum e ſociis Ulyſſis.

23. *Populum Phæaca.* Populum inſulæ Corcyræ, hodie *Corfou* ad oram Epiri ſitæ.

25. *Corcyræa.* Phæacæ inſulam Corcyram tenuerunt.

*Temetum.* Vinum ſic appellatur quia tenet, ſeu tentat mentem.

27. *Conſule Junio.* Geſſit Conſulatum Junius Sabinus, ac Domitianum habuit collegam, anno U. C. 839.

28. *Copti.* Coptus Ægypti civitas, Arabiæ vicina, ubi ſol æſtate calidiſſimus, unde *calidam* vocat Juvenalis.

29 *Cothurnis.* Des brodequins. Per Cothurnos indicantur actores tragici, qui illis utuntur: per actores, ipſæ tragœdiæ.

30. *Pyrrha.* Deucalionis uxor fuit, quæ poſt diluvium unà cum marito humanum genus reparaſſe fertur. Sat. I, nota 67.

*Syrmata.* Sat. VIII, nota 227. Eſt Syrma veſtis tragica longior & ad pedes promiſſa, pro *tragœdia* hîc ſumitur.

Inter finitimos vetus, atque antiqua ſimultas,
Immortale odium, & numquam ſanabile vulnus,
Ardet adhuc, Ombos & Tentyra. Summus utrinque
Inde furor vulgo, quod numina vicinorum
Odit uterque locus, quum ſolos credat habendos
Eſſe Deos, quos ipſe colit. Sed tempore feſto
Alterius populi rapienda occaſio cunctis
Viſa inimicorum primoribus ac Ducibus; ne
Lætum, hilaremque diem, ne magnæ gaudia cœnæ
Sentiret poſitis ad templa, & compita menſis,
Pervigilique toro, quem nocte ac luce jacentem
Septimus interdum ſol invenit. Horrida ſanè
Ægyptus: ſed luxuriâ, quantum ipſe notavi,
Barbara famoſo non cedit turba Canopo.

*hâc noſtrâ ætate duntaxat editum. Ombi & Tentyra ſunt Ægypti civitates non procul a ſe invicem disjunctæ: ambæ pervetuſto & inſanabili odio inter ſe diſſident. Odii cauſa hæc eſt, quòd altera civitas alterius Deos contemnat, quia ſuos utraque duntaxat credit veros germanoſque Deos eſſe. Cùm igitur Tentyritarum proceres ac primarii Duces imminerent in omnem Ombos perdendi occaſionem, viſa eſt illis ea peropportuna, quam offerebat dies feſtus ſolemnibus epulis & gaudiis apud hoſtes celebrari ſolitus: ſtatuunt igitur hilaritatem illius diei luctu vertere, ac diſturbare menſas paſſim in compitis templiſque poſitas, quibus illi barbari diu noctuque interdum per ſeptem dies continuos accumbunt. Etſi enim pars hæc Ægypti horridior ſit atque incultior, tamen, quantum obſervare ipſe potui, non eſt minus dedita luxui & deliciis, quàm Canopus, eo*

35. *Ardet adhuc.* A tot ſeculis.

*Ombos, & Tentyra.* Ombi, ſive Combi, civitas Ægypti erat, propè Arabiam. Item Tentyra quæ vox numeri pluralis eſt, & generis neutrius.

36. *Vicinorum.* Tentyritæ oderant crocodilum, & enecabant, Ombi adorabant, & ſuos ab eo liberos devorari gaudebant: hinc mutuum inter utroſque odium.

43. *Toro.* Lectos intellige quibus compoſiti ad menſam accumbebant.

45. *Quantum ipſe, &c.* Cùm ſcilicet in Ægyptum eſt profectus, & quaſi ejectus in exſilium, ut in ejus vita dixi.

46. *Canopo.* Sat. I, nota

Adde quod & facilis victoria de madidis, &
Blæsis, atque mero titubantibus: inde virorum
Saltatus nigro tibicine, qualiacumque
Unguenta, & flores, multæque in fronte coronæ;
Hinc jejunum odium. Sed jurgia prima sonare
Incipiunt animis ardentibus: hæc tuba rixæ:
Dein clamore pari concurritur, & vice teli,
Sævit nuda manus: paucæ sine vulnere malæ;
Vix cuiquam, aut nulli toto certamine nasus
Integer. Adspiceres jam cuncta per agmina vultus
Dimidios, alias facies, & hiantia ruptis
Ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos.
Ludere se credunt ipsi tamen, & pueriles
Exercere acies, quòd nulla cadavera calcent.
Et sanè quò tot rixantis millia turbæ,

*nomine infamis. Incitabat præterea Tentyritas ad invadendos Ombos, quòd confiderent nullo negotio se profligaturos ebrium hostem, balbutientem, ac vacillantem. Cùm igitur ex Omborum parte omnia personarent tripudiis saltantium ad numeros, & strepitum tibiæ, quam fuscus aliquis Æthiops inflabat; cùm essent omnes unguentis qualibuscumque delibuti & floribus coronati; ex parte verò Tentyritarum omnes impasti quidem, at odiis atrocibus incensi, initium pugnæ ductum a jurgiis & clamoribus, quibus, tamquam tuba signum est ad conferendas manus datum. Mox sublato hinc inde clamore, congrediuntur, instar telorum pugnos exerunt, quibus invicem ita vapulant, ut paucos videre sit ore non contuso: vix cuiquam dimicantium, aut nemini potius, est nasus integer. Cerneres toto in exercitu vultus dimidiatos, facies ita deformatas vulneribus, ut eadem esse vix agnosceres: genas diffractis ossibus diductas, omnium manus fluentes cruore oculorum quos hosti effoderunt, ac sanie. Ludum hunc tamen ipsi & puerilem esse putant rixam, quòd necdum mortuorum corpora proterant. Ac sanè quid attinet tot*

24. *Canopi. Sensus est* Ombos licèt agrestiores reliquis Ægyptiis, ut pote vicinos Arabibus & a Canopo emporio celeberrimo divitiis pariter ac deliciis affluente, disjunctissimos, tamen æquè luxui dedi-

tos esse ac ipsos Canopi cives. Hæc civitas centum viginti stadiis Alexandriâ distabat.

60. *Nulla cadavera calcent.* Nemine adhuc trucidato, cujus cadaver pedibus conculcent.

Si vivunt omnes? Ergo acrior impetus, & jam
Saxa inclinatis per humum quæsita lacertis
Incipiunt torquere; domestica seditione
Tela, nec hunc lapidem, quales & Turnus, & Ajax,
Vel quo Tydides percussit pondere coxam
Æneæ; sed quem valeant emittere dextræ
Illis dissimiles, & nostro tempore natæ.
Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero.
Terra malos homines nunc educat, atque pusillos.
Ergo Deus quicumque adspexit, ridet, & odit.
A diverticulo repetatur fabula: postquam
Subsidiis aucti, pars altera promere ferrum
Audet, & infestis pugnam instaurare sagittis;
Terga fugæ celeri præstantibus omnibus, instant
Qui vicina colunt umbrosæ Tentyra palmæ.

*hominum millia congredi bello & sævire inter se hostiliter, si nemo trucidatur? Majoribus igitur animis odiisque concurrunt, saxa colligunt, ac torquent; ea sunt videlicet usitata in seditione arma: non tales ac tantos lapides tamen, quales, quantosque Ajax & Turnus projiciebant, quali Diomedes Æneæ femur vulneravit; sed quales projiciant manus istis longè dispares & imbecilliores, hominum nempe hujus ævi: nam ea robustorum hominum stirps & natio jam tum incipiebat minui, cùm Homerus viveret, nunc mortales tellus procreat exiguæ staturæ, magnæ improbitatis, quos cùm Superi adspiciunt, rident illorum tenuitatem, detestantur nequitiam. Sed ad institutam narrationem ab hac digressione redeamus. Postquam novæ utrisque copiæ subsidio advenerunt, ausi sunt Tentyritæ educere gladios in hostem, sagittisque conjectis pugnam redintegrare. Nec ita multò post Ombitas in fugam effusos pre-*

65. *Turnus.* Rutulorum, in Italia Rex, Æneæ rivalis, in quem, ut narrat Virgil. Lib. XII, 896, lapidem prægrandem contorsit.

*Ajax.* Sat. VIII, v. 84. Homerus, Libro Iliad. VII, cum singulari certamine cum Hectore dimicantem grandi lapide armat; similiter Diomedem cum Ænea depugnantem.

66. *Tydides.* Diomedes, Tydei filius, Græcorum Dux.

76. *Qui vicina, &c.* Id est, Tentyritæ quorum civitas vicina est palmeto, seu sylvæ palmis consitæ.

Labitur hîc quidam, nimiâ formidine curſum
Præcipitans, capiturque : aſt illum in plurima ſectum
Fruſta, ac particulas, ut multis mortuus unus
Sufficeret, totum corroſis oſſibus edit
Victrix turba, nec ardenti decoxit aheno,
Aut verubus : longum uſque adeo, tardumque putavit
Exſpectare focos, contenta cadavere crudo.
Hinc gaudere libet, quòd non violaverit ignem,
Quem ſummâ cœli raptum de parte Prometheus
Donavit terris : elemento gratulor, & te
Exſultare reor; ſed qui mordere cadaver
Suſtinuit, nihil umquam hac carne libentius edit.
Nam ſcelere in tanto ne quæras, & dubites, an
Prima voluptatem gula ſenſerit; ultimus autem
Qui ſtetit abſumpto jam toto corpore, ductis

*munt acriter & urgent : quorum unus, dum præ metu nimis properè fugam arripit, cadit, comprehenditur, ſecatur a victoribus in fruſta, ut ejus cadaveris particulam habere ſinguli poſſent, denique ita comeditur, ut ne ipſis quidem oſſibus parcatur. Neque verò illud aut elixum aut toſtum comederunt, longior eſt ipſis viſa torrendi aut coquendi cadaveris mora, crudas carnes devorarunt. Factum bene, quòd ignem a Prometheo ex æthere delatum in terras, tam crudeli flagitio non contaminaverint : gaudeo tam nobile elementum iſtâ immanitate violatum non fuiſſe, ac te id quoque gaudere arbitror. Ceterùm qui primus ex illis barbaris avidos dentes cadaveri infixit, nullum umquam ferculum iſto jucundius attigit. Noli enim ſciſcitari, aut ambigere, an gratiſſimæ acciderint impiis helluonibus epulæ tam ſceleratæ, cùm poſtremi omnium qui ad eas acceſſere poſtquam totum cadaver abſumptum a prioribus & corroſum fuit, diram ingluviem colligendo ſummis digitis ſanguinem, ac liguriendo ſumma cum voluptate expleverint. Litteris proditum eſt Vaſcones hunc in morem*

85. *Prometheus.* Sat. IV, nota 130.

86. *Elemento gratulor.* Igni gratulor quòd non ſit violatus, coquendo carnes humanas, quibus impii Tentyritæ ſatiarentur.

*Et te exſultare reor.* Te, o Voluſi, credo mecum ſentire & lætari.

Per terram digitis, aliquid de sanguine gustat.
Vascones, ut fama est, alimentis talibus usi
Produxere animas: sed res diversa, sed illic
Fortunæ invidia est, bellorumque ultima, casus
Extremi, longæ dira obsidionis egestas.
Hujus enim, quod nunc agitur, miserabile debet
Exemplum esse cibi: sicut modò dicta mihi gens
Post omnes herbas, post cuncta animalia, quidquid
Cogebat vacui ventris furor, hostibus ipsis
Pallorem, ac maciem, & tenues miserantibus artus,
Membra aliena fame lacerabant, esse parati
Et sua. Quisnam hominum veniam dare, quisve Deorum
Urbibus abnuerit dira, atque immania passis,

*carnibus humanis vitam aliquamdiu conservasse, ac famem paulisper depulisse: sed Vasconum tamen longè dissimilis est ac Ægyptiorum causa, factumque. Eò quippe adacti fuere Vascones per acerbitatem quamdam & inclementiam Fortunæ, cùm longâ obsidione ac bello gravissimo rerumque omnium inopiâ fracti ad extremas angustias devenissent: in quo digni profectò erant commiseratione, si post absumptas omnes herbas & animalia, & quidquid edendum objiciebat famis quædam rabies, ipsi pallore, macieque confecti, membris inediâ exhaustis & attenuatis, atque ipsis hostibus miserandi, si tunc, inquam, alienis artubus vescebantur, qui suos etiam vorare non dubitassent. Quis mortalium aut etiam immortalium, civibus in tantas conjectis angustias id non ultro ignovisset? Ipsæ mortuorum*

93. *Vascones.* Populus ad Pyræneos montes positus: partem Hispaniæ Tarraconensis olim obtinebat, Navarram hodie dictam. Inde in Gallias transgressus, hunc tractum occupavit, qui modò appellatur Vasconia, *la Gascogne.*

96. *Obsidionis.* Urbs Vasconum Tarraconensium erat Calagurris *Calahorre*, quæ hodie Castellæ veteri tribuitur: a Pompeio & Metello obsessa, & eò redacta est, ut cives liberorum corpora esse cogerentur. Valer. Max. Lib. VII, cap. 6.

102. *Esse parati & sua.* Nam quidam inediâ pressi brachia sua nonnumquam arrosêre.

104. *Urbibus.* Calagurri, Numantiæ, Sagunto. Alii legunt *Viribus*; id est, virilibus animis, vel viris fortibus.

Et quibus ipſorum poterant ignoſcere Manes
Quorum corporibus veſcebantur? Melius nos
Zenonis præcepta monent: nec enim omnia, quædam
Pro vita facienda putat. Sed Cantaber unde
Stoïcus, antiqui præſertim ætate Metelli?
Nunc totus Graïas, noſtraſque habet orbis Athenas.
Gallia cauſidicos docuit facunda Britannos,
De conducendo loquitur jam rhetore Thule.
Nobilis ille tamen populus, quem diximus; & par

*animæ, quorum cadavera laniabantur, credo illis veniam ſponte annuiſſent. Equidem ſcio nos meliùs inſtitutos eſſe a Stoïcis philoſophis, & eorum principe Zenone, qui tameſi concedat fas eſſe quædam pro vita conſervanda facere, non tamen omnia licere docet. Verùm quis illam Stoïcorum philoſophiam requirat a Cantabris, præſertim antiqui Metelli tempore? Nunc orbis totus philoſophiæ Græcæ pariter & Romanæ præceptis abundat. Eloquentiam a Gallis Angli didicerunt, Thule ipſa cogitat rhetoricæ profeſſores evocare, & certo pretio conductos apud ſe habere. Vaſcones igitur, de quibus modò agebam, & Saguntini, ſimiles illis fortitudine & fidelitate in Romanos, licèt*

105. *Manes.* Vide Sat. V, nota 152.

107. *Zenonis.* Zeno Philoſophus Stoïcæ ſectæ conditor, ſummo apud Athenienſes in honore habitus.

108. *Cantaber.* Cantabros hic vocat, quos antea Vaſcones appellavit, unum pro altero populum ſumens, propter viciniam. Porrò Cantabri Biſcaïam & adjunctas regiones obtinebant.

109. *Stoïcus.* Sat. II, nota 40.

*Metelli.* Fuit hic additus Pompeio, ad Sertorium debellandum, circa annum ab urbe condita 670, ducentis admodum antequam hæc a Juvenale ſcriberentur annis: hinc antiquum hoc in loco appellat; aut fortaſſe ut eum ab aliis Metellis recentioribus, qui floruerunt poſtea, diſtinguat.

110. *Athenas.* Urbs erat Græciæ primaria, philoſophis & oratoribus abundans: Romam vocat Athenas; Italia quippe rhetoribus & philoſophis referta erat inſtar Athenarum.

112. *Thule.* Inſula ultra Angliam & Orcadas ſita; Iſlandiam vocant: alii partem Norvegiæ eſſe volunt.

Virtute atque fide, ſed major clade Saguntus
Tale quid excuſat: Mæotide ſævior arâ
Ægyptus: quippe illa nefandi Taurica ſacri
Inventrix, homines (ut jam quæ carmina tradunt
Digna fide credas) tantùm immolat, ulterius nil
Aut gravius cultro timet hoſtia. Quis modò caſus
Impulit hos, quæ tanta fames, infeſtaque vallo
Arma coëgerunt tam deteſtabile monſtrum
Audere? Anne aliam, terrâ Memphitide ſiccâ,
Invidiam facerent nolenti ſurgere Nilo?

*majori quàm Vaſcones, clade affecti, ejuſmodi, quas memoravi, excuſationibus uti meritò poſſunt, ſi humanis veſci carnibus coacti fuerint, non item Ægyptii, quorum crudelitas vincit immanitatem incolarum Cherſoneſi Tauricæ, apud quos Dianæ ara, prope Mæotidem paludem viſitur. Illi enim cruenti ſacrificii inventores (ſi poëtis credimus) homines duntaxat immolant, non iis veſcuntur, neque metuunt victimæ infelices, ne poſt obitum funeſtius aliquid ſacrificulorum cultris patiantur. At Ægyptiis quid cauſæ tandem fuit, cur tam immane facinus admitterent? An diuturna & atrox fames? an exercitus hoſtium, vallo & armis urbem obſidentium? Si Nilus nollet exundare in agros & effundi pro more, ita ut ſicca & infœcunda Ægyptus foret, an poterant eum odioſum & inviſum magis reddere, quàm ſi diceretur Ægyptios præ fame coëgiſſe ad humanas carnes vorandas? Itane verò imbellis*

114. *Saguntus.* Hiſpaniæ Tarraconenſis civitas vetus, quæ cùm Romanis pareret obſeſſa fuit ab Annibale, cives dirâ fame confecti, ſe ſuaque omnia communi rogo abſumere, quàm hoſtem mœnibus accipere maluerunt.

115. *Tale quid excuſat.* Nempe diuturnam obſidionem, famem, inſcitiam philoſophiæ, &c.

*Mæotide.* Mæotis palus eſt pars ultima maris Mediterranei, *mer de Zabache.*

*Ara.* Taurica Cherſoneſus, eſt peninſula ad fauces Mæotidis paludis; nunc *Tartaria minor*, ſive *Præcopenſis* dicitur. Ibi erat ara Dianæ ad quam homines mactabantur.

122. *Anne aliam, &c.* An majorem inurere ignominiam Nilo, Deo ſuo, poterant, ſi ab eo fuiſſent ſterilitate affecti, quàm tantum ſcelus admittendo.

*Terra Memphitide.* Ægypto, cujus caput Memphis.

Quâ nec terribiles Cymbri, nec Brittones umquam,
Sauromatæque truces, aut immanes Agathyrsi
Hac sævit rabie imbelle, & inutile vulgus,
Parvula fictilibus solitum dare vela phaselis,
Et brevibus pictæ remis incumbere testæ.
Nec pœnam sceleri invenies, nec digna parabis
Supplicia his populis, in quorum mente pares sunt,
Et similes, ira, atque fames. Mollissima corda
Humano generi dare se natura fatetur,
Quæ lacrymas dedit: hæc nostri pars optima sensûs.
Plorare ergo jubet causam lugentis amici,
Squaloremque rei, pupillum ad jura vocantem
Circumscriptorem, cujus manantia fletu

*plebecula, quæ navigare solet in cymbalis ex argilla confectis, tantam in cadaver exprompsit rabiem, quantâ neque Cimbri neque Brittones, neque Sarmatæ aut Agathyrsi, sævire aliquando comperti sunt? Quodnam supplicii genus inveniri potest par sceleri gentis illius, quæ idem fieri posse putet suadente irâ, quod fame cogente? Mores benignos & humanos a natura ingeneratos fuisse mortalibus vel inde constat, quod nos proclives finxit ad lacrymas. Hæc pars humanæ indolis, hæc alienæ calamitatis commiseratio, inter ceteras animi affectiones laudatissima est. Docet nos igitur natura ingemiscere cùm aliquis amicus accusatur, & causam apud judices sordidatus agit: docet deflere calamitatem vocantis in jus perfidum tutorem pupilli, cujus*

124. *Cimbri.* Sat. VIII, nota 247.

*Brittones.* Germaniæ populi, vel Galliæ ultimæ, ad occidentem, qui olim inculti & feri.

125. *Sauromatæ.* Iidem, qui Sarmatæ. Barbarus Europæ & Asiæ ad septentrionem populus.

*Agathyrsi.* Sarmatiæ populi, dicti ab Agathyrso Herculis filio. Horum fuisse regionem, ubi nunc est Moscovia, dicunt nonnulli.

126. *Imbelle & inutile vulgus.* Tentyritæ præ illis populis ignobiles tale audent facinus, quale numquam alii ulli.

128. *Testæ.* Testaceis naviculis Nilum Ægyptii enavigabant.

136. *Circumscriptorem.* Lege Sat. XIV, nota 223.

Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturæ imperio gemimus, cùm funus adultæ
Virginis occurrit, vel terrâ cluditur infans,
Et minor igne rogi. Quis enim bonus, aut face dignus
Arcanâ, qualem Cereris vult esse sacerdos,
Ulla aliena sibi credat mala? Separat hoc nos
A grege mutorum, atque ideo venerabile soli
Sortiti ingenium, divinorumque capaces,
Atque exercendis, capiendisque artibus apti,
Sensum a cœlesti demissum traximus arce,

*faciem lacrymis madentem crines longiùs, ut puellæ gerunt, promissi perturbant, offunduntque, adeò ut eum facilè non agnoscas. Facit eadem natura, ut in fletum prorumpamus, cùm virginem immaturâ morte raptam deferri videmus ad rogum, cùm infantem sepeliri, qui minor est, quàm ut rogo imponatur, & concremetur. Quis enim vir probus est, ac dignus qui gestet in Cereris sacris secretis, & mysterii plenissimis tædam non exstinctam, quod probitatis signum sacerdotes ejusdem Cereris esse putant longè certissimum, quis, inquam, vir probus humanam calamitatem ullam non putat ad se aliquo modo pertinere? Hoc maximè discrepamus a belluis. Et verò soli mentem numinis beneficio consequuti sumus præclaram, admirabilem, & rebus divinis capiendis non minùs, quàm excogitandis poliendisque artibus idoneam. Hanc ab ipso cœlo ductam*

140. *Minor igne rogi.* Infantes, quibus nondum nati dentes forent cremare moris apud Romanos non erat, sed humo condere.

*Face arcana.* Eleusis oppidum est Atticæ, non procul Athenis. Ibi regnasse fertur Eleusius, & Cererem hospitio excepisse, cùm amissam filiam orbe toto errabunda quæreret. Hinc factum ut Eleusini sacra Cereris religione præcipua celebrarent, in iisque gestarent accensas lampades ac decurrerent, quasi Cererem errantem imitantes. Porro ea sacra nostu ac silentio peragebantur, & ea vulgare nefas; V. de Horat. Oden 2, Lib. III, pag. meâ 147; neque iis intererant nisi hominis spectatæ probitatis. Cujus indicium hoc sacerdotes putabant esse certissimum, si cujus fax inter currendum exstincta non fuisset.

142. *Aliena.* Huc pertinet ea vox Terentiani Chremetis ad Menedemum: *Homo sum, humani a me nihil alienum puto.* In Heautontimorumeno, Act. I, Scen. 1.

Cujus egent prona, & terram ſpectantia. Mundi
Principio indulſit communis conditor illis
Tantùm animas, nobis animum quoque; mutuus ut nos
Affectus petere auxilium, & præſtare juberet;
Diſperſos trahere in populum, migrare vetuſto
De nemore, & proavis habitatas linquere ſylvas:
Ædificare domos, laribus conjungere noſtris
Tectum aliud, tutos vicino limine ſomnos
Ut collata daret fiducia; protegere armis
Lapſum, aut ingenti nutantem vulnere civem;
Communi dare ſigna tubâ, defendier iſdem
Turribus, atque unâ portarum clave teneri.
Sed jam ſerpentum major concordia: parcit
Cognatis maculis ſimilis fera. Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore umquam
Expiravit aper majoris dentibus apri?
Indica Tigris agit rabidâ cum Tigride pacem
Perpetuam: ſævis inter ſe convenit urſis.

*hauſimus, hæc brutis animantibus in humum pronis negata, quibus nimirum ab effectore mundi ſola data eſt anima ſentiendi & vegetandi vim habens, nobis animus etiam intelligentiæ rationiſque capax; ut mutuâ incitati benevolentiâ opem & operam ab aliis flagitaremus, eamdemque illis navaremus; ut diſſipati antea, in unum colligeremur, & ſylvis, quas noſtri majores incolebant, relictis, domos condere, alias aliis adnectere, & ita majori ſecuritate ſomnum capere, propter vicinas ædes noſtris conjunctas, poſſemus: ut cives aliquo infortunio affectos tueri, delapſos in aliquod periculum erigere, bellum conjunctis viribus & buccinis inferre, iiſdem mœnibus ac propugnaculis hoſtem arcere, & eâdem civitate contineri. Nunc major inter angues, quàm inter homines conſenſio eſt. Feræ non ſæviunt in feras eâdem pelle contectas. Quandonam leonem leo robuſtior interemit? Qua in ſylva vetulus aper juniori necem intulit? Tigris Indica cum aliis tigridibus amicitiam colit, inter urſos pax eſt & concor-*

153. *Laribus.* Lares Dii erant domeſtici, ſumuntur pro *ipſa domo.*

155. *Ut collata daret fiducia.* Junctis ædibus vicinus vicino facilè fert opem indigenti.

Aſt homini ferrum letale incude nefandâ
Produxiſſe parum eſt, cùm raſtra, & ſarcula tantùm
Aſſueti coquere, & marris, ac vomere laſſi
Neſcierint primi gladios excudere fabri.
Adſpicimus populos, quorum non ſufficit iræ
Occidiſſe aliquem, ſed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus eſſe cibi. Quid diceret ergo,
Vel quò non fugeret, ſi nunc hæc monſtra videret
Pythagoras? cunctis animalibus abſtinuit qui,
Tamquam homine, & ventri indulſit non omne legumen?

*dia viget. Hominum verò crudelitas non ſatis habet gladios fabricaſſe, cùm primi fabri ferrarii gladios ignorarent, ac ruſtica tantùm inſtrumenta, raſtra, ſarculos, marras & vomeres procuderent. Sed videmus etiam gentes integras, quibus parum ſit hominem mactaſſe, niſi etiam ejus artubus veſcantur. Quas igitur in voces non erumperet, ſi hæc portenta cerneret, Pythagoras? quò ſe non abderet, qui carnibus animalium veſci non magis quàm hominum ipſorum, timuit? Immo etiam qui omnibus oleribus prómiſcuè uti diſcipulos ſuos vetuit.*

173. *Pythagoras.* Sat. III, nota 214. Philoſophus inſignis, oriundus inſulâ Samo, venit in Italiam & Crotonæ docuit. Idcirco animalium carne abſtinebat Pythagoras, & ea vetabat occidi, quòd in eorum corpora migrare cenſeret animas humanas.

174. *Non omne legumen.* A fabis abſtinere dicebatur, quòd ventrem inflarent, hebetarentque mentem, &c.

# SATIRA XVI.

## ARGUMENTUM ET SYNOPSIS.

*Militiæ commoda.*

Quis numerare queat felicis præmia, Galle,
Militiæ? Nam si subeantur prospera castra,
Me pavidum excipiet tironem porta secundo
Sidere. Plus etenim fati valet hora benigni,
Quàm si nos Veneris commendet epistola Marti,
Et Samiâ genitrix quæ delectatur arenâ.
Commoda tractemus primùm communia, quorum
Haud minimum illud erit, ne te pulsare togatus
Audeat: immo &, si pulsetur, dissimulet, nec

*Quis possit, Galle, varias fortunatæ militiæ utilitates recensere? Ego certè si qua daretur occasio militandi fortunatis in castris, licèt imperitus admodum belli ac tiro planè sim, non dubitem nihilominus ea subire fausiis ominibus & fato annuente, cujus opportunitas & numen majoris ad felicem militiam est momenti, quàm si commendatitias a Venere, aut Junone ad Martem litteras haberemus. Ac primò quidem videamus militiæ utilitates omnibus militibus communes. Inter illas hæc ultimo loco numeranda non est, quòd nullus civis audeat injuriam inferre militi, & ei negotium facessere? Immo quamvis a milite injuriam acceperit, sileat, nec ausit judici monstrare dentes sibi extusos, ac lividum tuberibus nigris vultum,*

3. *Porta.* Portæ in castris Romanorum erant imprimis duæ, altera hosti adversa, quæ *Prætoria* dicebatur: altera quasi postica & priori opposita, quæ *Decumana* vocabatur.

*Secundo.* Prospera quælibet appellantur secunda, quia sequuntur quasi vota nostra, & illis obsecundant.

5. *Veneris.* Hæc Marti amica erat, ut fabulis proditum.

6. *Samiâ, &c.* Juno, Martis mater, maximè colebatur in insula Samo: est illa in Ægeo mari.

8. *Togatus.* Toga civium propria vestis erat: ut sagum militum. Sat. I, nota 81; II, nota 45; III, nota 115.

Audeat excussos prætori ostendere dentes,
Et nigram in facie tumidis livoribus offam,
Atque oculos medico nil promittente relictos.
Bardaicus judex datur hæc punire volenti:
Calceus, & grandes magna ad subsellia suræ,
Legibus antiquis castrorum, & more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra,
Et procul a signis. Justissima centurionum
Cognitio est igitur de milite; nec mihi deerit
Ultio, si justæ defertur causa querelæ.

*oculosque non effossos omnino, sed ita vulneribus attritos ac deformatos, ut medicus eos in integrum restitui ac sanari posse diffidat. Quod si tamen civis militem in jus vocet ad pœnas expetendas, statuetur controversiæ judex Tribunus militum, Bardaicâ indutus veste. Huic assident Centuriones cum suis grandibus calceis, & magnis torosisque cruribus, ac vasto corpore subsellia tota implent: nempe ut serventur priscæ leges, & Camilli præscriptum, quo vetantur milites extra vallum causam dicere. Æquissimum est, inquis, ut de militis causa cognoscant Centuriones, qui sunt illius germani judices, quorum est spectata probitas & justitia; atque adeo fieri non potest, quin pœnas mihi det miles, si me ab eo injuriâ affectum, & justas esse meas querelas ostendero. Esto sanè, at cohors tamen integra est infesta, & omnes manipuli*

11. *Offam.* Propriè significat *frustum carnis, panis*, &c. hîc pro *tubere*, pro *carne livida*, & *plagis contusa* sumitur.

13. *Bardaicus.* Vox deducta a Bardis Galliæ pridem populis. Bardaicus *est* Judex vestitus bardaico, quæ vestis erat bardorum, crassa & villosa. Bardi porro, erant Gallorum cantores quidam & Philosophi, sed crassa & pingui Minerva eruditi. Hâc veste utebantur vulgò iidem Galli, præsertim in Santonibus, itemque Romani milites.

*Datur.* A Prætore, qui jus dicit civibus.

14. *Calceus, &c.* Subaudi *apparet*, aut aliquod ejusmodi verbum. Adsunt ad litem dijudicandam & sedent in subsellis Centuriones calceis militaribus & caligis induti.

15. *Camilli.* Sat. II, nota 112. *Camilli.*

17. *Justissima, &c.* Fingitur hæc civis dicere.

18. *Cognitio.* Litem cognoscere dicuntur judices, cùm testes, cùm circumstantias facti exquirunt, expendunt que.

Tota cohors tamen est inimica, omnesque manipli
Consensu magno officiunt. Curabitis ut sit
Vindicta gravior quàm injuria? Dignum erit ergo
Declamatoris Mutinensis corde Vagelli,
Cùm duo crura habeas, offendere tot caligatos,
Millia clavorum. Quis tam procul absit ab urbe?
Præterea, quis tam Pylades molem aggeris ultra

*unâ voce adversantur, atque obstrepunt. Quid igitur proficietis tu, ac togati quicumque militem accusabunt? Efficietis hoc utique unum, ut dum vindicare vultis injuriam, milites omnes habeatis inimicos, & graviora vobis arcessatis mala, quàm ipsa fuerat injuria, pro qua judicem interpellastis. Itaque tam stolidè facis, quisquis militem vocas in jus, quàm Vagellius ille Mutinensis caustidicus, qui pessimas semper causas suscipit defendendas. Quàm est enim temerarium, cùm duo tibi tantùm sint crura, eâque minimè cereis munita, offendere tot Centuriones, tot milites, quorum caligæ ferreis clavis omni ex parte sunt præfixæ? Age verò, quem reperias tam hebetem ac rusticum, tam ignarum urbani moris, quem adeo tibi amicum, tam prisco illi Pyladæ similem, ut vallum transire, & in castra media tecum progredi, ad dicendum contra*

20. *Cohors.* Pars legionis. Decem in singulis legionibus cohortes peditum erant, totidem equitum turmæ. Sat. I, nota 45.

*Manipli.* Cohors tres manipulos complectebatur: manipulus duas militum centurias. Erant igitur in qualibet cohorte manipuli triginta. Legio modò quatuor, modò quinque, aut sex etiam peditum millia, equites ducentos trecentosve continebat.

22. *Vindicta.* In hac voce producitur ultima syllaba, ob duas consonantes a quibus inchoatur vocabulum sequens.

23. *Mutinensis.* Mutina *Modene*, urbs Italiæ, Ducatus caput, in Longobardia.

*Vagelli.* Inepti rabulæ, qui periculosas & iniquas defendere solebat causas.

24. *Caligatos.* Caliga, est quædam ocrea militaris & calceamentum, clavis præfixum ad ornatum & munimen.

26. *Pylades.* Filius fuit Strophii Regis Phocensium, cujus in aula cùm educatus Oreste fuisset, illi tam arctâ conjunctus amicitiâ est, ut in specimen & exemplum germanæ perfectæque amicitiæ ambo proponantur.

*Aggeris.* Agger est humus aggesta, quæ palis & fudibus muniebatur ad castrorum tutelam, *la clôture du camp, palissades.*

Ut veniat? Lacrymæ ſiccentur protinus, & ſe
Excuſaturos non ſollicitemus amicos.
Da teſtem, judex cùm dixerit: audeat ille
Neſcio quis, pugnos vidit qui, dicere, vidi;
Et credam dignum barbâ, dignumque capillis
Majorum. Citiùs falſum producere teſtem
Contra paganum poſſis, quàm vera loquentem
Contra fortunam armati, contraque pudorem.
Præmia nunc alia, atque alia emolumenta notemus
Sacramentorum. Convallem ruris aviti
Improbus, aut campum mihi ſi vicinus ademit,
Aut ſacrum effodit medio de limite ſaxum,
Quod mea cum vetulo coluit puls annua libo;
Debitor aut ſumptos pergit non reddere nummos,

*militem teſtimonium, audeat? Omitte igitur lacrymas, noli amicos urgere, qui te rogaturi ſint ut ſe habeas excuſatos. Cùm judex teſtem proferri petet, ubi reperietur aliquis, tam audax & præſidens, tametſi rixam totam & pugnos militis in tuo recentes ore viderit, qui ſe vidiſſe affirmet? Egò verò, ſi quis ſit ejuſmodi, hunc dignum priſcâ majorum noſtrorum probitate, barbâque judicabo. Longè faciliùs, mihi crede, falſus teſtis in civem invenietur quàm verus in militem, qui ejus fortunas aut famam lædat. Expendamus alia non pauca militiæ commoda. Si vicinus nequam & avarus abſtulit mihi agrum collibus cinctum, a majoribus mihi relictum: ſi emovit lapidem, quo limites agrorum ac termini notantur, quem certis ſacrificiis, pultem, ac placentas, ipſe imponens, veneror quotannis; ſi debitor negat mihi reſtituere mutuos, a me quos*

31. *Dignum barbâ, &c.* Romani veteres erant intonſi, nec barbam radebant: iidem eximiè probi.

33. *Paganum.* Ruſticum, degentem in pago, ruri verſantem.

36. *Sacramentorum.* Militum qui ſacramento adiguntur. Sacramentum erat juſjurandum, quo apud Imperatorem obſtringebantur milites, ac ſpondebant ſe militiam non deſerturos, numquam ſe arma contra Rempublicam capturos, &c.

39. *Quod mea, &c.* Deo Termino ſacra faciebant & ſaxis, quibus agri definiebantur; pultem, ac liba imponebant.

*Vetulo.* Quia vetus agri poſſeſſor ſum ac dominus.

Vana

Vana ſupervacui dicens chirographa ligni:
Exſpectandus erit, qui lites inchoet, annus
Totius populi: ſed tunc quoque mille ferenda
Tædia, mille moræ; toties ſubſellia tantùm
Sternuntur; jam facundo ponente lacernas
Cæditio, & Fuſco jam micturiente, parati
Digredimur, lentâque fori pugnamus arenâ.
Aſt illis, quos arma tegunt, & balteus ambit,
Quod placitum eſt, illis præſtatur tempus agendi,
Nec res atteritur longo ſufflamine litis.
Solis prætereà teſtandi militibus jus
Vivo patre datur: nam quæ ſunt parta labore
Militiæ, placuit non eſſe in corpore cenſûs,
Omne tenet cujus regimen pater. Ergo Coranum
Signorum comitem, caſtrorumque æra merentem,

*accepit, nummos, & chirographum, quod ipſius manu appoſitum illi oſtendo, falſum eſſe dicitat: hæc, inquam, ſi apud judices perſequi velim, exſpectandum erit dum annus integer elabatur, dum totius populi deciſæ ſint lites, quæ ante meam fuerint ad forum delatæ: ubi verò meæ tempus advenerit, ſexcentas moras ac tædia perferre oportebit. Modò ſubſelliis imponuntur duntaxat tapetes: modò Cæditius, eloquens ille patronus, lacernâ depoſitâ, ſe ad perorandum accingit; modò Fuſcus ad mittendum lotium diſcedit: aderamus paratè, abeundum, cauſa in alium diem procraſtinanda. Sic more gladiatorum ſegniter dimicantium, lentè lis inchoata diſceptatur. Illis verò qui balteo & armis inſignes ſunt, quodcumque commodum eſt dicendæ cauſæ tempus, conceditur, nec ſuas opes dilapidant damnosâ litium diuturnitate ac morâ. Huc adde, quod ſoli milites hoc jure gaudent, ut vivente adhuc patre condere teſtamentum poſſint; ſic enim legibus cautum eſt, ut bona caſtrenſia, & e militium ſtipendiis profecta, non cenſeantur eſſe pars patrimonii, neque in iis bonis numerentur quorum dominium penes militis patrem eſt. Itaque pater Corani ſtipendia facientis & inter ſigna degentis, illi quam-*

41. *Vana, &c.* Lege Satiram XIII, v. 137.

45. *Lacernas* Vel ut æſtum depoſitâ graviori veſte levet, vel ut togam judicum propriam ſumat.

50. *Sufflamine.* Impedimento, remorâ, Sat. VIII, nota 146.

Quamvis jam tremulus, captat pater. Hunc labor æquus
Provehit, & pulchro reddit ſua dona labori.
Ipſius certè Ducis hoc referre videtur,
Ut qui fortis erit, ſit feliciſſimus idem;
Ut læti phaleris omnes, & torquibus omnes.

*vis jam ſenior, blanditur, ejuſque ambit hereditatem. Coranus interim honeſtis militiæ laboribus ad honores promovetur, & ampliſſimum operæ pretium fert. In quo non tantùm militis honor, & utilitas agitur, ſed etiam Imperatoris ac Ducis gloria, cujus intereſt plurimum, ut qui virtute ac fortitudine ceteris præſtat, idem pulcherrimis præmiis cohoneſtetur, & omnes ſtrenui milites torquibus, phaleris, ac ceteris ornamentis militiæ decorentur.*

60. *Phaleris.* Phaleræ ſunt ornamenta quædam equorum, e collo ipſorum fluitantia.

*Finis Decii Junii Juvenalis Satirarum.*

# AULI PERSII FLACCI *SATIRÆ.*

## PROLOGUS.

*Ait se, cùm optimus poëta non sit, rude carmen scribere : cùmque multi famam & gloriam scribendo captent, plures etiam lucri causâ id faciant, se neutrum spectare.*

NEC fonte labra prolui Caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repentè sic poëta prodirem.

*NUMQUAM e fonte Hippocrene bibi, neque memini me umquam in Parnasso dormivisse, ut subitò poëta*

*Persii.* Aulus Persius Flaccus natus est in ea parte Italiæ, quæ Etruria dicitur, Volaterris, anno ab Urbe condita 790, Tiberii 21. Romam, litterarum causâ cùm venisset, ibi Cornuti, philosophi celeberrimi, discipulus fuit. Sex satiras scripsit, quibus, ut Quintilianus testatur, multum veræ gloriæ meruit. Extinctus est morbo, anno ætatis 30.

1. *Caballino.* Caballus idem sonat atque equus. Fingunt Poëtæ equum Pegasum ex Heliconis montis vertice ungulâ fontem elicuisse, quî fons Caballinus, seu Pegaseus appellatus sit, Græcè *Hippocrene*, quasi diceres, *fons equi. Labra autem proluere in fonte*, est, *ex fonte aquam haurire potandam.*

2. *Bicipiti.* Parnassus fuit mons Phocidis in Græcia duos habens vertices, seu capita.

*Somniasse.* Vel quia Poëtæ sæpe delirant ac mera fingunt somnia : vel quia Ennius profitetur se, cùm aliquan-

Heliconidasque, pallidamque Pirenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederæ sequaces. Ipse semipaganus,
Ad sacra vatum carmen affero nostrum.
Quis expedivit psittaco suum χαῖρε?
Corvos quis olim concavum salutare,

*evaderem. Musas & loca illis consecrata, ut fontem Pirenen, numquam adivi; sed illis hoc relinquo, qui in bibliotheca Palatini Apollinis statuas hederâ coronatas habent: ipse tamen, quamvis poëta sim rudis ac pœne rusticus, ad vatum sacram ædem hoc meum carmen affero. Quis docuit psittacum pronuntiare tam expeditè vocem illam Græcam χαῖρε tamquam si sua & naturalis esset? Quis docuit corvum e cavo & rauco gutture proferre vocem hanc*, Salve? *Quis picas docuit, nostras hominum vo-*

do in Parnasso dormiret, vidisse in somnis Homerum, qui affirmaret suam animam in ipsius Ennii corpus transmigrasse, & ita se poëtam repentè, parem Homero, factum.

4. *Heliconidasque.* Musas ita dictas ab Helicone, monte Bœotiæ, non procul a Parnasso.

*Pirenen.* Pirene, fons Musis sacer, fluit e monte Acrocorintho, ad cujus radices Corinthus, Græciæ civitas, est. Ita dictum ferunt a Nympha quadam Pirene, quæ cùm dolore amissi filii contabesceret, in fontem a Neptuno mutata est. Pallidam autem Persius vocat, quia poëtæ nimio studio impalleseunt.

5. *Quorum, &c.* Poëtis præstantioribus imagines & statuæ ponebantur, hederâ coronatæ; quòd hedera Bacho sacra sit, cujus in tutela sunt poëtæ. Sequacem autem hederam appellat, quia facilè adhæresit, & ramulis suis ad arborum fastigia prorepit.

*Lambunt.* Ambiunt.

6. *Semipaganus.* Pagani sunt rustici, qui in pagis habitant, & ab urbanis ut barbari & profani contemnuntur. Semipaganus est, *semirusticus*, *semidoctus*.

7. *Sacra vatum.* Intelligit ædem Musarum & Apollinis, ab Augusto exstructam, ad quam poëtæ sua deferre opera solebant, ut ibi servarentur.

8. *Psittaco.* Docentur psittaci pronuntiare voces illas, *Ave*, *Salve*, *&c.* quibus Dominos, domum subeuntes, salutent.

*Suum χαῖρε.* Quasi propriam aviculis istis salutandi rationem. χαῖρε significat *Ave*.

9. *Corvos.* Augustus ab Actiaca victoria cùm rediret, occurrit illi Romanus

Picasque docuit verba nostra conari?
Magister artis, ingenîque largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.
Quòd si dolosi spes refulserit nummi,
Corvos poëtas & poëtrias picas
Cantare credas Pegaseïum melos.

*ces cum labore & conatu exprimere? Certè id docuit fames & venter jejunus, qui omnes artes addocet, & ingenium largitur etiam brutis, & avibus, qui dociles illas & ingeniosas facit ad consequendas & exprimendas voces humanas, quas natura ipsis negavit. Quod si lucri spes affulgeat, si sperent homines indocti & egentes posse scribendo ditescere; statim corvi fient etiam poëtæ, & illæ garrulæ atque absurdæ picæ, instar poëtriarum, ita canent suaviter, ut audire te credas melos, quale in Parnasso ipso potest audiri suavissimum.*

civis, corvum manu tenens, qui hæc humana verba protulit, *Ave Cæsar victor.* Corvum hunc Augustus emit 2000 nummûm, hoc est 2000 libris Turonicis. *Macrob. lib. 2, cap. 4.*

12. *Artifex sequi, &c.* Qui venter instar periti artificis, dat facultatem feris & avibus, ut assequantur voces humanas, ipsis a natura non concessas.

13. *Dolosi.* Quo homines, ut escâ dolosâ, capiuntur.

14. *Corvos.* Corvi fient poëtæ, & picæ poëtriæ; nec tantùm loqui hominum more discent, sed versus, instar poëtarum facient, & melos Pegaseïum canent, hoc est, carmina dulcissima & optima, qualia sunt, quæ elaborantur ad Pegasi fontem. *Sententia esse etiam hæc potest:* poëtæ non minùs inepti ad canendum, quàm corvi, & poëtriæ non minùs insulsæ, quàm picæ, tam audacter scribent carmina, tam fidenter illa recitabunt, ut credas te audire opera omnibus numeris absoluta.

15. *Cantare credas.* Subaudi *posse*: adeo potens est lucelli cupido, durisque urgens in rebus egestas.

*Pegaseïum.* Egregium carmen, quale composuerit is qui ex Hippocrene biberit.

*Melos.* Hic primam syllabam producit, ut in eadem voce Græca Homerus produxit, & Ennius in eadem Latina.

# SATIRA PRIMA.

*Invehitur in varia poëtarum & oratorum vitia.*

O Curas hominum! o quantum eſt in rebus inane!
A. Quis leget hæc? P. Mîn' tu iſtud ais? A. Nemo Hercule. P. Nemo?
A. Vel duo, vel nemo: turpe, & miſerabile. P. Quare?
Ne mihi Polydamas, & Troïades Labeonem

*O ineptas hominum curas! o quantum inanitatis in rebus humanis eſt! Quis hæc, o Perſi, quæ tam præclarè incipis, leget? Tune, o amice, me alloqueris? tune mihi iſtud dicis? Ita eſt, teipſum alloquor; nemo ea leget profectò. Itane eſt, nemone iſta leget? Duo ad ſummum, ea legent, vel potius nemo unus leget: quod ſanè indignum eſt & miſerabile. Cur autem? Scilicet vereris ne Labeonem, inſulſum poëtam, Nero ac Romani mihi præferant? quaſi verò ea me ratio deterrere a ſcribendo debeat. Erras, ſi, in æſtimandis rebus, ſtandum*

1. *O curas hominum, &c.* Fingitur Perſius ſatiram inchoare ab hoc verſu; tum ſupervenire aliquis a quo interpelletur ſubitò, & a ſcribendo deterreatur, eo nomine, quod quæ ſcribit, a nemine legenda ſint.

3. *Vel duo, vel.* Quidam hæc verba Perſio tribuunt, quaſi diceret, vel duo vel tres iſta legent; tum amicus reſponderet: nemo unus leget.

4. *Ne mihi Polydamas.* Scilicet verebor quod olim Hector veritus eſt; ne, &c. Legunt nonnulli *næ*, id eſt, *certè*. *Polydamas.* Sumptum eſt hoc ex Iliadis, lib. 22, ubi Hector ſtatuit in ſingulare certamen cum Achille deſcendere, aitque ne id faciat, vereri ſe reprehenſionem Polidamantis, ac Trojanarum. Eâdem allegoriâ utitur Cicero ad Atticum, ubi per Troïades ſeu Trojanas, *Romanos imbelles* & *effœminatos* intelligit. Perſius nomine Polydamantis Neronem putatur deſignare qui ſe inter poëtas numerari gaudebat, deque aliorum carminibus ferre ſententiam. Itaque cùm ſibi Lucanum præferri cerneret, eum mori juſſit.

*Labeonem.* Attius Labeo ineptus poëta. Infrà nota 47.

Prætulerint? nugæ. Non si quid turbida Roma
Elevet, accedas, examenve improbum in illa
Castiges trutina. Nec te quæsiveris extra.
Nam Romæ quis non? Ah, si fas dicere! sed fas;
Tunc, cùm ad canitiem, & nostrum istud vivere triste
Adspexi, & nucibus facimus quæcumque relictis,

*putas judicio Romanorum. Non, si quid illi contemnunt, accedere debes ad eorum opinionem, aut de illorum judicio, tamquam de iniqua trutina, reprehendendo admodum laborare. Noli te quærere extra te; noli te ex aliorum judicio & sensu potiùs quàm ex tuo æstimare. Nam Romæ quis non est rerum iniquus æstimator? Cujus judicium, cujus vita non est corruptissima? Ah! si mihi fas esset vitia Romanorum insectari liberè! Cur autem non licet! nonne fas videtur esse, cùm intueor ipsorum senum occupationes, & vitam gravitatis & virtutis, in speciem, plenam? ubi adspicio ea scelera quæ admittimus, cùm pueritiâ egressi sumus, cùm graves & severi existimari volu-*

5. *Turbida Roma.* Turbidos autem Romanos vocat qui non ex ratione sed ex perturbatione vitiosa temerè ac turbidè judicent.

6. *Elevet.* Elevare interdum est, *extollere*, *augere*; interdum *minuere*, *criminari*, *damnare*, ut hoc loco.

*Examen.* In libra est *jugum*, seu *transversum ferrum*, ex quo hinc inde pendent lances. In medio jugo prominet acumen ferreum, seu stylus, aut lingula: includitur autem illa lingula in oblongo foramine, quod est in ansa, quâ libra tota tenetur manu: in quo foramine si se lingula contineat, neque huc vel illuc vergat, intelligitur esse libra in æquilibrio. Castigare autem examen, est, *digito libram*, seu *libræ jugum percutere*, & *compescere*, ut temperetur ac post agitationem conquiescat, & quo vergat examen, cognoscatur.

7. *Trutina.* Propriè est illud foramen, intra quod libratur bilancis lingula de qua mox. Hic sumitur pro *tota bilance.*

9. *Canitiem.* Vel significat revera *senectutem*, vel *gravitatem quamdam senilem*, quam Romani affectabant, ut virtutem simularent.

*Nostrum vivere.* Nostram vivendi rationem: Græca locutio est. Græci enim infinitivo verbi utuntur pro substantivo nomine.

10. *Nucibus, &c.* Pueri nucibus delectantur: itaque nuces reliquisse est, ad grandiorem ætatem perveniisse.

Cùm ſapimus patruos ; tunc, tunc, ignoſcite.
A. Nolo.
P. Quid faciam ? ſed ſum petulanti ſplene cachinno.
Scribimus incluſi, numeros ille, hic pede liber
Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.
Scilicet hæc populo, pexuſque, togâque recenti,
Et natalitiâ tandem cum ſardonyche albus,

*mus, & cenſores adoleſcentum eſſe tunc, tunc mihi temperare non poſſum quin ſatiram ſcribam : parcite, o Romani, ſi veſtros mores inſector. Abſtine porrò, nolo ſcribas quidquam. Quid faciam igitur ? ſilebone ? ſed ſum ad riſum & dicacitatem propenſior, abſtinere me non poſſum. Scribimus, in muſeum abditi, alius verſibus, alius ſolutâ & liberâ pedibus oratione ; ſcribimus, inquam, aliquid ſublime & ampullatum, quod anhelanti pulmone & voce contentâ recitemus. Nimirum tu populo hæc leges e loco ſuperiori, pexis capillis, & recenti veſte, eâque candidâ & nitidâ indutus, gerens annulum inſignem grandi gemmâ, qualem die tuo natali geſtas ; poſtquam tibi fauces aliquâ*

11. *Cùm ſapimus, &c.* Id eſt, *cùm imitamur patruos.* Patrui fere ſunt ſeveri in ſuos nepotes ; itaque patruus pro *caſtigatore* & *cenſore juniorum* ſumitur, ut nepos pro *libidinoſo* & *prodigo.*

12. *Quid faciam ?* Reſpondet Perſius ; at mihi temperare non poſſum.

*Petulanti.* Is dicitur *petulans* qui hunc & illum abſque pudore petit.

*Splene.* Splen ſedes riſûs eſſe dicitur, ut iræ jecur.

*Cachinno.* Eſt hîc nominativi casûs, cachinno, cachinnonis ; & ſignificat *deriſorem hominem in cachinnos effuſum.*

13. *Scribimus.* Cohærent iſta cum primo verſu : *O curas hominum, &c.* Undecim verſus inter hunc & primum interjecti, legendi ſunt velut intra parentheſim. Inſectatur poëtas inanem gloriam putidè aucupantes ; idque in ſua perſona, quod magis eſt ſatiricum.

*Numeros.* Verſus, qui pedibus ac numeris adſtricti ſunt.

14. *Animæ prælargus.* Anima hîc pro *ſpiritu* & *anhelitu* ſumitur : pulmo animæ prælargus eſt : pulmo amplus, ac multo ſpiritu abundans, qui vocem ingentem emittit, &c.

15. *Scilicet hæc populo.* Excipit ſatiricè Perſius : nempe auram popularem captas ſcriptitando & recitando, & magnam eruditionis opinionem affectas.

16. *Sardonyche.* Sardonyx eſt *gemma ſubrubra & ſubcan-*

Sede leges celsâ, liquido cùm plasmate guttur
Mobile collueris, languenti fractus ocello?
Tun', vetule, auriculis alienis colligis escas?
Auriculis, quibus & dicas cute perditus, ohe! 20
Quò didicisse, nisi hoc fermentum, & quæ semel intus
Innata est, rupto jecore, exierit caprificus?

*dulci potione laveris, ut vox sit tua liquidior & clarior? atque ipse oculis procacibus parum decoros gestus edes inter recitandum? Tune, o senex infelix, componis versus tantùm ad inescandas hominum aliorum aures & delectandas? hominum, inquam, a quibus ipse, quamvis gloriæ avidissimus, tamen adeo putidè lauderis, ut inflatus istis laudibus immodicis, ac propè rumpendus, cogaris dicere, ohe, definite. At, inquis, quò pertinet didicisse & scire aliquid, nisi erumpat ista scientia, ut fermentum quoddam, & exundet ad aliorum cognitionem & famam? nisi latens imo in pectore innata gloriæ cupiditas, ut caprificus, exeat foras & emergat? En igitur, o vates infe-*

*dida*, colorem habens Sardii lapilli, qui rubeus, & Onychis, qui fere albus est.

*Albus.* Vel, indutus veste candidâ, recenti, splendidâ: vel, si magis placet, ob metum & pallorem exalbescens initio dicendi.

17. *Plasmate.* Græca vox est, *potionem* significans, aut *aliquid medicaminis*, quo vox mollis ac lubrica redditur, & quasi fingitur.

18. *Mobile.* Expeditum & tractabile, ad vocem sine asperitate traducendam.

19. *Colligis escas.* Escas, sive epulas, auribus, oculis dare, *est* oculos aureisve aliquâ re suavi oblectare & quasi pascere.

20. *Cute perditus.* Is propriè sic appellatur, qui laborat aquâ intercute: transfertur ad inanis gloriæ cupidum, qui laude numquam satiatur, ut hydropicus aquâ. Potest etiam ducta esse tralatio ab utre cujus pellis nimium inflata dirumpitur.

*Ohe.* Eâ voce utebantur, cùm alicui rei finem esse impositum significarent.

21. *Fermentum.* Intelligitur per fermentum *eruditio*, quæ poëtam inflat ac tumidum facit, (ut farina fermento intumescit) adeo ut eam intra se continere nequeat, quin ostentet aliis.

22. *Caprificus.* Est *ficus sterilis*, quæ nascitur in parietibus & saxa disjicit. Notat hîc inanem illam & sterilem doctrinam, quam gloriæ cupiditas foras profert ad ostentationem, non sine poëtæ damno & ignominia.

En pallor, seniumque: o mores! usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
At pulchrum est digito monstrari, & dicier: Hic est.
Ten' cirratorum centum dictata fuisse,
Pro nihilo pendas? Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ saturi, quid dia poëmata narrent.
Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna est,
Rancidulum quiddam balba de nare loquutus,
Phyllidas, Hypsipilas, vatum & plorabile si quid

*lix, cur libris impallescas? cur te componendo maceres ac fatiges? o tempora, o mores! adeone tua scientia nihil est nisi ab aliis cognoscatur, nisi eruditus habearis? At glorioſum est designari digito; audire, qui dicant de te: Hic ille poëta egregius est. Nonne magnum quiddam est versus tam bonos condere, ut magistri eos dictent plurimis adolescentibus nobilibus quos instituunt? Ecce Romani mediis in conviviis poti & pransi rescire cupiunt quid contineant egregia poëtarum bonorum carmina. Tum aliquis indutus eleganti veste coloris violacei, partem quamdam insulsi carminis recitat balbutiens & loquens naso magis quàm ore; ac versus de Phyllide, Hypsipile, & aliis tra-*

23. *Senium.* Vel ridet poëtam, qui ætate jam decrepitâ gloriolam aucupetur: vel, sumitur hîc *senium*, ut sæpe, pro *vultu severo*, *austeriore vitâ*, *labore* & *sollicitudine*, quâ se fatigant poëtæ in condendis carminibus.

26. *Cirratorum.* Cirri sunt capilli crispati, vel naturâ, vel arte & calamistro, in annulos implexi & cincinnos. Itaque cirrati sunt juvenes eleganti comâ, pexâ, & comptâ cæsarie.

*Ten' dictata fuisse?* Tuane opera argumentum esse thematum, quæ componenda, vel memoriæ mandanda traduntur litteratis juvenibus, an id, inquam, spernis?

28. *Dia.* Id est, *divina*, *polita*, *perfecta*.

29. *Hyacinthina.* Ejusdem coloris, cujus est flos Hyacinthus, nempe violacei. Læna est vestis villosa, quæ aliis imponitur, quâ utebantur in conviviis.

30. *Rancidulum.* Metaphora a carnibus ad corruptionem vergentibus: hîc denotat *aliquid insulsum*.

*Balbâ.* Balbus est, qui vitio linguæ voces malè exprimit. Quod autem est oris proprium, tribuitur hîc naribus, per quas nonnulli turpiter emittunt spiritum inter loquendum.

31. *Phyllidas.* Phyllis, Lycurgi Thracum Regis filia,

Eliquat, & tenero supplantat verba palato,
Assensêre viri: nunc non cinis ille poëtæ
Felix? non levior cippus nunc imprimit ossa?
Laudant Convivæ: nunc non e manibus illis, 35
Nunc non e tumulo, fortunatâque favillâ
Nascentur violæ? Rides ait, & nimis uncis

*gicis argumentis, molliculâ & liquidâ voce recitans, verba frangit atque abrumpit, ea palato molliter illidens: assentiunt illi convivæ & applaudunt. Age, nonne ille poëta post istos plausus habet unde sibi gratuletur, speretque famam sui nominis etiam post cineres mansuram? nonne tumuli terra ipsi levis esse debet? an non ex ejus sepulcro flores & violas nascituras arbitraris? Rides, dicet ali-*

Demophoontem Thesei filium amabat. Is ad Trojam profectus, cùm seriùs quàm promiserat, rediret; illa spretam se suspicata, laqueo sibi fauces præclusit.

*Hypsipilas.* Hypsipile fuit filia Thoantis, Regis Lemni, quæ cùm duos ex Jasone liberos suscepisset, ab eo sprета & destituta fuit.

*Plorabile.* Si quod lamentabile argumentum a vatibus pertractatum est.

32. *Eliquat.* Eliquare propriè *est*, vinum aut alium quempiam liquorem per faceum transmittendo defæcare & percolare, liquidum facere. Sic poëta per fauces certo modo verba transmittit, ut puriora & liquidiora fluant.

*Supplantat.* Hoc de athletis propriè dicitur, qui alterum cum quo luctantur, suppositio pede dejiciunt ac subvertunt; ita recitator ille syllabas ultimas supprimit ac decurtat.

33. *Assensêre viri.* Applaudunt statim omnes, & probant indignas hasce recitandi rationes.

*Cinis ille, &c.* Cùm aliquem beatum esse significabant, dicebant ejus cineres quietos fore, terram leviter ejus ossa pressuram, ex ejus sepulcro flores nascituros.

34. *Cippus.* Lapis est, vel saxea columella, quæ sepulcris imponi solet, cum aliquo elogio & inscriptione.

*Imprimit.* Premit, onerat.

35. *Manibus.* Manes propriè sunt animæ mortuorum. Hìc pro *sepulcro* vox hæc ponitur, quia existimabant veteres mortuorum animas sive umbras, ut vocabant, circa tumulos errare.

36. *Favilla.* Est cinis calidus ignem tegens: bustum intellige, quo mortui poëtæ cadaver crematum est. Possunt autem hæc intelligi omnia, vel *de poëta qui carmen recitavit*, vel *de alio poëta qui ea carmina scripserit*, quæ a nobili recitentur in convivio.

37. *Uncis naribus.* Qui rident effusè, solent nares ex-

Naribus indulges. An erit qui velle recuſet
Os populi meruiſſe? & cedro digna loquutus,
Linquere nec ſcombros metuentia carmina, nec thus?
Quiſquis es, o, modò quem ex adverſo dicere feci,
Non ego, cùm ſcribo, ſi fortè quid aptius exit,
(Quando hæc rara avis eſt) ſi quid tamen aptius exit,
Laudari metuam, neque enim mihi cornea fibra eſt:
Sed recti finemque extremumque eſſe recuſo,
*Euge* tuum, & *Belle*. Nam bellè hoc excute totum,

*quis; iſta per jocum loqueris, & ut poëtas irrideas. Ecquis eſt tam vecors, ut nolit mereri laudem & famam populi? & cùm ea ſcripſerit, quæ in cedrinis ſcriniis mereantur aſſervari, non gaudeat relinquere poſteritati carmina egregia, quæ non metuant ne deferantur ad ſalſamentarios, ad conficienda mercibus involucra? O tu, quiſquis es, quem induxi hæc mecum modò loquentem, non is ſum qui laudem omnem reſpuam, ſi quid paulò concinnius a me ſcriptitatum in lucem exierit (quamquam hoc admodum rarum eſt) neque enim adeo ſum ſtupidus, ut laudis ſenſu caream: ſed nego laudem ipſam & illas præclaras acclamationes*, Euge, bellè, *quibus poëta excipitur, ſpectandas eſſe tamquam finem vati bono propoſitum.*

tremas attollere & corrugare.

39. *Cedro.* Hæc arbor cariem non ſentit, ut etiam cupreſſus: immo quæcumque illinuntur ſucco cedri, ſunt carie tineiſque immunia.

40. *Scombros.* Scombri ſunt viles piſciculi; qui ſolent ineptis chartis & inutilibus involvi, ut aliæ id genus merces, v. g. thus.

41. *Quiſquis es.* Sunt verba Perſii, quibus eleganter diſtinguit finem rectè facti. Dicitque ſe non reſpuere laudem virtuti numquam non adjunctam, non tamen eam ſpectare velut ultimum finem.

43. *Rara avis.* Phœnicem indicat famoſam illam avem, quam in orbe toto unicam eſſe Plinius ſcribit; vel, inuſitatas aves aut peregrinas, qualis eſt corvus albus, cycnus niger.

44. *Fibra.* Hîc pro *jecore* ſumitur quod multas habet fibras, & in quo voluptatis & doloris ſedes ponitur; vel pro *corde*. Corneum autem hîc, eſt, ſenſûs expers, durum, quod amore laudis non tangitur: cornu enim ſenſu caret.

46. *Euge, bellè.* Duas illas aſſentatorias voces quas tanti facis.

Quid non intus habet? Non est hîc Ilias Attî,
Ebria veratro: non si qua elegidia crudi
Dictarunt proceres, non quidquid denique lectis
Scribitur in citreis. Calidum scis ponere sumen: 50
Scis comitem horridulum tritâ donare lacernâ:
Et, verum, inquis, amo, verum mihi dicito de me:
Qui pote? Vis dicam? nugaris, cùm tibi, calve,
Pinguis aqualiculus protenso sesqui pede extet.

*Expende enim illas adulantium voces; quid inanitatis non habent? ab ejusmodi plausu captando longè absum. Non scribo carmina similia Iliadi Attii Labeonis, qui multo elleboro bilem purgare solet, atque ingenium excitare: non molles elegias condo, quales poti & pransi nobiles, inter vina componunt: non alia id genus carmina, quæ vates locupletes in lectulis e citro factis scribunt. Tu, o poëta dives, nosti amicos adulatores convivio excipere; asseclæ & comiti tuo vestes donare: tum sic eum alloqueris: Amo verum, dicito mihi quid sentias verè de meis carminibus. At quo pacto potest iste, tuis ornatus muneribus, verum tibi de te dicere? Vis dicam ego? aio te meras nugas & ineptias scribere: nec mirum, cùm totus saginâ & adipe diffluas, & venter obesus tibi promineat uno pede ac di-*

47. *Ilias.* Poëma de excidio Trojæ, quæ dicebatur etiam Ilium.

*Attî.* Attius Labeo poëta insulsus, Neroni nihilominus carus, tum eo quòd Homeri totam Iliadem ad verbum converterit in sermonem Latinum, licèt inornatè & ridiculè.

48. *Veratro.* Veratrum est album elleborum, quo purgatur cerebrum, & ingenium acuitur.

*Elegidia.* Parvas elegias.

*Crudi.* Laborantes cruditate stomachi, ob nimium cibum & indigestum.

49. *Lectis.* Solebant poëtæ recumbentes in lectulis scriptitare: fiebant autem e citro, arbore pretiosâ, divitum lectuli.

50. *Sumen.* Quasi fugimen, est mamma suis: ex quâ fiebat genus farciminis, Romæ olim in deliciis habitum.

*Ponere.* Hîc, *est* apponere, epulandum dare.

51. *Horridulum.* Frigore trementem.

53. *Qui pote?* Quomodo id fieri potest? nempe ut verum tibi de te dicat. Pote neutrum est a latino veteri vocabulo Potis, & hoc pote, *id est*, potens, sive possibilis & hoc possibile.

*Calve.* Irridentis est: ineptum ac hebetem notat.

O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas;
Nec linguæ, quantum sitiat canis Apula, tantum.
Vos, o Patricius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ.

*midio protensus. O felicem Janum, qui, cùm haberet geminum vultum & oculos in occipitio, non poterat a tergo illudi, sive aliquis, rostrum ciconiæ porrectis digitis imitatus, eum quasi tundere ac vellicare isto rostro fingeret; sive admoto ad aures pollice & reliquam manum movendo, asininas aures repræsentaret; sive linguam tantam exereret quantam canes exerunt in Apuliâ per æstatem. At vos o Romani nobiles, quibus licet honestè vivere, & cum dignitate, videte ne quis adulator vos imprudentes a tergo*

54. *Aqualiculus.* Vas est quo escam porci sorbent; item ipsius porci venter: hìc pro *ventre obeso* ponitur, qui in anteriorem partem turgeat: homines autem crassi & pingues vix ingeniosi sunt.

55. *O Jane.* Janus, Italiæ Rex antiquissimus, quòd esset prudentissimus, ac præteritorum memoriâ uteretur ad providentiam futurorum, *bifrons* appellatus est, ac *duplicem vultum habere* dictus *adversum & aversum.*

*Ciconia.* E digitis, altero, quem indicem vocamus, extento, altero subjecto, nempe pollice, ciconiæ rostrum exprimitur. Primum derisionis genus.

*Pinsit.* Pinsere, est *crebrò tundere*, ut aves quæ rostro aliquid percutiunt. Hinc pistor, qui farinam tundendo subigit.

56. *Nec manus auriculas.* Alterum est derisionis genus, appositis ad tempora pollicibus, alios digitos & reliquam manum movere eo modo quo asinus movet aures.

*Albas.* Asini aures introrsum pilis albis sparsæ sunt.

57. *Nec linguæ, &c.* Ordo est: nec sannio quispiam imitetur tantùm linguæ, seu linguam tantam, tam longè extensam quantam porrigit sitiens canis Apula.

*Apula.* Apulia est regio Italiæ ficca & arida.

58. *Patricius sanguis.* Primi Senatores a Romulo creati, vocati sunt *Patres*, & eorum filii, *Patricii*: sumitur hìc pro *quibuslibet nobilibus.*

*Vivere.* Quos nulla res, non ignobilitas, non rei familiaris angustia, cogit famam indecorem captare, adulatoribus servire.

59. *Occipiti, &c.* Occurrite illis sannis, vitate ludibria & cavete, quæ fiunt illis qui habent cæcum occiput, qui carent oculis in posteriore capitis parte.

*Posticæ Sannæ.* Sanna fit,

Quis populi sermo est? quis enim? nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per læve severos
Effundat junctura ungues? Scit tendere versum
Non secus ac si oculo rubricam dirigat uno:
Sive opus in mores, in luxum, & prandia Regum
Dicere, res grandes nostro dat Musa poëtæ.

*irrideat. Petitis* v. g. *ab ejusmodi assentatoribus quid dicat populus de vestris carminibus. Enimvero (illi respondent) quid potest aliud populus dicere, nisi ea carmina esse admodum numerosa & profluentia, adeo lævia & polita, ut eorum junctura ne deprehendi quidem possint, ungue admoto & impresso? adeo exactè composita, ut nulli fabri lignarii rectius notent rubricâ lineas in trabibus, oculo uno aperto, altero clauso. Dicent Musas vobis favere scilicet, ac, sive in mores, sive in luxum & divitum sumptus profusos scribatis, vos id egregiè ac splendidè facere. Vide-*

cùm aliquis alium irridet contorto vultu, labiis contractis, &c. *Posticus, postica, posticum*, est *id quod a tergo fit*; anticum, *quod ante oculos.*

60. *Quis populi sermo est?* Verba Poëtæ vanæ gloriæ cupiditate excœcati. Quid de meis versiculis sentit populus? inquit.

*Quis enim?* Quis alius possit esse populi sermo, &c. Responsio adulatoris.

61. *Ut per læve, &c.* Ordo est: ita ut junctura effundat per carmen politum & læve, ac transmittat severos ungues. Artifices & marmorarii hinc intelligunt bene juncta esse duo marmora, si ungues commissuram explorantes non adhæresceant, sed inoffensi effundant se in politum marmor & transmittantur suprà juncturas, quasi nullæ essent.

62. *Scit tendere.* Hoc populus de illo poëtâ dicere fingitur ab adulatore: tam peritè scribit versum, nihil ut in eo curvum & pravum sit: non secus ac si faber lignarius, alterum oculum claudens, supra trabem funiculo dirigat lineam & eam rubricâ, seu terrâ rubrâ notet.

63. *Rubricam.* Genus est terræ fossilis, coloris rubri. Rubrica est utilis ad notandas lineas, Architectis, &c.

*Oculo dirigat uno.* Metaphora a fabris, qui lineam ducturi rectam, & hanc seu cretâ seu rubricâ notaturi, alterum claudunt oculum, ne radii visuales distrahantur, & aberrent.

64. *Prandia Regum.* Vel Regum nomine Romanos divites intelligit, ut sæpe Juvenalis; vel illas tragicas Atrei & Thyestæ epulas significat.

Ecce modò heroas ſenſus afferre videmus,
Nugari ſolitos Græcè: nec ponere lucum
Artifices, nec rus ſaturum laudare, ubi corbes,
Et focus, & porci, & fumoſa Palilia fœno:
Unde Remus, ſulcoque terens dentalia, Quincti,
Quem trepida ante boves Dictatorem induit uxor,
Et tua aratra domum lictor tulit. Euge poëta.
Eſt nunc Briſei quem venoſus liber Accî:

*mus nunc in tractandis heroïcis argumentis verſari, & graves ſententias proferre, illos qui vix commodè levia quædam argumenta, ut odas, epigrammata & alias ejuſmodi nugas, Græculorum more, ſcribere poterant: qui vix habebant ſatis induſtriæ & artificii poëtici ad deſcribendam ſylvam aliquam amœnam, aut ad laudandum rus fructuum copiâ redundans, & ruſticorum vaſa viminea, focum, feſta celebrari ſolita in honorem Palis Deæ ruſticorum, in quibus accenduntur pyræ e fœno & ſtipulis cum ingenti fumo: quo ex rure orti ſunt Remus & Romanæ urbis proceres, & tu, o Quincti Attili Cincinnate, qui terram arabas, cùm te uxor, Dictatoris inſignibus ante ipſum tuum aratrum induit, atque aratrum lictores domum tuam retulerunt. Perge, o Poëta imperite, verſare in magnis argumentis, qui ne iſta quidem minuta tractare cum dignitate potes. Sunt, qui delectentur legendis & imitandis Accii libris aſperis & ſalebroſis, & tragœdiâ Pacu-*

66. *Ecce modo, &c.* Secundum Poëtarum vitium agitat: quòd argumenta ſuis viribus imparia ſumant ad ſcribendum.

69. *Palilia.* Hæc feſta celebrantur xx Cal. Maias, quo die urbs a Romulo condita credebatur: & ignem e fœno conſtatum paſtores tranſiliebant, ita ſe expiari arbitrantes.

70. *Dentalia.* Dentale eſt pars aratri, in qua eſt vomer, qui dentis inſtar tellurem mordet, ac ſulco atteritur.

*Quincti.* Quinctium Attilium, qui Cincinnatus & Serranus etiam cognominatus eſt, Romani Dictatorem bello Samnitico creaverunt, in agro terram colentem. Is ad bellum profectus, Conſulem Romanum ab hoſtibus obſeſſum liberavit, hoſtium Ducem accepit in deditionem, & confecto poſt 16 dies bello, ad aratrum rediit depoſitâ Dictaturâ.

71. *Trepida.* Rei novitate perculſa: vel feſtinans & ſedula.

73. *Eſt nunc, &c.* Tertium quoddam poëtarum vitium inſectatur, qui antiquam & obſoletam ſcribendi rationem affectabant.

*Briſei.* Briſeus eſt Bacchî

Sunt quos Pacuviuſque, & verrucoſa moretur
Antiopa, ærumnis cor luctificabile fulta.
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Cùm videas, quæriſne, unde hæc ſartago loquendi
Venerit in linguas? unde iſtud dedecus, in quo

*vii, quæ Antiopa dicitur, ſtylo inculto & inæquali ſcriptâ, quam Antiopam Pacuvius dicit habere cor luctificabile fultum ærumnis. Cùm autem videas patres jam ſenes hortari pueros & monere ut ejuſmodi poëmata legant, non mirabere, ſi Latinus ſermo nunc tam corruptus eſt ac mixtus verbis obſoletis, ſi eſt plenus etiam vocibus turpibus & propudioſis, quas Romani juvenes culti & polituli audiunt*

epithetum, ita dicti ab quodam loco in Lesbo inſula, ubi colebatur, vel a voce Græca, quæ tumidum & æſtuantem ſonat: ita vocatur Accius poëta, vel quia poëtæ ſunt in tutelâ Bacchi, vel quia tragici poëtæ ſolent deſævire atque ampullari vehementiùs.

*Venoſus.* Inæqualis, turgidus: ut venæ, quæ in ſummâ cute exſtantes, tortuoſæ & inæquales ſunt.

*Acci.* Fuit Accius poëta vetus, æqualis Pacuvii: tragœdias ſcripſit ſummâ ſententiarum gravitate, duriori tamen ſtylo.

74. *Pacuvius.* Poëta fuit Italus antiquiſſimus, Ennii nepos, tragicorum apud Latinos princeps.

*Verrucoſa.* Verruca eſt exiguum tuber, quod in articulis digitorum enaſcitur inſtar nodi. Significatur *tumidus hujus tragœdiæ ſtylus inæqualis, & horridior.*

75. *Antiopa.* Fuit uxor Lyci Thebanorum Regis, mater Amphionis & Zethi, quæ a Jove gravida cùm eſſet, repudiata eſt a Lyco, qui Dircem duxit: ea Dirce crudelem in modum Antiopam vexavit: hinc ærumnarum illius cauſa, quibus ita erat oblita, ut iis ſulciri & ſtare dicatur.

*Ærumnis fulta.* Id eſt, ſuis ſe miſeriis ſuſtentans, indurans: vel circumcincta calamitatibus. Metaphora, quam ex ipſo Pacuvio depromptam hîc reprehendi nonnulli autumant: ſicut & vocem *luctificabile.*

76. *Hos pueris monitus.* Nempe ut veteres Poëtas ſectentur.

77. *Sartago.* Eſt patella ferrea ore amplo, modico margine, in quâ carnes, piſces & farcimina friguntur ac torrentur: ſumitur hîc pro *confuſione verborum obſoletorum & mixtione.*

78. *In linguas.* In communem hominum ſermonem.

*Dedecus.* Loquendi corruptela.

Troſſulus exſultat tibi per ſubſellia lævis.
Nilne pudet capiti non poſſe pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire, *Decenter?*
Fur es, ait Pedio: Pedius quid? crimina raſis
Librat in antithetis, doctas poſuiſſe figuras
Laudatur: *Bellum hoc.* Hoc bellum? an, Romule, ceves?
Men' moveat quippe, & cantet ſi naufragus, aſſem
Protulerim? cantas, cùm fractâ te in trabe pictum

*ſumma cum voluptate. Non te pudet, o Cauſidice, quòd nequeas cauſam alicujus miſeri ſenis periclitantis defendere, quin laudari velis, quin captes, & aucuperis frigidam illam vocem applaudentium*, Bellè ac decenter dixit? *Dicit Pedio accuſator*: Tu es fur. *Quid Pedius reſpondet? nempe figuras & antitheſes adhibet: tum, quæ ſibi objiciuntur crimina, ita periodicè ac numerosè exponit, refellitque, ut ea librare & quaſi in trutinâ appendere videatur, non ſine auditorum laude*: Pulchrè, *inquiunt*, & bellè. *Hoccine pulchrum & bellum ducitis? Non vos pudet, o Romani, huic oratori adblandiri? An me ad commiſerationem flectat naufragus, qui cantet, cùm flere potiùs debeat?*

79. *Troſſulus.* Equites Romani dicti ſunt *Troſſuli*, vel qui Troſſulum Etruriæ oppidum olim ſine peditum auxilio ceperunt; vel, quaſi Toroſuli, *hoc eſt*, pingues & delicati.

*Exſultat.* Applaudit, delectatur, tibi gratulatur.

*Lævis.* Imberbis, politulus comptus, &c.

*Subſellia.* Scamna theatri, in quo recitantur tragœdiæ.

80. *Nilne.* Jam exagitat oratores qui mollem & effeminatam eloquentiam conſectantur.

81. *Tepidum.* Vocat aſſentationes illas tepidas, quia illis fovetur ambitio patroni; ut quodam fomento calido.

82. *Pedio.* Pedius Romanus civis, accuſatus ab Afris fuit, quòd Æſculapii fanum expilaſſet. Pedius verò hîc ponitur pro *Pedii defenſore*; quia ſolent patroni eorum, quos defendunt cauſam ſic tueri, ut ſi eſſet ſua.

*Raſis.* Quaſi dolatis, politis, limatis, bene tornatis.

84. *Ceves.* Cevere eſt *indecore tergum agitare*, ut canes, cùm dominis blandiuntur caudâ. Per Romulum, auctorem Romanæ gentis, quemlibet Romanum intelligit.

86. *Protulerim.* E crumenâ proferam, ut ipſi dem.

*In trabe.* In trabe, quæ tempeſtate fracta eſt, portas

Ex humero portes? Verùm nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querelâ.
Sed numeris decor est, & junctura addita crudis.
Claudere sic versum didicit; *Berecynthius Atyn* 90
*Et qui cæruleum dirimebat Nerea Delphin:*
Sic, *costam longo subduximus Apennino.*

*egone stipem illi dederim? Fers in humeris tabellam, in qua tuum naufragium descriptum est, & indulges cantui. Nec me tamen magis ad misericordiam inflectet suis lacrimis, qui orationem noctu elucubratam, & ad ciendam commiserationem operosè comparatam afferet. Atenim nostri homines, & poëtæ hujus ætatis, rationem scribendi antiquorum, & poësim, quæ durior erat ac parum polita, ornarunt suavi compositione & jungendis pulchrius numeris. Rectè omnino dicis: tales sunt nimirum pulchri illi versus, a nobili poëta scripti, quorum unus ita clauditur ac definit:* Berecynthius Atyn. *Tum alter est ejusmodi:* Et qui cæruleum dirimebat Nerea Delphin: *Itemque tertius:* Costam longo subduximus Apennino. *At si hæc, o*

te pictum: seu portas tabulam, quæ te repræsentat in navi fractâ naufragium facientem.

89. *Sed numeris.* Id objicere fingitur, quem in hac satirâ sibi adversarium Persius facit.

*Crudis.* Insuavibus, ut sunt fructus acerbi, & crudi: duros & asperos versus intelligit.

90. *Didicit.* Subaudi, *poëta non nemo:* ejus nomen tacet; Neronem vulgò suspicantur. Est autem tota ista Persii responsio ironica, in quâ reprehendit recentiores Romanos, qui putabant se egregios versus facere, cùm duos tresve eodem modo clauderent, cùm unum spondaïcum adhiberent, cùm uterentur metaphoris, licèt durioribus.

*Atyn.* Atys, puer a Cybele amatus, postea in arborem mutatus ab eadem fuit. Vocatur *Berecynthius*, quia Cybele in Berecyntho, monte Phrygiæ colebatur; quasi Cybeleius. Porrò dicitur Atys seu Attys & Attyn, ut eodem modo versus iste desinat ac sequens; *Et qui cæruleum, &c.*

91. *Et qui, &c.* Et Delphin, qui mare natando dividebat. Hic versus ex Neronis, vel alterius cujuspiam carmine depromptus, de Arione loquitur, quem e navi projectum Delphinus tergo excepit. Nereus Deus marinus, pro *mari* sumitur; *Nerea* est accusativus Græcus, pro *Nereum.*

92. *Sic costam, &c.* Costam Apennino duximus, hoc est, nos Carthaginienses, ut in

*Arma virum*: nonne hoc ſpumoſum & cortice pingui ,
Ut ramale vetus , vægrandi ſubere coctum ?
Quidnam igitur tenerum , & laxa cervice legendum ?
*Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis :*
*Et raptum vitulo caput ablatura ſuperbo*

*Perſe , reprehendis , reprehendendus quoque Virgilius fuerit , cujus Æneidos initium hoc ,* Arma virumque cano, *eſt ſimiliter atque alia , quæ memoraſti , turgidum & inflar ſpumæ inflatum , tam ſcabrum & ſiccum quàm cortex arboris aut vetus ramus magni ſuberis , ſole & ſiccitate excoctus. At ego quæro ex te quid putes tenerum eſſe , & legendum collo molliter identidem in alterum humerum inflexo ? nempe , inquies , iſti verſus :* Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis : Et raptum vitulo caput ablatura

Italiam penetraremus, latera & rupes Apennini montis ferro & aceto avulſimus. Depromptus verſus ex carmine , cujus erat argumentum bellum Punicum. Apenninus autem mons mediam Italiam a ſeptentrione in meridiem ſecat. Verſus autem iſte , quamvis molliter fluere videatur , ob ſpondæum in quinta ſede poſitum , tamen vitioſus eſt ob metaphoram duriorem quâ partem montis coſtam appellat.

93. *Pingui.* Craſſo , inornato.

94. *Ramale.* Ramus ſiccus, ſtipes.

*Vægrandi.* Ingenti.

*Subere.* In ſubere : ſuber eſt arbor, cujus cortex admodum ſiccus & levis eſt. Quidam hunc verſum , *Ut ramale vetus , &c.* volunt eſſe Perſii reſponſionem laudantis Virgilianum carmen , & illud cum ramo probè cocto, minimè molli & ſpumoſo , comparantis.

96. *Torva , &c.* Quatuor illi verſus excerpti ſunt e carmine quodam de Pentheo Rege Thebanorum , qui cùm Bacchi orgia irrrideret , immiſit Bacchus ejus matri furorem , quo abrepta nato caput abſcidit comitata ceteris Bacchantibus. Senſus eſt igitur : Bacchantes , in Pentheum irrumpentes , tubas terribiles horribili ſono inflarunt : ipſa Penthei mater , nati caput , quem ut vitulum videbat , amputatura , & ceteræ Mænades , habenis ex hedera factis agitantes lynces , a quibus currus Bacchi trahitur , ingeminant iſtam vocem , Evion ; Echo illis aſſonat.

*Mimalloneis.* Bacchicis. Mimallones dictæ ſunt Bacchantes , a Mimante Aſiæ monte , ubi colebatur Bacchus.

*Baſſaris, & lyncem Mænas flexura corymbis,*
*Evion ingeminat; reparabilis aſſonat Echo.*
Hæc fierent, ſi virtutis vena ulla paternæ
Viveret in nobis? ſummâ delumbe ſalivâ
Hoc natat in labris: & in udo eſt Mænas, & Atyn,

ſuperbo Baſſaris, & lyncem Mænas flexura corymbis, Evion ingeminat; reparabilis aſſonat Echo. *An ejuſmodi verſus laudaremus, an faceremus, ſi quid haberemus maſculæ & antiquæ eruditionis ac virtutis? nempe ejuſmodi carmen, effœminatum & enerve, pronuntiatur voce, non ex imo pectore viriliter ductâ, ſed formatâ in primoribus labris ſalivâ madentibus, & in ore humido ac blaſo verſantur iſta verba*, Mænas, Atyn, &c. *Neque ut iſtiuſ-*

98. *Baſſaris.* Baſſaris ſignificat mulierem Baccho addictam, Bacchi comitem, & ſacrificulam: Bacchus enim Baſſareus vocatur a poëtis: vel, appellatur Baſſaris, a veſte Mænadum propria, quæ *Baſſaris* dicebatur. Baſſaris autem appellatur in hoc loco mater Penthei, quia una erat e Bacchantibus: ipſe Pentheus vitulus ſuperbus vocatur, quia contemptor erat Bacchi, & ſub vituli ſpecie a matre lymphata videbatur.

*Mænas.* Mænades etiam appellatæ ſunt feminæ Bacchi comites, a verbo Græco quod furere ſignificat.

*Flexura.* Bacchus utitur lyncibus pro equis; eas lynces flectere dicuntur & ducere Bacchantes ſeu Mænades corymbis, id eſt, ramis hederarum intortis, quibus velut habenis utuntur. Corymbus propriè eſt fructus hederæ, inſtar racemi factus.

99. *Evion.* Id eſt, *Bacchum*: is enim cùm proſperè in Gigantes pugnaret, ab Jove gratulante appellatus eſt Evios ſeu Evius, voce græca, quæ bonum filium ſonat, aut, Euge fili.

*Reparabilis.* Echo voces loquentium iterat & quaſi reproducit ac reparat.

101. *Summâ, &c.* Quæ ore humido pronuntiantur languidiora ſunt & ob ſalivam abundantem vix diſtincta: in primoribus autem labris plus eſt ſalivæ.

*Delumbe.* Id eſt, *ſine lumbis*, & *ſine viribus.* Nam in illis corporis maximè robur apparet.

102. *Et in udo eſt Mænas, &c.* In udo eſſe & ſummâ ſalivâ natare, idem eſſe videtur. Poteſt etiam intelligi Perſius conqueri quòd Neroniana carmina perpetuò habeantur in ore adulatorum & ineptorum Romanorum; adeoque ſemper in udo ſint & in ſaliva natent. Quod ſimplicius eſt, & magis placet.

Nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit ungues.
A. Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide ſis, ne majorum tibi fortè
Limina frigeſcant: ſonat hîc de nare caninâ
Littera. P. Per me equidem ſint omnia protinus alba;
Nil moror: euge, omnes, omnes bene miræ eritis res.
Hoc juvat? hîc, inquis, veto quiſquam faxit oletum:
Pinge duos angues. Secuit Lucilius Urbem,
Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis.

*modi verſus condat Poëta, opus eſt ut pluteum verberet ungueſve arrodat. Quid agis tamen, o Perſi, quid neceſſe eſt veritatem dicendo aures delicatas hominum vellicare & offendere? cave ne proceres te ſuis ædibus excludant, aut certè frigidè cunctanterque te accipiant: acerbiores ſunt tuæ ſatiræ: in his ſonat ea ſæpè littera R, quam canes exprimunt, cùm aliquem impetunt, ac ringuntur. Per me verò non ſtabit, quin morem tibi geram: abſtinebo a ſatiris, omnia laudabo & alba eſſe pronuntiabo; mira & præclara eſſe dicam quæ ſunt vitioſiſſima. An hoc tibi placet, o Romane poëta, quiſquis es? an jubes ut ea omnia quæ facis, quæ ſcribis, nemo carpat ac tangat, tamquam ſi ſacer eſſet locus, ubi angues duo ſint pingendi, quibus pueri moneantur ne illum ſordibus inquinent? Faciam equidem, diſcedam ab loco iſto ſacro. Sed tamen Lucilius Urbis vitia eſt inſectatus in ſuis ſatiris, & homines improbos Lupum, Mutium, graviter mo-*

103. *Pluteum.* Pluteus eſt *menſa*, ſive *abacus*, in quo Poëta ſcribit verſus: ſolent autem tundere menſulam vates, ubi carmen e ſententia non ſit; & cùm laborant in ſcribendo, ſolent ſcabere caput, ungues admordere. Quod boni Poëtæ ſolent. Horatius, Lib. I, Sat. X.... *Et in verſu faciendo ſæpe caput ſcaberet, vivos & roderet ungues.*

106. *Caninâ.* Littera canina eſt R, quam videntur iterare canes irati.

110. *Angues.* Per Angues deſignabantur *numina* & *genii locorum præſides*; ſerpens enim æternitatis & immortalitatis eſt ſymbolum, quæ duæ dotes Deo maximè conveniunt. Angues parietibus templorum appingebant; ut admonerentur homines ſanctum locum eſſe; ut pueros anguium objectâ ſpecie abſtererent.

111. *Genuinum.* Adeò graviter eos momordit, ut ſibi dentes fregerit: genuini dentes vocantur, *qui ſunt majores* & *proximi genis*, unde

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admissus circum præcordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso.
Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe? 115
A. Nusquam.
P. Hîc tamen infodiam: Vidi, vidi ipse, libelle:
Auriculas asini quis non habet? Hoc ego opertum

*mordit impacto veluti dente. Ipse Horatius amicis aperit omnia ipsorum vitia ridendo & quasi luderet, in intimos eorum animos pervadit, ut eos rodat, carpatque, facetus vates, & astutus in populo deridendo. Non licebit igitur mihi hiscere, ac vocula mittere? ne clam quidem & in scrobem insusurrando aliquid? Nullo modò id facias. Atqui non obtinebis quin ego in hoc libello, tamquam in scrobe, infodiam istas voces & libello dicam: O libelle, vidi ipse, omnes habent auriculas asini, nemo unus sapit. Hanc*

dicti sunt genuini. Fuit autem Lucilius æqualis Scipioni Africano, oriundus ex Arunca urbe Italiæ; primus poëtarum satiricorum Latinorum.

114. *Suspendere naso.* Deridere vitia populi. Qui alios rident, nasi extremam partem attollunt & alios naso videntur suspensos jactare velle.

115. *Nec cum scrobe.* Alludit ad Midæ fabulam. Is arbiter lectus inter Apollinem, & Pana, aut Marsiam, de cantûs suavitate; Pana, vel Marsiam Apollini prætulit. Apollo iratus aures ipsi asininas dedit; quas ita occultare non potuit, quin tonsor ipsius rem totam cognosceret; eam tamen, propositâ mortis pœnâ, vetitus aperire, in scrobem istas voces clam insusurravit, *Auriculas asini Midæ Rex habet*; tum scrobem terrâ operuit. Natæ arundines ex ea scrobe, & vento agitatæ, voces istas retulerunt. Porrò Persius scripserat, *auriculas asini Mida Rex habet*; quâ voce Neronem designabat: verùm sibi ab eo metuens, versiculum mutavit, de sententia Cornuti sui præceptoris.

116. *Vidi, vidi ipse.* Erumpit indignatio mea: jam dico id quod vidi non ferendum: o libelle, ego ipse vidi, nec semel vidi fatuum Neronis de carminibus judicium, simulque tam nobilium Romanorum vel ignorantiam vel adulationem.

117. *Hoc meum opertum.* Has voces, quasi scrobi, ita libello insertas & abditas. Adde quòd satira tota est opertum carmen, & mysterii plenum.

Hoc ridere meum, tam nil, nullâ tibi vendo
Iliade. Audaci quicumque afflate Cratino,
Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles,
Adspice & hæc, si fortè aliquid decoctius audis.
Inde vaporatâ lector mihi ferveat aure:

*ego meam arcanam vocem, has meas satiras, quibus hominum vitia ridendo carpere amo, quæ nihil tibi videntur esse, nulliusque pretii, non commutarem cum tota Iliade Attii Labeonis: pluris illas facio. Quicumque hausisti e Cratini scriptis veræ poëseos ideam ac formam; qui impalluisti legendo Eupolide, hominum vitiis infenso, & Aristophane; oculos in has quoque satiras meas conjice: si fortè leges in illis aliquid elaboratum accuratiùs & limatum. Velim ex illa Græcorum lectione præparatum & quasi calefactum lectorem ad mea legenda cupidè accedere:*

118. *Hoc ridere.* Satiricam hanc meam reprehensionem, & cachinnos, quibus vitia hominum carpo. Infinitivus, Græco more, pro nomine substantivo positus.

*Tam nil.* Nihil esse dicitur, quod nullius est pretii.

119. *Iliade.* Labeo, poëta insulsus, totam Homeri Iliadem, *hoc est*, poëma de Trojæ excidio, ad verbum Latinè converterat ex Græco. Vendo autem, ponitur pro *venderem*, id est, malim unam satiram scripsisse, quàm Iliadem totam Latinè, ut Labeo, composuisse.

*Audaci, &c.* Ostendit Persius quos lectores suarum satirarum optet.

*Afflate.* Qui ex ea lectione amorem virtutis hauseris, veritatis aurâ & quasi odore sueris afflatus.

*Cratino.* Eupolis, Cratinus, Aristophanes, poëtæ fuerunt Græci, auctores priscæ comœdiæ. Cratinus omnium antiquissimus, Athenis natus est, paulò antè bellum Peloponnesiacum; Aristophanes haud ita multò post Cratinum floruit: exstant ejus comœdiæ facetissimæ. Hunc, senem appellat Persius, vel ob ætatem, vel ob ejus increpando acerbitatem. Eupolis eodem vixit tempore, quo Alcibiades, a quo in mare dejectus est, cùm eum maledicis versibus prosciderat.

121. *Decoctius.* Metaphora ducta est a fructibus, qui ut maturescant, decoquuntur a sole, & acerbitatem ponunt; vel a vino, quod eò melius est, quò est magis coctum: sic enim purgatur, & austeritatem quamdam ac viriditatem amittit.

122. *Ferveat.* Magno numero & frequens legat: vel magno studio & attentione.

Non

Non hic, qui in crepidas Graïorum ludere gestit
Sordidus, & luſco qui poſſit dicere, luſce,
Seſe aliquem credens; Italo quod honore ſupinus
Fregerit heminas Aretî Ædilis iniquas:
Nec qui abaco numeros, & ſecto in pulvere metas
Scit riſiſſe vafer: multùm gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.

*lector meus non ſit, quicumque odit ac ſpernit Græcorum ſcripta & ſapientiam, qui vitio illis vertit elegantiam in cultu corporis, & delicatas eorum crepidas irridet, cùm ipſe ſordes & negligentiam in cultu amet: non qui alios carpit, iiſque ſua vitia protervè objiciens, luſcos, qui ſunt luſci, appellat; idcirco arrogans & ſuperbus, quòd Ædilitate functus in Italiæ municipio aliquo, verbi gratiâ, Aretio, fregerit vaſa minora mercatorum, & menſuras iniquiores breviorèſque juſto: nec qui philoſophiam contemnit, & mathematicorum numeros lineaſque in pulvere, variis figuris diviſo, deſcriptas irridet, quique voluptatem ex eo longè maximam capit, ſi meretricem videat philoſopho procaciter inſultare & barbam vellere. Ejuſmodi ho-*

123. *Non hic.* Ne is mihi lector contingat, qui cùm animi vitia in Philoſophis & doctis nulla deprehendat arguenda, externum eorum habitum ſaltem irridere amat & delectatur.

125. *Aliquem.* Aliquo in numero & pretio habendum. Sunt qui legunt *aliquid* quod perinde elegans eſt, & idem ſonat.

*Italo honore.* Aliquo Magiſtratu Romano, v. g. Ædilitate, quâ in municipiis funguntur cives Romani.

*Supinus.* Elatus, ſuperbus.

126. *Heminas.* Menſura eſt capiens dimidiam ſextarii partem.

*Aretî.* Pro, *Aretii*: eſt autem Aretium civitas Tuſciæ, nunc *Arezzo*. Vaſis fictilibus quondam celebris.

127. *Abaco.* In Abaco; in tabula plana, nigro colore imbuta, in qua mathematici figuras ſuas cretâ deſcribunt.

*Pulvere.* Suas interdum figuras geometræ & mathematici delineabant in arena & pulvere, quem idcirco eruditum pulverem Tullius vocat. Id autem faciebant ut, ſi quid ab iis non rectè deſcriptum & delineatum foret, facilius emendaretur.

*Metas.* Lineas, quibus figuræ geometricæ, ut metis & limitibus, terminantur.

129. *Cynico.* Cynici erant ſecta philoſophorum: dicti ſunt a voce græca quæ *canem* ſignificat, quia erant mordaciſſimi & impudentiſſimi.

*Barbam.* Atrox erat injuria & ludibrium barbam alicui

130 His manè edictum, post prandia Callirhoën do.

*mines procul a meis satiris amando, denuntioque illis, ut mane in forum ad edicta Prætorum audienda se conferant, & ibi quæstum faciant: post prandium verò, comœdias saturi spectent, ac voluptati indulgeant.*

vellere, tamquam fatuo nimirùm & stolido. Horat. Lib. I, Sat. III sub finem. Porro Philosophi barbam promissam alere affectabant: hincque sapientem barbam vocat Horatius. Vide infrà Satir. IV, nota 1.

*Nonaria.* Meretrix, quæ horâ nonâ prostat.

130. *His.* Talibus hominibus imperitis & ineptis artium liberalium ac scientiarum incapacibus, mando & indulgeo occupationes dignas se, nempe quæstum & voluptates.

*Edictum.* Sententiæ Magistratuum *edicta* nuncupantur: manè autem forum frequentabant Romani cùm sicci adhuc erant & sobrii.

*Post prandia.* Post forum prandeant: ac deinde per diem reliquum voluptati indulgeant. Ea est plebi imperitæ accommodata vivendi ratio.

*Callirhoën.* Quidam volunt fuisse nomen comœdiæ cujusdam, ad quam spectandam otiosi juvenes convenirent: alii meretricem ita dictam. Contendit Marcilius hoc referendum esse ad Neronem, qui populum edicto vocaret, & cantaturum se Callirhoën promitteret; suamque interpres ille fulcit opinionem ex eo quòd Neronem in hac Satira Persius præcipuè spectet.

# SATIRA SECUNDA.

*Ex sacrificio, quo Macrinus natalem suum diem celebrabat, ac vota Superis faciebat, occasionem sumit Persius insectandi varia hominum vota, quorum alia sunt impia, alia levia, alia inter se pugnantia : sub finem, quænam bona & facienda sint, docet.*

HUNC, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Funde merum Genio : non tu prece poscis emaci,

*HUNC diem natalem tuum, o Macrine, numera inter fortunatos, & albo lapillo nota ; quia felici omine addit novum annum tuis præteritis : sacrifica Genio, vinumque in illius honorem humi funde : scio te majoribus hostiis, & ambitiosis precibus non indigere, quibus a Diis veluti emas ea quæ ab iis precaris, & quæ non possis*

1. *Macrine.* Hic fuisse dicitur Photius Macrinus, homo eruditus, & Persii amicus. Solebant autem die natali amicorum, ad eos aliquid mittere munusculi : ea causa fuit, cur ad Macrinum hanc satiram Persius mitteret.

*Lapillo.* Quidam populi, Thraces, an Cretes ? dies lætos albo, tristes nigro lapillo notabant : deinde verò conjectis omnibus in capsulam calculis, lætos candidosque separabant, iisque se diebus tantùm vixisse judicabant, qui albo notati lapillo forent.

2. *Labentes.* Potest intelligi de anno elapso, eâ sententiâ ; qui annum superiorem & jam lapsum apponit reliquæ annorum tuorum summæ ; vel de anno imminente qui inchoetur apponendus ad reliquos, aliis enumerandus.

*Candidus.* Felix ac fortunatus.

3. *Genio.* Genius erat Deus cujusque quasi privatus & custos, ita dictus a gignendo, quòd unà cum homine gigneretur, cum quo etiam moriebatur : vel, quia genitum hominem susciebat ac tuebatur. Unde vitæ voluptatisque præses erat. Illi sacrificium fiebat præcipuè die natali cujusque, idque mero tantùm & floribus.

Quæ nisi seductis nequeas committere Divis.
At bona pars procerum tacitâ libabit acerrâ.
Haud cuivis promptum est, murmurque humilesque susurros
Tollere de templis, & aperto vivere voto.
Mens bona, fama, fides, hæc clarè, & ut audiat hospes:
Illa sibi introrsùm, & sub lingua immurmurat: O si
Ebullit patrui præclarum funus! &, O si
Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule! pupillumve utinam, quem proximus heres

*admittere, nisi iisdem veluti corruptis. At magna nobilium pars tacitas & occultas preces faciet, dum thura Superis adolebit: non est facile tollere istas preces obscuras & arcanas de templis, & ita orare, ut omnes scire non nolis quid a Diis petas. Unusquisque clarè, & ut quilibet propè stans audire possit, hæc a Diis precatur; ut sibi mens bona sit, fama integra, & fides: illa verò intus & demissâ voce rogat: O si patruus meus subitò emori, ac præclaro funere mandari humo posset! O si reperirem arcam nummis plenam inter arandum, propitio Hercule? utinam e tabulis testamenti delere possem nomen*

4. *Seductis.* Vel corruptis ut dixi, vel remotis a turba; aut, clàm Diis, iisque quasi abesse & valere jussis.

5. *Acerra.* Est thuribulum: totum sacrificium significatur.

*Libabit.* Est *sacrificabit.*

8. *Mens bona.* Juvenalis, Sat. X. *Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.* Seneca, Epist. 94. *Roga bonam mentem, bonam valetudinem animi; deinde corporis.*

*Hospes.* Quilibet externus, aut viator; aut quicumque ad visenda templa accedit.

10. *Ebullit.* Pro *ebullierit*, ita *dedim* pro *dederim*, *comedim*, pro *comederim*, dicitur. Metaphora sumitur ab aqua, quæ cùm fervet, exundat extra lebetem effunditurque; ita mortui extra domum ejiciuntur, &c. Vel simpliciter significat *rem quæ repentè fit*: quo sensu sæpè verbum hoc usurpatur. Itaque mors repentina patrui est intelligenda. Legunt aliqui, *Ebullet*, ab *ebullo*, *ebullas*, quod significat, *cum impetu prorumpo.*

*Patrui.* Dixit potiùs quàm avi optari mortem, fortè quia *patrui* ut plurimùm censurâ molesti.

11. *Seria.* Vas fictile.

12. *Hercule.* Hercules præerat lucris fortuitis: Mercurius industriâ quæsitis.

Impello, expungam! namque eſt ſcabioſus, & acri
Bile tumet. Nerio jam tertia conditur uxor.
Hæc ſanctè ut poſcas, Tiberino in gurgite mergis
Manè caput bis, terque, & noctem flumine purgas.
Heus age, reſponde: minimum eſt quod ſcire laboro.
De Jove quid ſentis? eſtne ut præponere cures
Hunc cuiquam? Cuinam? Vis Staio? an ſcilicet hæres?
Quis potior judex, pueriſque quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Jovis aurem impellere tentas,
Dic agedum Staio: proh Juppiter! o bone, clamet,

*pupilli, cui heres ſum ſubſtitutus? ſanè ægrotat ille ſcabie ac bile; nec diu videtur poſſe vivere. Nerius felici fato jam tres uxores ſuas ſepelivit, & earum dote fruitur. Nempe ut hæc tam ſancta vota facias manè bis, terque caput mergis in Tiberi, ut purior poſt nocturnum ſomnum ſias, & Superis gratior. Agedum, reſponde mihi, paucæ ex te reſcire velim. Quid ſentis de Jove? nonne illum hominibus omnibus anteponis? Cuinam verò hunc non anteponerem? Nonne Staio illum ſaltem anteponis? an dubitas Jovem illi anteferre, quem noſti judicem corruptiſſimum & pupillorum parricidam? Age igitur, dic ea quæ præcaris a Jove, dic, inquam, Staïo: certè ille exclamabit indignitate precum tuarum perculſus; o Jupiter, in-*

13. *Expungam.* Eraſo & ablato e tabulis teſtamenti ejus nomine, in ipſius demortui locum ſubſtituar; ſum enim poſt illum heres ſcriptus. Expungi propriè dicebantur milites, quorum nomina poſt miſſionem aut mortem delebantur.

14. *Nerio.* Erat iſte Nerius fœnerator inſignis.

*Conditur.* Hoc eſt, ſepelitur. Legunt alii, *ducitur*, id eſt, *illi nubit*; ab illo domum ducitur.

15. *Mergis.* Ante preces, quas amabant vulgò mane fundere, corpus aquâ vivâ ſpargebant.

16. *Purgas.* Os & manus poſt noctem diligenter abluebant, ut puriores ad precandum aut ad ſacrificandum accederent.

18. *Eſtne?* Licetne? Eſtne ut cures, pro, *nonne curas*, nonne facilè fiet ut illum præponas, &c.

21. *Hoc igitur, &c.* Has preces, quibus aurem Jovis fatigas & pulſas.

22. *Staïo.* Staïus Albius

Juppiter! At ſeſe non clamet Juppiter ipſe?
Ignoviſſe putas, quia cùm tonat ocyus ilex
Sulphure diſcutitur ſacro, quàm tuque, domuſque?
An, quia non fibris ovium, Ergennâque jubente,
Triſte jaces lucis, evitandumque bidental,
Idcirco ſtolidam præbet tibi vellere barbam
Juppiter? aut quidnam eſt, quâ tu mercede Deorum

*quiet, quàm ſcelerata ſunt hæc vota! Quid ergo! homo improbus exhorreſcet, ac Jovem appellabit vindicem, ipſe Jupiter ſanctiſſimus ultorem ſe non ipſe inclamabit? An illum tibi tandem putas ignoviſſe, quia cùm tonat, quercus citiùs petitur fulmine, quàm tuum caput ac tua domus? quia cadaver tuum ictum fulmine in aliquo ſacro nemore non jacet expiandum ſacrificio, & ab omnibus evitandum, jubente poſt conſultas victimarum fibras Ergennâ aruſpice, ac docente quomodo ſacra eò loci fieri debeant: idcircone, inquam, Jovem irrides, & barbam illi vellis? Quidnam tandem eſt, cujus fiduciâ ſperes te ab illo ſem-*

Oppianicus judex nefarius fuit, qui fratrem & uxorem gravidam veneno ſuſtulit: de illo Cicero agit in oratione pro Cluentio. Hunc ironicè vocat Perſius judicem optimum, & erga pupillos æquiſſimum.

23. *At ſeſe non clamet, &c.* An Jupiter non ſeipſe ad vindictam excitabit? Non indignatus fulmen arripiet?

25. *Sulphure.* Oriuntur fulmina e ſulphureis exhalationibus, unde & ipſa olent ſulphur.

26. *Ergenna.* Fuit hic Ergennas ſacerdos & aruſpex peritiſſimus. Cùm autem dicit, *fibris ovium Ergennaque jubente*, ſenſus eſt, ab Ergenna præcipi ſacrificium: quod fieri ſolebat ad procurandum, ſeu expiandum locum fulmine ictum, inſpectis antea ovium fibris ſeu extis.

27. *Bidental.* Ita dicitur locus fulmine percuſſus, a bidentibus, *hoc eſt*, ovibus immolatis. Cùm enim fulmen cecidiſſet, aderant illico fulgurum procuratores, locum clauſtris ſepiebant, arâque exſtructâ, & cæſis oviculis conſecrabant, unde illum calcare nefas erat; quare evitabatur. Appellat autem bidental ipſum hominem fulmine ictum, ut a Lucilio appellatur carcer homo dignus carcere.

28. *Stolidam.* Is alicui vellendam barbam præbere dicitur, qui ab illo irridetur & afficitur contumeliâ.

30. *Emeris.* Quaſi, pretio

Emeris auriculas ? pulmone , & lactibus unctis ? 30
Ecce avia , aut metuens Divûm matertera , cunis
Exemit puerum , frontemque , atque udâ labella
Expiat , urentes oculos inhibere perita ;
Tunc manibus quatit , & ſpem macram , ſupplice voto ,
Nunc Licinî in campos , nunc Craſſi mittit in ædes. 35
Hunc optent generum Rex & Regina ; puellæ
Hunc rapiant : quidquid calcaverit hic , roſa fiat.
Aſt ego nutrici non mando vota ; negato

*per audiendum æquis auribus , hunc tibi ſemper parciturum ? An quòd illi victimarum inteſtina obtuleris in ſacrificium , idcirco emptam a te iſto pretio gratiam illius , & ſcelerum veniam arbitraris ? Ecce aliud votorum genus : avia , aut matertera ſuperſtitioſa , detrahit e cunis puerum , & frontem expiat ac labella humentia , ut hac arte ſciliset avertat a puero noxios & peſtilentes oculos , qui pueros faſcinare , & inficere tacito veneno ſolent. Tunc palpat puerum manibus , & ſpem valde adhuc incertam & macram de illo concipiens , optat ſupplex ut Craſſum ac Licinium opibus æquet , precatur ut Reges & Reginæ hunc puerum ſibi habere generum aliquando velint , hunc maritum puellæ ; ut roſæ ſub ejus veſtigiis naſcantur. Aſt ego ſi quem ha-*

perſoluto , illas tibi patentes habere debeas.

*Lactibus.* Lactes ſunt inteſtina pinguia pecudum.

31. *Matertera.* Soror matris , quaſi mater altera. Dicitur autem metuens Divûm , hoc eſt *religioſa* , *ſuperſtitioſa* ; ſuperſtitio enim e nimio metu oritur.

32. *Exemit cunis.* Ut præſentem ſiſtat ſacris quæ pro ipſius incolumitate fiunt.

33. *Expiat.* Purgat , tingit pio quodam ritu ac ſalutari. Lutum e pulvere & ſalivâ conficiebant , quo frontem ac labia pueri inficiebant , &c. Id autem fiebat octavo , aut nono poſt partum die , quo preces pro pueris concipiebantur , & iis nomen imponebatur : vocabatur is dies luſtricus & nominalis.

*Urentes oculos.* Nocentes , virulentos. Homines quidam pueros ſolo adſpectu faſcinare & iis morbos afflare viruſque credebantur.

35. *Licinî.* Licinius , libertus Auguſti , & Craſſus , qui contra Parthos pugnavit , fuere ditiſſimi , agros ingentes , magnificas ædes habuere.

37. *Non mando vota.* Hæc nempe nimia & periculoſa.

Juppiter hæc illi, quamvis te albata rogarit.
Poſcis opem nervis, corpuſque fidele ſenectæ?
Eſto: age. Sed grandes patinæ, tucetaque craſſa
Annuere his Superos vetuêre, Jovemque morantur:
Rem ſtruere exoptas, cæſo bove, Mercuriumque
Arceſſis fibrâ. Da fortunare Penates:
Da pecus, & gregibus fœtum. Quo, peſſime, pacto?
Tot tibi cùm in flammis junicum omenta liquescant?
Et tamen hic extis, & opimo vincere farto

*buerim puerum, certè non jubebo ejuſmodi vota pro illo fieri a nutrice; tuque, o Jupiter, noli hæc audire, & illi annuere; quamvis te albis induta veſtibus oraverit. Petis a Superis robur corporis, & ſanitatem, quâ ad extremam uſque ætatem te fideliter comitetur: bene eſt, laudo; tamen delicata fercula, quibus te obruis & ingurgitas, non patiuntur ut Superi hoc tibi concedant. Augere opes cupis: ob id conciliare tibi Mercurium ſtudes, immolato bove: Fac, o Mercuri, inquis, ut res mihi bene ac feliciter domuique meæ vertat, ut augeatur meum pecus multâ ſobole. At id quo fieri tandem pacto poteſt, cùm tu infelix, tot victimas macles, tot vitulos ignibus abſumas? Nihil objurgationes noſtræ proficiunt: ſtolidus hic precator victimarum inteſtinis, & luculento farto, ſe compotem voti*

39. *Albata.* In ſacrificiis faciendis utebantur veſte candidâ, quæ morum puritatem indicabat.

41. *Tuceta.* Tucetum eſt genus farciminis confectum e ſuillis carnibus, minutatim conciſis.

*Craſſa.* Id eſt, *pinguia, adipata.*

43. *Mercurium.* Ille præeſt lucris induſtriâ partis.

44. *Da fortunare.* Fac ut Penates mei (Dii ſunt domeſtici; & ea vox hic pro domeſtica re ſumitur) fortunent, hoc eſt, fortunati ſint; ut mea domus felix & opulenta ſit.

46. *Junicum omenta.* Junices ſunt juvencæ, ſeu vitulæ: omentum eſt adeps, quo viſcera involvuntur & qui igne ſolvitur & liqueſcit dum victimæ cremantur.

47. *Et tamen hic.* Avarus ille & impius precator.

*Farto.* Fartum, ut hîc ſumitur, erat libum e farre, vino, melle, &c. Ita dictum a *faciendo*, quòd multis erat rebus confertum: unde *ferto*, pro *farto*, aliqui legunt.

Intendit. Jam creſcit ager, jam creſcit ovile,
Jam dabitur, jam, jam: donec deceptus & exſpes
Nequicquam fundo ſuſpiret nummus in imo.
Si tibi crateras argenti, incuſaque pingui
Auro dona feram, ſudes; & pectore lævo
Excutias guttas, lætari prætrepidum cor:
Hinc illud ſubiit, auro ſacras quòd ovato
Perducis facies: nam fratres inter ahenos,

*fore ſperans, hæc ſecum: Ager meus jam creſcere incipit, ovile impletur, jam id conſequar quod peto, jamjam obtinebo: donec illius nummis exhauſtis, unus qui in fundo crumenæ ſupereſt, ſe ſolum relictum ac deluſum ingemiſcat, & raucum quaſi ſuſpirans ſonet. Si tibi pateras argenteas, & vaſa aurea ſignis impreſſa dono dem, præ gaudio ſudabis, & ſudoris guttas effundes in parte læva pectoris, ubi eſt cor, quod tibi trepidabit ac ſubſiliet. Ex eo quòd auro ita delectaris, illud evenit, ut auro e ſpoliis hoſtium redacto inducas & oblinas ſtatuas Deorum, adeo ut ſi credas beneficio aliquorum e quinquaginta fratribus, Ægypti filiis, quorum effigies ex æ-*

51. *Crateras.* A nomine cratera, crateræ; vulgò dicitur, crater, crateris.

*Incuſa.* Incude fabricata, incudendo cælata: vel non cuſa, infecta, & ſolida.

52. *Pectore lævo.* Lacrymas hîc aliqui expreſſas gaudio intelligunt per guttas, quæ illi homini excutiuntur, nempe ex oculis: ea porro verba, *pectore lævo*, explicant, *mente ſtolidâ & lævâ.* Te inſanum, ac ſtolidè geſtientem, avaritia facit.

53. *Lætari.* Subaudi, *incipiet.*

54. *Subiit.* Venit in mentem, contigit.

*Ovato.* Ex hoſtibus reportato manubiali. Ovare *eſt* minorem triumphum agere, quia in eo mactabantur oves: boves autem in majori triumpho.

55. *Perducis.* Totas facies ex auro ducis, ſtatuas integras ex auro ponis: vel, ſuperficiem oblinis tantùm.

*Fratres inter ahenos.* Hi ſunt quinquaginta filii Ægypti, quorum ſtatuæ in porticu Apollinis Palatini erectæ. Harum enim quædam oracula & reſponſa per ſomnum poſtulantibus reddere credebantur. Quidam intelligunt Caſtorem & Pollucem; alii verò quoſlibet Deos qui fratres dicuntur, quia ſunt omnes filii unius matris Cybeles, quorum pleræque ex ære erant ſtatuæ.

Somnia pituitâ qui purgatiſſima mittunt,
Præcipui ſunto, ſitque illis aurea barba.
Aurum, vaſa Numæ, Saturniaque impluit æra;
Veſtaleſque urnas, & Thuſcum fictile mutat.
O curvæ in terris animæ, & cœleſtium inanes!
Quid juvat hoc, templis noſtros immittere mores,
Et bona Diis ex hac ſcelerata ducere pulpa?
Hæc ſibi corrupto caſiam diſſolvit olivo,
Hæc Calabrum coxit vitiato murice vellus:

*ſunt in Apollinis Palatini porticu conſecratæ, tibi fuiſſe immiſſa per noctem ſomnia, quæ careant omni pituitâ, adeoque ſint puriſſima & veriſſima, illos præcipuo habeas in honore, & barbam illis inaures. Auri amor in cauſa fuit cur e templis expellerentur vaſa fictilia, in Thuſcia fieri ſolita, quibus olim Numa utebatur in ſacrificiis, & quæ ſola Saturni tempore, ætate aureâ, in uſu erant, atque urnæ ex argilla, quibus Veſtales olim virgines utebantur. At heu! quàm ſunt homines rebus terrenis addicti, quàm ab Deorum ſtudiis & moribus alieni! Cur hanc morum noſtrorum corruptelam in res ſacras ac templa transferimus? Cur ex iſta putida noſtra cuticula, ex avaritia & luxuria æſtimamus quid bonum Superis gratumque ſit? Nempè ille voluptatum amor, & curandæ carnis ſtudium unguenta ex oleo & caſia conficere ſuaſit; hic lanam Tarentinam injecit in aquam calidam & infecit liquore, ſive ſucco muricis piſciculi, quem ſuccum imitantur infectores,*

56. *Pituitâ.* Cùm redundat in corpore humor frigidus & aqueus, qui pituita dicitur, tunc ſomnia ſunt fallaciſſima & inaniſſima, ut in delirantibus & vinolentis accidit. Contrà verò ſomnia putantur vera, ubi minimum eſt pituitæ. Moris erat apud Romanos fidem ſuperſtitioſam ſomniis adhibere.

58. *Numæ.* Fuit Numa Rex Romanorum ſecundus, religione præſtans.

*Impulit.* Expulit, removit, excluſit e templis.

59. *Urnas.* Veſtales urnis ad ferendam aquam in ſacrificiis neceſſariam, utebantur.

62. *Pulpâ.* Eſt fruſtum carnis: hîc pro *corporis curandi nimio ſtudio* ponitur.

63. *Sibi.* Ut nitidior, ut unguentis delibuta ſuaviùs oleat.

*Corrupto.* Ex caſiâ & oleo mixtis & dilutis fit unguentum optimum: corruptum dicitur oleum, quia odoribus immixtis adulteratur: caſia autem eſt frutex aromaticus.

64. *Calabrum.* Tarentum

Hæc baccam conchæ rasisse, & stringere venas
Ferventis massæ crudo de pulvere jussit.
Peccat & hæc, peccat; vitio tamen utitur. At vos
Dicite, Pontifices, in sancto quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ a Virgine pupæ.
Quin damus id Superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago:

*& ementiuntur: hic gemmas e conchis abstulit, hic auri ramenta colligere, & redigere in massam, ex informi & rudi fodinarum tellure, jussit. Sed illa quamvis fiant improbè & præpostero luxûs ac deliciarum amore, tamen hominibus utilitatem afferunt aliquam: sed cuinam est usui aurum in templis, o Pontifices? nempe tam inutile Superis est, quam pupæ Veneri, quas illi puellæ donare solent. Quin id potiùs damus Superis quod Messalæ nobilis filius & quilibet divites ipsis dare non possunt, quam-*

est civitas Calabriæ in Italia, ubi lanæ optimæ.

*Vitiato.* Adulterino, mendacio, corrupto, non germano.

*Murice.* Murex est genus quoddam conchylii, seu pisciculi conchâ inclusi, e cujus sanguine tingitur color, purpuræ similis. Capitur hic piscículus in mari Tyrio.

65. *Baccam.* Unionem, margaritam; quæ in concha nascitur, & illi sic adhæret, ut eradenda & evellenda sit limâ. Propriè bacca est fructus lauri, olivæ, terasi: gemmæ vocantur etiam *baccæ*, quia ejusmodi fructibus similes sunt.

*Stringere.* In unum astringere crebris mallei ictibus: aut, igne conflare, vel decerpere & colligere auri ramenta & argenti.

*Venas.* Sulcos quosdam in terra, in quibus est metallum, quod in massam collectum igne ferventi conflatur.

67. *Vitio utitur.* Ex istis peccatis luxus & libido hominum capit utilitatem.

68. *In sancto.* In loco sacro, in templis.

69. *Pupæ.* Imagunculæ sunt, & exiguæ statuæ quas puellæ habent in deliciis: eas autem, cùm nuberent, Veneri consecrabant, tamquam his puerilibus nugis valedicerent.

70. *Lance.* Romani in lancibus ponere solebant victimarum carnes.

71. *Messala.* Messala septies Consul fuit: ex ejus stirpe prognatus est longo pòst tempore Cotta Messalinus, homo degener, gulæ & abdomini deditus.

*Lippa.* Vel qui revera lippus erat: vel hac voce significatur ejus improbitas. Lippus aliquando pro *dissoluto* sumitur.

Compositum jus, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto?
Hæc cedo, ut admoveam templis, & farre litabo.

*vis donis lances & altaria cumulent; nimirum pectus ad omnia jura divina & humana servanda bene comparatum & compositum: in mente insitas penitus virtutes, animum non leviter honestatis colore quasi tinctum, sed eâ penitus imbutum? Hæc mihi da, & sacrificium Diis offeram longè gratissimum, quamvis far ipsis tantùm offeram.*

72. *Jus.* Jus ad officia inter homines refertur; fas ad pietatem erga Deum.

73. *Incoctum.* Ducitur hæc metaphora a lanâ, quæ coquitur, cùm aliquo colore tingitur & imbuitur.

74. *Farre.* Far erat idem in sacrificiis ac mola salsa, seu triticum cum sale tostum; hoc pauperes, quibus non suppetebant majores victimæ, sacrificabant.

*Litabo.* Litare propriè est sacrificiis Deos placare, rite sacrificare, impetrare quod petitur.

# SATIRA TERTIA.

*Cohortatio ad studium sapientiæ. Insectatio desidiæ.*

Nempe hoc assiduè? jam clarum mane fenestras
Intrat, & angustas extendit lumine rimas:
Stertimus indomitum quod despumare Falernum

*Itane hoc assiduè facies? nullusque tandem inertiæ tuæ modus ac finis erit? Jam clara lux matutina fenestras, licèt clausas, penetrat, earumque rimas videtur dilatare: tu interim hic stertis per tantum tempus, quantum sufficiat ad edormiendam crapulam e vino gravissimo*

1. *Nempe.* Inducitur vel socius, vel magister, adolescentulum e lectulo excitans, increpansque.

2. *Extendit.* Latiores rimas apparere faciunt radii solares intromissi.

3. *Stertimus* Subtimidam increpationem in prima persona hic observant nonnulli, & condiscipulum potiùs quàm magistrum indicari volunt; sed quid abest magistrum ita discipulos increpare, & quidem acriter.

*Indomitum.* Quod vix a

Sufficiat, quintâ dum linea tangitur umbrâ.
En quid agis? ſiccas inſana canicula meſſes
Jamdudum coquit, & patulâ pecus omne ſub ulmo eſt,
Unus ait comitum. Verumne? itane? ocyus adſit
Huc aliquis; nemon'? turgeſcit vitrea bilis,
Finditur, Arcadiæ pecuaria rudere dicas.
Jam liber, & bicolor poſitis membrana capillis,
Inque manus chartæ, nodoſaque venit arundo.

*collectam; dum in ſolari horologio umbra gnomonis & indicis tangit lineam quintam. Quid agis? quæ eſt iſthæc inertia? Inſtat meridies; jam diu canicula torret meſſes, & ſub arboribus greges frigus captant. Ita loquitur unus e ſodalibus, aut moderatoribus nobilis alicujus adoleſcentis. Cui ſic reſpondet ille: Verumne eſt quod ais? itane eſt? huc ſtatim accedat famulorum aliquis, nemone accurrit, ac veſtes præbet? Cunctante famulo, in iras prorumpit, ac vocem emittit adeò inconditam, ut aſinos omnes Arcadiæ credas rudere. Ubi veſtes induit, ſumit in manus*

ſtomacho coquitur, & quaſi domatur digerendo.

*Deſpumare.* Propriè eſt *ſpumas ex aliquo liquore tollere*: hîc ſumitur pro *digerere, concoquere.* Dum excoquitur vinum, ſpumas agit, bullitque; deſpumare igitur Falernum, eſt crapulam pridianam edormire.

4. *Quinta, &c.* Significatur hora matutina undecima. Duodecim enim horas in die Romani numerabant, ſex ante meridiem, ſex poſt meridiem. Eſt autem hîc hypallage: poſtulat quippe ordo ut dicatur, linea quinta tangitur umbrâ ſtyli ſeu gnomonis.

5. *Canicula.* Eſt ſydus quoddam, ſpeciem referens minoris canis, quo oriente calor augeri vehementer ſolet: *inſana* dicitur, quaſi æſtuoſa, aut rabiem canibus afferens.

8. *Vitrea.* Splendida & pellucida, vel ejuſdem, ac vitrum, coloris.

9. *Finditur.* Ringitur, exclamat præ iracundia: quidam legunt: *Findor, ut Arcadiæ, &c.* Findor, inquit adoleſcens; & rumpor irâ: ſanè, inquit præceptor; ſic enim clamas, ut aſinum rudentem imiteris.

*Arcadiæ.* In Arcadia majores aſini ſunt.

*Pecuaria.* Id eſt, *pecora.*

10. *Liber.* Propriè eſt arborum cortex, in quo ſcribi ſolebat ante inventum chartæ uſum.

*Bicolor.* Pars exterior membranæ cui adhærebant pili, ſeu lana, crocei coloris erat ſeu lutei, interior candidi.

11. *Chartæ.* Teſte Varro-

Tunc queritur, crassus calamo quòd pendeat humor,
Nigra quòd infusâ vanescat sepia lymphâ;
Dilutas queritur geminet quòd fistula guttas.
O miser! inque dies ultrà miser, huccine rerum
Venimus? At cur non potiùs, teneroque columbo,
Et similis Regum pueris, pappare minutum
Poscis, & iratus mammæ lallare recusas?

*librum, ac membranam tonsam & pilis suis exutam, denique calamum. Sed queritur, nunc quòd atramentum nimis sit spissum, & in calamo hæreat; nunc quòd, si aquâ dilutum fuerit, vanescat, suumque amittat colorem; nunc quod idem calamus atramenti nimis diluti guttas duas pluresve in papyrum effundat. O infelix puer, & in dies futurus infelicior! eone tandem redacti sumus, hoccine modo vivimus? At si ita animo es aversò a musis, cur non literis ac virtuti nuntium palam remittis? quin paternam domum repetis, ubi otiosam, ac plenam deliciarum vitam vivas, & instar teneri columbi, aut Regiorum infantium molliter cupediis omnibus vescaris? quin petis ut cibus in minutas partes a nutrice divisus & probè mansus in os tibi inferatur? ac ejus nænias cantilenasque, si dormire nolis, repudias? An vero possum isto calamo tam malè aptato*

ne, est repertus chartæ usus sub Alexandro. Antea in foliis arborum & in corticibus scribebant: deinde in chartis quæ fiebant papyri arboris foliis in Ægypto crescentis. Demum sub Eumene rege inventæ sunt pergami membranæ, quæ inde Pergamenæ sunt dictæ.

*Arundo.* Veteres utebantur ad scribendum arundine, ut nos pennâ, in arundine autem plures sunt nodi.

13. *Sepia.* Sepia *est* piscis qui nigrum ex ore succum effundit, quo aquam turbat, cùm se a piscatoribus capiendum esse videt. Iste niger succus, & ipse interdum piscis pro atramento ponitur, ob similitudinem.

15. *Ultra.* Magis in posterum, ulteriùs.

16. *Columbo.* Solebant viri ac feminæ columbos domi alere magno studio.

17. *Pappare.* Pappa, ut testatur Cato, est infantium cibus; itaque *pappare*, est *pappas comedere*, seu comedere cibos qui minutim concisi, pueris a nutrice dantur, & iste infinitivus pro substantivo adhibetur, *poscis minutas pappas.*

18. *Mammæ.* Mamma non hîc *mammillam*, quam infantes fugunt, significat, sed *matrem*, aut *nutricem*, estque in

An tali ſtudeam calamo ? cui verba ? quid iſtas
Succinis ambages ? Tibi luditur : effluis amens ;
Contemnêre. Sonat vitium percuſſa, malignè
Reſpondet viridi non cocta fidelia limo.
Udum & molle lutum es, nunc, nunc properandus, & acri
Fingendus ſine fine rotâ. Sed rure paterno
Eſt tibi far modicum, purum & ſine labe ſalinum :

*& ſecto ſcribere ? Cui dare te verba putas ? quid iſtas mihi vanas excuſationes occinis ? tute ipſe deludis ; in tuum damnum hæc tota cedet alea : effluit tibi, interim dum tempus ſomno & otio teris, vita ; tu eris olim omnibus, cùm nihil ſcies, ludibrio ; patebit inertia tua & imperitia : non ſecus ac vas ex argilla, ſi non benè coctum, ſi fractum ſit, emittit vitioſum ſonum, & pulſanti malignè reſpondet. Tu inſtar udæ molliſque argillæ nunc es, fingi maturè ac ſedulò inſtar vaſis fictilis, componi tamdiu debes, donec tui mores ad omnem honeſtatem conformentur. Sed objicies mihi te opes avitas habere non contemnendas, nitidam & cultam ſupellectilem, vaſa ſacra, quibus Diis ſacrifices domi, tibi nihil a paupertate me-*

genitivo caſu ; recuſas lallare tuæ nutricis aut matris, quia iratus es.

*Lallare.* Eſt canere vulgarem nutricum næniam quâ per hanc vocem, *Lalla*, ſæpè repetitam pueris ſomnum conciliant. Lallare autem in infinitivo ponitur pro *lallatione*, ſic, *vivere noſtrum*, dixit primâ ſatirâ pro *vita noſtra*. Recuſas igitur lallationem & cantilenam tuæ mammæ ; recuſas dormire, provocatus cantu nutricis.

20. *Succinis.* Succinere, eſt, ad vocem monentis eadem ſæpe reſpondere.

*Tibi luditur.* Proverbium eſt, ut iſtud, tibi ſeritur ac metitur, *hoc eſt*, tua res agitur, tu damnum capies ex tua inertia, non ego.

*Effluis.* Poteſt eſſe ſenſus, otio & mollitie diffluis ſenſim ac tabeſcis.

21. *Vitium.* Id eſt, *vitioſè*, ſeu *non clarè*, *raucè*, ac *ſurdè*.

*Malignè.* Remittit parvum & obſcurum ſonum. Sic maligna lux apud Virgilium eſt parva & dubia.

22. *Fidelia.* Vas eſt fictile, ita dictum, quia fideliter ſervat quæ in illo conduntur.

24. *Rure paterno.* In agro hereditario, & a patre tibi relicto.

25. *Far.* Frumentum.

*Salinum.* Propriè eſt vas in quo ſal reponitur : *omnem ſupellectilem* ſignificat in hoc loco.

Quid metuas? cultrixque foci secura patella est.
Hoc satis? An deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quòd Thuscо ramum millesime ducis,
Censoremque tuum vel quod trabeate salutas?
Ad populum phaleras: ego te intus, & in cute novi:

*tuendum esse; nec in litteras tantopere incumbendum, quibus nempe non indiges ad vitam tolerandam. Tunc igitur opes sufficere putas ad beatè vivendum, contemptâ virtute, quæ sapientiæ & litterarum studio maximè paratur? Ideone superbiâ intumescis, & pulmonem distendis præ fastu, quod in stemmate familiæ tuæ, quæ a Thuscia originem ducit, millesimus es ab tui generis principe & auctore? vel quòd Censorem aliquem ex familia tua salutas trabeatus in transvectione? Ostenta populo hæc inania ornamenta, nempe corporis & fortunæ bona: ille plaudet tibi, teque mirabitur; ego miserabor, & infelicem pu-*

26. *Patella.* Vasculum escarium, in quod aliquid e dapibus mensæ appositis conjiciebant, deferebant in focum, ibique religionis causâ adolebant. Focus verò significat hic *sacrum ignem* quo utebantur in privatis sacrificiis, quibus colebant Deos domesticos.

28. *Stemmate.* Stemma est *tabula genealogica*, instar arboris descripta ubi singuli rami singulas familias, vel personas ex unâ quadam stirpe ductas, notant. Eò major autem nobilitas, quò distant magis rami ab gentis principe & capite, quia antiquior.

*Thuscо, &c.* Nobilissimæ Romanorum familiæ fermè ab Etruria ducebant originem.

*Ramum ducis.* Lineam nempe successionis. Solent advocati stemmata, sive ramusculos facere in genere, cùm gradus cognationum partiuntur.

29. *Censorem, &c.* Erant Censores Magistratus Romanorum, qui emendandis civium moribus præerant. Quinto quoque anno lustrabant civitatem, & nomen, opes, &c. cujusque recensebant: maximè verò turmas Equitum certis temporibus recognoscebant, qui illis sedentibus in foro ante Castoris ædem & spectantibus, transvehebantur trabeati. Alii intelligunt salutari imagines majorum in atrio stantes; eo quòd Neronis tempore censores nulli erant.

*Trabeate.* Ponitur vocativus pro nominativo. Trabea est vestis purpurea Magistratuum propria.

30. *Phaleras.* Phaleræ sunt equorum ornamenta, bullæ frænorum, tapetes quibus teguntur, &c. itemque militum & nobilium ornatus.

*In cute.* Nudatum vestibus illis, & externâ specie.

Non pudet ad morem discincti vivere Nattæ ?
Sed stupet hic vitio, & fibris increvit opimum
Pingue ; caret culpâ, nescit quid perdat, & alto
Demersus, summâ rursus non bullit in unda.
Magne pater divûm, sævos punire Tyrannos 35
Haud aliâ ratione velis, cùm dira libido
Moverit ingenium, ferventi tincta veneno :
Virtutem videant, intabescantque relictâ.
Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci ?

*tabo, quippe qui te introrsum noverim, & sciam esse veris animi bonis destitutum. Nihilne te pudet vivere instar Nattæ, dissoluti ac perditi adolescentis ? quamquam & ille utcumque excusandus est, quia sensum suæ improbitatis & miseriæ nullum habet, ita vitiis occaluit & obduruit ; pinguedo crassa in ejus præcordiis ita increvit, ut nihil sentiat : itaque culpâ caret, & quantum damni faciat, nescit : immersus est alto vitiorum gurgite, neque in aqua summa exstat amplius, aut ullam emergendi spem habet. Tu verò potes intelligere quid pecces, quid amittas, olimque seræ pœnitentiæ cruciatum non effugies. O Jupiter, si tyrannos punire volueris, cùm se in omnem crudelitatem & flagitium effuderint, oculos illis aperi, remove illum stuporem, fac videant dignitatem virtutis, ac dolore conficiantur quod eam neglexerint. Et verò æreo inclusi gemebant ?*

31. *Nattæ.* Natta fuit Romæ quidam prodigus ac helluo. Quidam legunt *Naccæ*.

*Discincti.* Dissoluti, nebulonis. Metaphora ducitur a veste dissoluta & discincta, quam gestare solent ejusmodi homines inertes ac nequam.

33. *Pingue.* Neutrum pro substantivo ; pinguedo & adeps : in adipe autem nullus est sensus, sed tantùm in nervis & carne.

*Nescit quid perdat.* Virtutis enim pulchritudinem jam non videt, & pretium ejus ignorat : sicut & turpitudinem vitiorum & infâmiam haud animadvertit.

*Alto demersus.* Vitiorum barathro absorptus.

34. *Bullit.* Ebullit, enatat, eminet in aquæ superficie.

35. *Sævos punire Tyrannos.* Aliorum malis gaudentes, quales fuêre Busiris, Diomedes, Phalaris, uterque Dionysius, ipseque Nero quem hîc notari plerique autumant.

37. *Moverit.* Ad scelus excitaverit illorum ingenium.

*Tincta veneno.* Crudelitate imbuta, infecta omni acerbitate.

39. *Siculi juvenci.* Phala-

Et magis auratis pendens laquearibus enſis
Purpureas ſubter cervices terruit? Imus,
Imus præcipites, quàm ſi ſibi dicat & intus
Palleat infelix, quod proxima neſciat uxor.
Sæpe oculos, memini, tingebam parvus olivo,
Grandia ſi nollem morituri verba Catonis
Diſcere ab inſano multum laudanda magiſtro,
Quæ pater adductis ſudans audiret amicis.
Jure etenim id ſummum, quid dexter ſenio ferret,

*an majorem Damocli enſis e laqueari appenſus, & ejus capiti imminens, timorem attulit, quàm affert improbo cruciatus ſceleratæ conſcientiæ, cùm ita ſe alloquitur: Heu pereo miſer, & præceps in exitium ruo! quàm illæ formidines quibus vexatur ob ſua ſcelera, tacituſque roditur, adeo ut illas aperire amicis, ac ne uxori quidem ſuæ audeat! Equidem cùm eſſem parvulus, memini me oleum oculis admoviſſe non ſemel, ut lippus eſſe, aut laborare oculis viderer; idque faciebam, ne mandarem memoriæ orationem Catonis Uticenſis morituri, grandi ſtylo compoſitam, quam recitaturus eſſem ſcilicet, laudante vehementer magiſtro meo, & patre cum amicis invitatis eam audiente, ac metuente graviter ne inter declamandum peccarem. Et verò in illa ætate jure quodammodo videbar ludo potiùs quàm litteris delectari: id præcipuè tunc optabam*

ris, Siciliæ Tyrannus, ſolebat homines in æreo tauro includere, cui mox ignem ſubjiciebat, ac vivos ululanteſque miſerè necabat.

41. *Purpureas cervices.* Caput Damoclis aulici, purpureâ veſte induti. Damocles cùm laudaret adulatoriè felicitatem Dionyſii, Siciliæ Tyranni, fecit illi tyrannus vafer experiendi copiam. Hominem ad inſtructam regio luxu menſam jubet accumbere; ſed ſimul e laqueari enſem nudum equinâ ſerâ ſuſpendi ſuprà illius caput imperat. Damocles, hoc metu exanimatus, quàm anxia & miſera felicitas Regum eſſet agnovit, ſolvique ſe periculo rogavit.

45. *Catonis.* Fuit ille nepos M. Porcii Catonis, Uticenſis dictus, quia poſt Pharſalicam pugnam recepit ſe Uticam in Urbem Africæ, ubi, ne veniret in manus Cæſaris, gladio ſe confecit.

48. *Id ſummum.* Videbatur mihi puero ſummus ille apex felicitatis, & votorum omnium, ſcire aleâ ludere. Senio erat ille jactus, quo quis puncta ſex afferebat in ſingulis teſſeris, quæ vulgò tres jaciebantur, eratque jactus omnium feliciſſimus; contrà infeliciſſimus, qui notatas ja-

Scire erat in voto ; damnosa Canicula quantum
Raderet ; anguſtæ collo non fallier orcæ :
Neu quis callidior buxum torquere flagello.
Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores
Quæque docet ſapiens, braccatis illita Medis
Porticus ; inſomnis quibus & detonſa juventus
Invigilat, ſiliquis & grandi paſta polentâ.

*ſcire, quid felix ille jactus in alea, qui ſenio dicitur, ferret lucri : quid detrimenti afferret ille, qui canicula vocatur, & quantum de nummis depoſitis eriperet : quo pacto in arcam faciendæ nuces eſſent, ita ut ab ore vaſculi non aberrarem ; ne quis turbinem buxeum callidiùs me torqueret loro. Verùm tu non eâ jam ætate es, quâ tunc eram : ignotum tibi non eſt quid in morbus curvum, quid rectum ſit : noſti quænam philoſophi Stoici doceant in ſua porticu, ornatâ pictis tabellis, pugnas Perſarum & Medorum cum Græcis exhibentibus, quæ juvenes philoſophiæ ſtudioſi, ſomno utentes parciſſimo, oleribus ac pulte tantùm veſcentes, & tonſis inculti capillis, ſummo labore perciebat ſingulas unico puncto, & canis, ſeu canicula vocabantur.*

50. *Orcæ.* Orca fictile vaſculum erat anguſto collo, in quod pueri nuces conjiciebant ; & quaſcumque in illud conjecerant, tamquam ſuas tollebant ; quas verò extravas abire contigiſſet, eas amittebant.

51. *Buxum.* Trochum e buxo. Tertius eſt puerorum ludus, quem deſcribit Virgilius, Æn. VII ; & vocat *volubile buxum.*

53. *Quæque docet, &c.* Non eſt tibi ignotum quid doceat porticus ſapiens, *id eſt*, Stoïcorum Philoſophia. Chryſippus, & Zeno, Stoïcorum antiſtites, docebant in porticu, quæ Græcè, *Stoa* dicitur : unde hujus ſectæ philoſophi Stoïci ſunt appellati.

*Braccatis.* Braccæ autem ſunt femoralia longiora, quibus Medi utebantur.

*Illita.* Picta, coloribus & tabellis referta, in quibus viſuntur Medi, & Perſæ, pugnantes cum Athenienſibus, & ab iis victi.

54. *Detonſa.* Stoïci comam non alebant. Quod expreſsè notat Juvenalis, Sat. II, ubi habet : *Rarus ſermo illis, & magna libido tacendi, atque ſupercilio brevior coma.*

55. *Siliquis.* Siliquæ ſunt leguminum tunicæ & folliculi : hîc pro *quibuſvis oleribus* ponuntur : Stoïci enim carnibus ferè abſtinebant. Quod addit Perſius, *grandi polentâ*, virum notat robuſtum, fortique ſtomacho valentem, qui multum panis devoret ſolummodò, nullas autem car-

Et tibi quæ Samios deduxit littera ramos,
Surgentem dextro monſtravit limite callem,
Stertis adhuc? laxumque caput, compage ſolutâ,
Oſcitat heſternum, diſſutis undique malis?
Eſt aliquid quò tendis, & in quod dirigis arcum?
An paſſim ſequeris corvos, teſtâque, lutoque,
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?
Elleborum fruſtra, cùm jam cutis ægra tumebit,
Poſcentes videas. Venienti occurrite morbo:
Et quid opus Cratero magnos promittere montes.

*diſcunt. Littera Pythagoræ Samii, duos in ramos diducta, virtutis viam dextrâ parte poſitam tibi oſtendit: & tamen adhuc ſtertis, ignave adoleſcens, & ſtudia negligenter capeſſis? tuumque caput, laxatis ac diſſolutis genarum compagibus, oſcitat, quaſi ab heſterna die ſomnum non vidiſſes. Habeſne aliquem propoſitum tibi vitæ tuæ finem, ad quem, ut ad ſignum, tuas actiones, velut arcum, dirigas? An temerè vivis & vagaris, ut pueri, qui corvos & aviculas teſtis & glebis inſectantur, parum ſollicitus quò te pedes ducant? an vivis in diem, de craſtino nihil curans? Id verò qui faciunt, ſanè faciunt imprudentiſſimè: videas quippe illos, cùm graviſſimis laborant vitiorum morbis, cùm cutis jam intumeſcit, remedia & elleborum petere; at ſeriùs: occurrendum eſt enim morbis, qui, ſi maturè non curentur, fruſtra medico peritiſſimo, qualis eſt Craterus, magnos auri montes polliceatur, morbum ille*

nes: quibus etiam veſci nefas eſſe credebant Pithagorici.

56. *Littera, &c.* Pithagoras philoſophus celeberrimus fuit e Samo inſulâ oriundus. Is duplicem hominibus quaſi viam vitæ propoſitam eſſe dictitabat; dexteram nempe, arduam & difficilem, quæ ad virtutem & ad ſapientiam duceret: ſiniſtram verò, planam & mollem, quæ ad vitia deflecteret. Hanc geminam viam explicabat per litteram, Y, quæ in duos veluti ſecta ramos, iſtud bivium indicaret.

58. *Stertis adhuc.* Tu ſcilicet tam benè educatus, ita molliter & ſegniter vivis, ut etiam nunc dormias?

62. *Ex tempore vivis.* Non ex ratione & certo conſilio, ſed ut res, occaſio, tempus, fors, tulit.

64. *Venienti occurrite morbo.* O Juvenes, citò incumbite ſtudio ſapientiæ & virtuti, quæ animi ſanitas eſt: maturè obſiſtite vitiis, quæ animi ſunt morbi.

65. *Cratero.* Is fuit inſignis medicus tempore Auguſti.

Discite, vos miseri, & causas cognoscite rerum,
Quid sumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quà mollis flexus, & unde:
Quis modus argento; quid fas optare: quid asper
Utile nummus habet; patriæ, charisque propinquis 70
Quantum elargiri deceat; quem te Deus esse
Jussit, & humanâ quâ parte locatus es in re.
Discе; nec invideas, quod multa fidelia putet

*inveteratum non sanabit. Itaque, o miseri mortales, maturè discite quæ juvent ad animos vestros curandos & ad bene vivendum: quæ sint rerum causæ: quid rei homo sit, cur in lucem editus fuerit: quis optimus ordo servandus in rebus; quomodo hujus vitæ curriculum debeamus emetiri, & periculà, ut metas ac flexus molliter & scitè declinare, unde incipiendum, ubi sistendum: quem in pecunia quærenda modum adhibere deceat; quid liceat optare, quid utilitatis afferant opes, quantum ex iis largiendum patriæ & propinquis, quo te in statu vitæ, & qua in statione voluerit esse Deus in hoc orbe terrarum. Hæc, inquam, discе omnia: & ita tuo gradu & conditione contentus vive, ut non movearis invidiâ, cùm adspicies in*

67. *Quidnam.* Quid acturi nascimur, quam vitam vivere debemus.

*Ordo.* Hic ordo rerum a Deo præscriptus est, ut erga Deum ipsum piè, erga alios justè, erga nos sobriè vivamus. Per ordinem rerum, non malè divinam Providentiam, quæ omnia ordinat, intelligas.

68. *Metæ flexus.* Vitam comparat cum curriculo & stadio. In eo erat meta, quam oportebat curru circumflectere, & qui omnium primus metam circumibat, non confractis rotis, ac inoffenso curru, hic vicerat. Per flexum igitur metæ, intelligit Persius artem vitæ regendæ & moderandæ: vel etiam mortem, hoc sensu; discite quàm brevis ac fluxa vita sit: ut enim meta finis erat stadii & cursûs, ita mors finis est vitæ. Unde flexus ætatis pro senectute usurpatur a Tullio. Flexus autem hîc *mollis* dicitur, quia citò & rapidè, scienter ac peritè debet peragi.

*Et unde.* Unde iste metæ flexus molliter inchoandus sit: unde oriatur senectus, & mors.

69. *Asper.* Recens usus, nuper signatus.

73. *Fidelia.* Vas vinarium est, aut escarium.

In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris:
Et piper & pernæ, Marsi monumenta clientis,
Mænaque quod primâ nondum defecerit orcâ.
Hic aliquis de gente hircosa Centurionum
Dicat: Quod sapio, satis est mihi; non ego curo
Esse quod Arcesilas, ærumnosique Solones,
Obstipo capite, & figentes lumine terram;
Murmura cùm secum, & rabiosa silentia rodunt,

*penu divitis causidici, qui locupletes Umbros defendit, multa vasa plena cibis, qui jam putrescunt & fœtent; tanta est illorum copia: cùm videbis piper, ac pernas dono datas illi a Marsis clientibus, ac pisces, in orca prima conditos, nondum defeciſſe, atque absumptos esse, cùm alias orcas piscium plenas domi adhuc habeat, sibi donatas ab iisdem vel aliis clientibus. Hoc loco quispiam ex olido & hirsuto militum genere, mihi objiciet: Ego meâ sapientiâ & virtute contentus sum; nihil requiro præterea; neque curo similis esse Arcesilæ, Soloni, & miseris philosophis, qui se ad assequendam sapientiam torquent ac macerant; qui collo rigido atque immoto, oculisque humi defixis incedunt; qui taciti secum immurmurant, ac rabiosos canes, collisis dentibus, imitantur, verbaque, labris extensis ac projectis antrorsum, repetentes ex intervallo, quasi in trutina librant & expendunt, secùm me-*

74. *Umbris.* Umbri fuerunt Italiæ populi, dites & opulenti.

75. *Marsi.* Populi sunt Italiæ.

*Monumenta.* Pignora benevolentiæ: dona, quæ moneant mentem patroni, ut caussæ clientis recordetur.

*Cliens.* Cliens ille dicitur, cujus causa defenditur a patrono. Vide Juvenal. Sat. I, nota *Clientes*, & Sat. III, nota 115.

76. *Mæna.* Piscis genus est.

*Orcâ.* Vas, in quo reponebant salsamenta, & alia id genus.

77. *De gente.* Gens, natio, sæpè sumitur pro secta aliqua & ordine hominum; ita natio poëtarum dicitur.

*Hircosa.* Hircus est alarum sive axillarum graveolentia, odor fœtidus, qualis est hircorum.

*Centurionum.* Centurio centum militibus præerat.

79. *Arcesilas.* Fuit philosophus academicus insignis suâ tempestate: is dicebat nihil sciri posse. Solon unus fuit e septem Græciæ sapientibus: floruit Athenis, regnante Romæ Tarquinio Prisco.

81. *Rabiosa silentia.* Dicuntur canes rabidi non latrare.

Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Ægroti veteris meditantes somnia; *Gigni*
*De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.*
Hoc est, quòd palles? cur quis non prandeat, hoc est?
His populus ridet, multumque torosa juventus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.
Inspice, nescio quid trepidat mihi pectus, & ægris
Faucibus exsuperat gravis halitus, inspice, sodes;
Qui dicit medico, jussus requiescere, postquam
Tertia composítas vidit nox currere venas,
De majore domo modicè sitiente lagenâ,
Lenia loturo sibi Surrentina rogavit.

*ditantes inania vacuæ mentis commenta, similia somniis veteris alicujus ægroti, v. g.* quòd ex nihilo nihil gignatur, nihil in nihilum redeat. *Hoccine tandem est, inquit iste Centurio, propter quod impallescis & te vexas? Hoc ut mediteris & expendas, prandio abstines? His Centurionis dictis populus arridet, ac robusti juvenes, militiæ dediti, cachinnis sublatis applaudunt. Ego illi sic respondeo. Finge aliquem ægrotum ita medicum alloqui: Quæso te, vultum meum & venam micantem contemplare: nescio quid sit causæ, cur mihi cor palpitet, cur totum pectus horrore concutiatur, & halitus malè olens e faucibus ægrè animam ducentibus erumpat. Hunc medicus jubet continere se in lectulo, & quieti indulgere. Ille ubi se per triduum valuisse videt, ac pulsu æquali venas micare, oblitus medici consiliorum, mittit in amici divitis domum, & rogat inde sibi afferri lagenulam optimi vini Surrentini; mox*

86. *Torosa.* Pinguis, obesa; tori enim sunt carnis musculi.

87. *Crispante.* Tremente naso, & in rugas contracto.

88. *Inspice.* Respondet Stoïcus præceptor orationi Centurionis, necessarium esse philosophiæ studium, quod qui negligunt, ruunt in vitia præcipites & malè pereunt; ut ægroti, neglectâ medici curatione, intereunt.

89. *Sodes.* Vox blandientis, oro te, factum ex *si* & *audes*.

92. *Majore.* Ditiore.

*Modicè sitiente.* Modicè amplâ, non multùm vini capiente. Multùm sitit lagena, quæ multum vini capit.

93. *Surrentina.* Surrentum urbs fuit Italiæ in Campania: hujus vina lenia & salubria erant, maximè convalescentibus.

Heus, bone, tu palles. Nihil est. Videas tamen istud
Quidquid id est; surgit tacitè tibi lutea pellis.
At tu deteriùs palles: ne sis mihi tutor:
Jampridem hunc sepelì: tu restas. Perge, tacebo.
Turgidus hic epulis, atque albo ventre, lavatur,
Gutture sulphureas lentè exhalante mephites.
Sed tremor inter vina subit, calidumque trientem
Excutit e manibus; dentes crepuere retecti;
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris:
Hinc tuba, candelæ; tandemque beatulus alto

*ad balneum loturus pergit. Redit medicus, videt hominem pallidum: Palles, inquit, amice. Hoc verò nihil est, inquit æger. Noli tamen id negligere, ait medicus; pellis tibi sensim flava intumescit. Tu verò, medice, pejus quàm ego, palles. Facesse, noli me tractare severiùs, ut pupillos tutor solet: ego meum tutorem jam diu sepelivi; vide ne te quoque sepeliam. Bene est, reponit medicus, taceo, & abeo. Igitur ille ægrotus, ubi se ingurgitavit cibis, alvi jam pallidâ pelle intumescente, lavat se in balneis, odorem tetrum e faucibus exhalans: at mox, ubi repetit epulas, & poculum accipit, horrore subito ac tremore corripitur, & manus titubans olli poculum excutit aquâ calidâ plenum; crepitat dentibus, qui præ horrore labiis contractis reteguntur & apparent; cibi excidunt ore: moritur; atque ad ejus funus deducendum parantur tibicines, cerei, ac tædæ, tandemque iste delicatulus medici con-*

94. *Bone.* Vox blandientis.

95. *Lutea.* Pallida, crocea. Primam syllabam ea vox hîc longam habet quæ brevis est, cùm a luto fit, luteus, *id est*, cœnosus.

96. *Tutor.* Tutores erga pupillos ferme sunt severi: hinc tutor, pro homine austero & rigido sumitur.

97. *Sepelì.* Pro *sepelivi*.

*Tu restas.* Tu, qui mihi jam advenis ut tutor novus, restas à me sepeliendus. Vel, tune hîc restas adhuc? non abis?

98. *Lavatur.* Solebant uti balneo post cibum sumptum. Id verò noxium ægrotis, maximè hydropicis.

99. *Mephites.* Mephitis est odor teter, qui maximè ex aquis sulphureis & corruptis emittitur: hîc animæ graveolentiam significat.

100. *Trientem.* Triens est genus vasis, ita dictum, quia quatuor uncias continet: est enim triens quarta pars numeri duodenarii.

102. *Uncta.* Pinguis, lauta.

*Pulmentaria.* Opsonia, cibi quilibet. Facta vox a pulte.

103. *Tuba.* Præcedebant

Compositus

Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit; at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.
Tange, miser, venas, & pone in pectore dextram:
Nil calet hîc? summosque pedes attinge, manusque,
Non frigent? ingens si fortè pecunia visa est,
Cor tibi ritè salit? positum est algente catino
Durum olus, & populi cribro decussa farina;
Tentemus fauces; tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeïa radere beta.

*temptor, in feretro collocatus, & unguentis perfusus, deponitur pedibus in publicum versis, ad januam, mox ad rogum & tumulum deportatur a servis, qui ab eo, priùs quàm obiret, pridie donati pileo fuerunt & libertate, adeoque recèns facti cives Romani. Age nunc, o philosophiæ contemptor infelix, similem esse te illi ægroto agnosce: explora tu ipse tibi venam, manum pectori applica, nihilne immodici & alieni caloris deprehendis? attrecta pedes extremos & manus, nonne frigent? quid? an non cor tibi trepidat, & insolito motu subsilit, cùm pecuniam adspicis? quid, si olera & viles cibi in frigidis lancibus tibi apponantur, si panis multo mixtus furfure, qualis e farina, plebeio cribro purgata, fieri solet? fauces tenta, ibi deprehendes ulcus tetrum, nempe gulam, quæ istis ple-*

funus nobilium tubæ, pauperum tibiæ.

104. *Lecto.* Feretrum instar lecti sternebant.

*Lutatus.* Unctus. Lutare; est *luto inficere*: hîc *ungere*.

*Amomis.* Unguentis, aromatibus, quibus cadavera solebant oblini.

106. *Hesterni Quirites.* Romani, ita dicti, vel a Romulo, qui dictus est Quirinus; vel a Curibus, urbe primariâ Sabinorum, quibuscum prima fœdera junxerunt, appellati sunt Quirites: servi autem non recensebantur inter cives, nisi donarentur libertate.

*Induto.* Liberti pileum sumebant, ut insigne libertatis.

*Subiere.* Extulere, feretrum humeris imposuere.

110. *Catino.* Patinâ, lance.

111. *Decussa.* Purgata a furfure populi cribro, quod non excudit omne furfur, neque excutit: unde panis fit ater, & secundarius.

113. *Radere.* Perstat in metaphora: ulcera enim, si quid asperius affricetur, raduntur & offenduntur: ita homo gulæ deditus respuit olera plebeïa, qualis est beta: & ejus guttur istis cibis vellicatur ac raditur.

Alges, cùm excussit membris timor albus aristas:
Nunc face suppositâ ferveſcit sanguis, & irâ
Scintillant oculi; dicisque faciſque, quod ipse,
Non sani esse hominis, non sanus juret Oreſtes.

*bëiis cibis contenta non sit, seque illis offendi queratur. Nunc timore quateris, qui tibi capillos aristarum instar subrigit; nunc irâ sanguis tibi succenditur, ut si fax illi supponeretur, & oculi scintillant; eaque dicis ac facis, quæ Oreſtes ipse, licèt insanus, tamen facilè videat esse hominis dementis, & ratione destituti.*

117. *Oreſtes.* Filius Agamemnonis fuit, Græcorum Regis, qui cùm Clytemneſtram matrem interfeciſſet, furiis eſt agitatus, & in insaniam actus. Conſule Juvenal. Sat. VIII, nota 213; & Sat. I, nota 6.

# SATIRA QUARTA.

*Magiſtratus gerendæ Reipublicæ imperitus. Aliena vitia cernunt omnes magis quàm ſua.*

REM populi tractas? (Barbatum hæc crede magiſtrum
Dicere, ſorbitio tollit quem dira cicutæ)
Quo fretus, dic hoc, magni pupille Periclei?

*ADMINISTRAS Rempublicam, o Alcibiade, pupille magni periclis (finge hæc a Socrate illi dici). Quibus tandem virtutibus es fretus, ut hoc a te rectè faciendum*

1. *Barbatum.* Socratem intelligit Athenienſem Philoſophum, virum ſapientiſſimum, qui morte damnatus ab Athenienſibus, quod de Diis perperam ſentire diceretur, hauſto veneno e cicuta confecto, periit. Philoſophi autem barbam alebant.

*Magiſtrum.* Seu quia fuit Socrates Pædagogus Alcibiadis: ſive quòd, ut habet Cicero, 2 de Finibus, n. 1, *Socrates philoſophiæ parens jure dici poteſt.*

3. *Pupille.* Alcibiadem hæc verba indicant, qui tutorem a patre accepit patruum ſuum Periclem, Græcorum ducem maximum. Volunt aliqui, ſub Alcibiadis perſona, caſtigari Neronem.

Scilicet ingenium, & rerum prudentia velox
Ante pilos venit? dicenda, tacendaque calles?
Ergo ubi commotâ fervet plebecula bile,
Fert animus calidæ feciſſe ſilentia turbæ,
Majeſtate manûs: quid deinde loquêre? Quirites,
Hoc, puto, non juſtum eſt, illud malè, rectius iſtud:
Scis etenim juſtum geminâ ſuſpendere lance
Ancipitis libræ; rectum diſcernis, ubi inter
Curva ſubit, vel cùm fallit pede regula varo,
Et potis es nigrum vitio præfigere *Theta*.

*eſſe confidas? an ingenium tibi & prudentia maturior ante ætatem venit? an tenes quid tacendum, quid dicendum in loco ſit? Age ergo, ubi populus iratus excitaverit ſeditionem, libet tumultum ſedare, protatâ manu cum dignitate, & ſilentium indicere: quid dices deinde? nempe: O cives, ea res injuſta eſt: illa malè, hæc rectiùs, opinor, fiet: ſcis etenim quod juſtum eſt examinare rectâ judicii & rationis trutinâ; internoſcis quod eſt rectum, ubi inter curva & vitioſa latet, vel cùm aliqua morum & juris regula evadit curva & fallax, eam videlicet emendare potes; & prava vitioſaque noſti condemnare, nigram illis*

4. *Scilicet ingenium.* Ironicè hæc & ſequentia. Porrò *ingenium*, juxta Caſaubonum, hîc poteſt accipi pro *ſapientia*, *judicii maturitate.*

*Rerum prudentia.* Experientia, uſus.

*Velox.* Præmatura, ante tempus, ante pubertatem, quæ apud Athenienſes ſumebatur, ut aiunt, ab anno ætatis decimo octavo.

5. *Pilos.* Ante barbam, ante canos, ante grandiorem ætatem.

8. *Quirites.* Propriè cives Romani ſunt ſic dicti a Curibus urbe Sabinorum, aut a *Quiri*, quæ vox, linguâ Sabinâ, haſtam ſonat. Hîc autem, per catachreſim de Græcis intelligi debet.

11. *Ubi inter.* Ubi ſe abſcondit & latet inter curva, *id eſt*, inter injuſta & iniqua. Virtus enim eſt in medio vitiorum duorum.

12. *Varo.* Diſtorto, obliquo & curvo. Vari propriè dicuntur, qui pedes introrſum inflexos habent. Exemplum ſit. Eſt hæc juris regula, *Reddatur depoſitum*: aliquis ſanus enſem apud te depoſuit; cùm repetit idem in inſaniam actus; fallit hoc loco regula, neque enim debes reddere depoſitum.

13. *Theta.* Græcorum judices, cùm reum condemnabant, ſolebant tabellas in urnam, vel ciſtam dimittere, in

Quin tu igitur, summâ nequicquam pelle decorus,
Ante diem blando caudam jactare popello
Desinis, anticyras melior sorbere meracas?
Quæ tibi summa boni est? unctâ vixisse patellâ
Semper, & assiduo curata cuticula Sole?
Exspecta; haud aliud respondeat hæc anus. I nunc,
Dinomaches ego sum: suffla; sum candidus: esto,
Dum ne deteriùs sapiat pannucia Baucis,
Cùm bene discincto cantaverit ocyma vernæ.

*& feralem litteram imponendo. Vides te istis omnibus carere dotibus, & solâ corporis formâ præstare: quin igitur cessas captare populi gratiam, ante idoneam ætatem & prudentiam, & illi te venditare, tu qui rectiùs faceres, si caput ac insaniam tuam purgares elleboro, quàm si administrationem imperii susciperes? Dic mihi, o infelix adolescens, qua in re summum bonum ponis? nempe in lauto victu, in curanda cute ad solem. Exspecta tantisper, quæramus quid sentiat hæc vetula quæ præterit, certè nihil aliud respondebit de summo bono. Nunc tibi plaude, ac beatum te puta, quia nobilis es, & filius Dinomaches: buccas infla, gloriare de forma & pulchritudine. Sit ita sanè, do id tibi libenter, modò tu mihi vicissim concedas te nihilo sapientiorem esse, quàm sit anus pannosa, quæ in foro olitorio herbas servis protervis emendas proclamat, non sine convitiis, quibus illos proluit. Quam*

quibus erat scripta Græca littera, *Theta*, quia *Thanatos*, quæ vox Græcè mortem significat, ab ea littera incipit.

15. *Caudam jactare.* Ita canes solent, cùm blandiuntur dominis.

16. *Anticyras.* Anticyræ erant insulæ duæ eo nomine, in quibus ellebori magna copia nascebatur: valet illud contra insaniam.

*Melior sorbere.* Græca loquendi formula; *id est*, aptior & dignior qui sorbeas.

*Meracas.* Id est, merum & purum elleborum, ut remedium sit præsentius.

17. *Unctâ patellâ.* Pinguibus patinis, *id est*, cibis delicatis.

18. *Sole.* Cutem ungebant ad Solem, aut ignem: apricò in loco certis horis interdum considebant, valetudinis causâ.

20. *Suffla.* Sufflare, est, flatum buccis tumentibus edere.

21. *Pannucia.* Pannosa, Baucis est nomen vetulæ, apud Ovidium celebris: pro *qualibet vetula* ponitur.

22. *Discincto.* Luxurioso, nebulone, prodigo.

*Ocyma.* Ocymum est genus leguminis.

Ut nemo in seſe tentat deſcendere, nemo!
Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo!
Quæſieris: Noſtin' Vectidî prædia? Cujus? 25
Dives erat Curibus, quantum non milvus oberret.
Hunc ais? hunc Diis iratis, Genioque ſiniſtro!
Qui, quandoque jugum pertuſa ad compita figit,
Seriolæ veterem metuens deradere limum,

*verum hoc effatum eſt, neminem ſe excutere, ſe inſpicere, ac ſua ſcrutari vitia! ut illa pars manticæ, quæ eſt in tergo hominis præcedentis, nobis ob oculos aſſiduè verſatur! Si fortè quæſieris ab aliquo: Noſtine prædia Vectidii? Cujus, inquiet ille? Nempe ille eſt, qui in agro Sabinorum tantum agri poſſidet, quantum milvus non percurrat per diem integrum volando. Hunccine ais? hominem nempe iratis ſuperis, ac Genio adverſo natum: ita miſerè avarus eſt. Qui, cùm poſt ſementem factam aratrum ſuſpendit ad compita, dolens quod lagunculæ operculum pice oblitum reſignare cogatur, ſuſpirat, & ut bonum ac fortu-*

*Vernæ.* Verna propriè eſt ſervus ex ancilla domi tempore verno natus: ponitur hîc pro *quolibet ſervo.*

24. *Mantica.* Dicebat Æſopus nos vitia noſtra, tamquam onus incommodum & inviſum in peram ſeu manticam conjicere, quam tergo impoſitam geſtaremus. Eſſe autem homines in vita, ut in via, ita ut alii alios ſequerentur, & eam, quæ ſibi a tergo penderet, manticam nemo adſpiceret, ſed eam quæ præcedentis tergo eſſet impoſita, peccatis alienis plenam. Occaſionem hujus digreſſionis ex eo ſumpſit Perſius, quòd Alcibiades ſeipſe videretur ignorare, ac probè tamen cognitus aliis foret, qui aliena intuentur vitia, dum ſua neſciunt.

26. *Curibus.* Cures urbs fuit præcipua Sabinorum.

27. *Genio.* Genius Deus eſt hilaritatis ac lætitiæ dator: itaque genio irato & adverſo natus dicitur, qui genium defraudat, qui parcè vivit ac duriter.

28. *Jugum.* Agricolæ, poſt ſementem factam, certum diem feſtum, inſigni lætitiâ, vino epuliſque celebrabant in compitis, in quibus aratra ſuſpendebant.

*Pertuſa.* Perforata; quia compita ſunt loca, unde patet ingreſſus in multas vias: vel calcata, & contrita.

29. *Seriolæ.* Seria eſt vas teſtaceum, amphora.

*Limum.* Lutum, picem, quâ obturatur os amphoræ.

*Deradere.* Deripere, detrahere.

Ingemit : *Hoc bene sit* ; tunicatum, cum sale, mordens
Cæpe, & farratam pueris plaudentibus ollam,
Pannosam fæcem morientis sorbet aceti?
At si unctus cesses, & figas in cute solem,
Est prope te ignotus, cubito qui tangat, & acre
Despuat in mores, arcanaque crimina carpat.
Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis :
Vivitur hoc pacto ; sic novimus. Ilia subter
Cæcum vulnus habes, sed lato balteus auro
Protegit : ut mavis, da verba, & decipe nervos,

*natum sit, precatur ; tum cæpe adhuc suis tunicis involutum comedens, cum sale, & olla pultis plena, servis ob epulas adeo delicatas plaudentibus, vinum vapidum & fugiens quod acetum dici potest, avidè haurit usque ad fæcem. Hæc dicis de Vectidio, quisquis illum ita carpis ; sic illius vitia rides : at si tu post lautas epulas in otio marcescis unguentis delibutus, & ad solem apricaris ; non deerit aliquis fortè ignotus, qui te carpat vicissim, & te cubito pulset, tuaque tibi vitia occulta exprobret. Ita carpimus alios, & linguâ, ut jaculo, vulneramus ; ita vicissim ab iis vulneramur & carpimur : sic sunt homines, sic vivunt. Sic alii alios norunt : sic tua, o Alcibiades, vitia perspicimus. Tu habes occultum vulnus intra viscera, sed tuus balteus, latior & auro ornatus, impedit quominus appareat : age ut libuerit, finge te sanum esse, ac*

30. *Hoc bene sit.* Quasi rem magnam acturus, precatur omnes Deos, ut bene illam sibi ac feliciter evenire velint.

31. *Farratam.* Farre multo plenam, seu pulte confectâ ex pingui frumento, e farina farris.

32. *Pannosam.* Fæx vini rancida & sicca, in pannosas veluti lacinias arescit.

34. *Est prope te ignotus.* Aderit quidam quem non noris, sed qui te probè norit, tuamque adeo vitam occultasque libidines expromet.

*Cubito, &c.* Id fit, cùm aliquem duriùs admonemus : eum cubito fodimus.

35. *Despuat.* Dicimur in aliquam rem despuere, cùm eam exsecramur.

38. *Cæcum vulnus.* Ita vocat lididines & occulta flagitia.

*Balteus.* Hac voce potentiam & opes innuit, quæ magna sunt vitiorum integumenta : quis enim potentem ac divitem accusare velit, quis ausit ?

39. *Da verba.* Impone aliis, fucum facito.

Si potes. Egregium cùm me vicinia dicat,
Non credam? viſo ſi palles, improbe, nummo!
Si puteal multâ cautus vibice flagellas;
Nec quicquam populo bibulas donaveris aures.
Reſpue quod non es: tollat ſua munera cerdo:
Tecum habita; & noris quàm ſit tibi curta ſupellex.

*te, ſi potes, accipe, & læſis nervis, corruptis viſceribus, nega te ægrotare. Atqui me vicini omnes laudant & virum eſſe bonum prædicant: cur illis non credam? Si, o improbe, viſo nummo, ejus deſiderio perturbaris: ſi debitores tuos iniquis uſuris vexas; fruſtra aures laudis avidas populo adulanti præbes. Repudia laudes, tibi non debitas: vilis plebecula & infimi artifices ſervent ſibi ſuas adulationes & ſua dona; te inſpice, te conſule, qui ſis, quid habeas: tum intelliges quàm tuæ opes ac virtutes exiguæ ſint.*

*Nervos decipe.* Metaphora ducitur ab iis qui cùm articulari morbo laborent aut paralyſi, qui nervos obtundit, fingunt ſe tamen valere.

42. *Puteal.* Propriè eſt putei operculum. Locus fuit Romæ ita dictus, in quo exercebantur judicia; eratque ibi Prætoris tribunal; in eumdem locum fœneratores conveniebant, ut a debitoribus uſuras exigerent.

*Vibice.* Vibex eſt ſignum vulneris inflicti, cicatrix. Per hanc metaphoram ſignificatur acerbitas & ſævitia fœneratorum in debitores, ſive litigatorum improbitas.

44. *Sua munera.* Laudes immeritas vocat munera aſſentatoris.

*Cerdo.* Cerdo eſt veterum calceorum ſutor, in hoc loco, vilis opifex quilibet.

45. *Curta.* Manca, mutila, exigua.

# SATIRA QUINTA.

*Primùm gratias agit præceptori suo, quem pluribus laudat: deinde in quo vera libertas posita sit, præclarè docet.*

VATIBUS hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora, & linguas optare in carmina centum:
Fabula seu mœsto ponatur hianda tragœdo;
Vulnera seu Parthi, ducentis ab inguine ferrum.
Quorsum hæc? aut quantas robusti carminis offas
Ingeris, ut par sit centeno gutture niti?

*FACEREM hic libenter, quod vates solent, qui consueverunt optare, ut centum sibi ora & centum linguæ suppetant, ad ea dicenda, de quibus carmen scribunt; seu tragœdiam componant, ab mœstis actoribus clamore magno recitandam; seu describant bella cum Parthis gesta, qui sagittas ferro præfixas extrahunt ipsi e pectore vulnerato, & in hostes retorquent. Cur sic incipis, o Persi; quorsum hæc optas? Quodnam illud tandem est carminis tui ac Satiræ istius argumentum, cui explicando egeas centum faucibus, veluti ad ingentem offam deglutiendam? Qui*

1. *Vatibus, &c.* Est in hac Satira dialogus inter Cornutum & Persium.

3. *Fabula.* Tragœdia, quia multa in tragœdiis fingi a poëtis solent.

4. *Parthi.* Parthi sunt populi Asiæ, Persis vicini, Romanorum hostes infensissimi, sagittandi periti valde, & fugam simulando vincere assueti. Unde Virgilius, Georg. 3. *Fidentemque fugâ Parthum versisque sagittis.*

*Ferrum.* Sagittas ferro armatas in cuspide. Synecdoche.

5. *Quorsum hæc?* Fingit Persius adesse Cornutum præceptorem suum, quem alloquitur in hac satira.

*Offas.* Offa est propriè frustum carnis tumidum: sumitur hic pro partibus magni alicujus & tumidi carminis.

6. *Ingeris.* Alias aliis cumulas, aggeris, & stipas: vel potiùs, infers tibi in os & buccam, ut opus sit centeno gutture ad eas deglutiendas.

Grande locuturi nebulas Helicone legunto:
Si quibus aut Prognes, aut si quibus olla Thyestæ
Fervebit, sæpe insulso cœnanda Glyconi:
Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos; nec clauso murmure raucus?
Nescio quid tecum grave cornicaris ineptè,
Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.
Verba togæ sequeris, junctura callidus acri,
Ore teres modico, pallentes radere mores

*grande scribendi genus affectant, pergant sanè in Heliconem, & ibi colligant obscuras & sublimes locutiones; si nempe cœnam, quam Progne Tereo, aut Atreus Thyestæ apposuit, sumunt exhibendam per insulsum illum actorem Glyconem, qui Terei cœnantis, aut Thyestæ partes agat. Tu carmen ejusmodi turgidum non scribis; neque imitaris folles, qui, interim dum igne ferrum in camino coquitur, ventos colligunt, & magno cum sonitu reddunt: nec rauca voce, & inter dentes concluſa, ineptè aliquid immurmuras: nec buccis inflatis, ingenti sonitu, versus ampullatos recitare amas. Uteris verbis in communi usu positis, & genere scribendi sic aptè composito & nexo, ut numerosus*

8. *Prognes.* Progne fuit Pandionis filia, Philomelæ soror, Terei Thraciæ Regis uxor, quæ filium suum Itym epulandum apposuit marito, a quo Philomela temerata fuerat.

*Thyestæ.* Thyestes Mycænarum Rex, Pelopis filius, frater Atrei fuit; qui cùm uxorem fratris temerasset, Atreus suos ipsi liberos in mensa apposuit, in olla coctos, reservatis capitibus illorum & pedibus, quæ postea illi obtulit, ut agnosceret suum dolorem.

12. *Cornicaris.* More cornicis, tacitum quiddam & surdum crepas ac loqueris.

13. *Stloppo.* Stloppus est ille sonus, qui inflatis buccis ac dispulsis editur.

14. *Verba togæ sequeris.* Non bella carmine describis, sed quæ pacis tempore in usu sunt.

*Toga.* Toga est vestis exterior, usitata Romanis, qui togati hinc dicti: significat hoc in loco usitatum loquendi genus oppositum ampullato & inflato. Eadem toga pro *pace* etiam sumitur, quia cives eâ utebantur in Urbe, cùm milites sago in castris uterentur.

15. *Teres.* Rotundus, perfectus ac politus. Quidam legunt, *teris*, hoc est, expolis, concinnas.

*Pallentes.* Sceleratos, quia improbi pallent ob flagitia.

Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.
Hinc trahe quæ dicas, mensasque relinque Mycænis,
Cum capite & pedibus, plebeiaque prandia noris.
Non equidem hoc ſtudeo, bullatis ut mihi nugis
Pagina turgeſcat, dare pondus idonea fumo.
Secreti loquimur; tibi nunc, hortante Camœnâ,
Excutienda damus præcordia; quantaque noſtræ
Pars tua ſit, Cornute, animæ, tibi dulcis amice,
Oſtendiſſe juvat. Pulſâ dignoſcere cautus
Quid ſolidum crepet, & pictæ tectoria linguæ.

*concinnuſque ſit ſtylus tuus, non immodicè intumeſcens, & inflatus. Callidè inſectaris hominum ſcelera, moreſque pravos carpis acriter, atque pungis, ludendo liberaliter & urbanè. Hæc illa ſunt argumenta, unde tuis materiam verſibus debes ſumere; relinque Græcis Thyeſteas menſas, ubi elixum puerorum caput cum pedibus ſervatum eſt, in epularum fine oſtendendum: expende prandia ipſius plebis & mores ejus quotidianos, ac luxum argue. Ego verò non ob eam cauſam centum voces mihi opto, quòd in iſtis verſari argumentis velim: neque enim id ago, ut repleam libros verſibus ampullatis & ſplendidè inanibus, quibus nugas poëtarum & fabulas exornem & commendem. Sine arbitris, ſolus ſolum te nunc alloquor, ſuadetque mihi mea Muſa, ut latebras mei pectoris tibi explorandas præbeam: placet tibi nunc oſtendere, o amicorum dulciſſime, quàm verè te amem, & quanta ſit pars anima tua meæ. Explora me, ut ſolent qui vaſa fictilia emunt; tu, inquam, qui ſcis probè dignoſcere quo ſono vas intelligatur ſolidum eſſe, quænam amicitia vera & germana, quænam ſit fucata & mendacibus verbis tecta. Ea cauſa eſt, cur centenas mihi*

16. *Culpam defigere.* Notare & pungere: ſtylum in vitiis penitus figere: defigere enim, eſt, validè figere.

17. *Mycænis.* Mycænæ urbs Græciæ eſt in Peloponneſo, ubi Atreus regnavit.

19. *Bullatis.* Bulla eſt aqua ſumma intumeſcens, & in globulum vento plenum ſe convolvens: pro *re tumidâ* & *fulgenti*, ſed *inani* & *vacuâ*, ſumitur.

21. *Secreti.* Quæ fiunt ad inanem gloriam captandam, in lucem efferuntur, ut incurrant in ora & oculos aliorum.

25. *Tectoria.* Hic ſignificat fucatam amicitiam quæ verbis tantùm conſtat, cùm aliud in animo lateat.

Hìc ego centenas ausim deposcere voces,
Ut quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham purâ, totumque hoc verba resignent,
Quod latet arcanâ non enarrabile fibrâ. r
Cùm primùm pavido custos mihi purpu a cessit, 30
Bullaque succinctis Laribus donata pependit;
Cùm blandi comites; totâque impune Suburrâ
Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo;

*dari voces velim, ut sincerâ oratione prædicem, quàm altè in animo defixus mihi sis, idque verbis aperire possim, quod in intimo latet pectore. Cùm primùm prætextam vestem deposui, quæ puerilis integritatis & verecundiæ veluti custos est, bullamque donavi & appendi Laribus; cùm uti sociis & congerronibus blandis cœpi, cùm clypeum, militiæ per ætatem jam patiens, candidum ut tyro, sumpsi; cùm per Suburram, vicum cupediis ac deliciis infamem, oculos jam*

27. *Sinuoso in pectore fixi.* In latebris animi reconditissimis adeo te infixi, ut totus in me sis, & totus sim tuus.

29. *Fibrâ.* Corde, pectore.

30. *Purpura.* Toga puerilis, seu prætexta; sic dicta, quia illi purpureus limbus attexebatur. Hanc gestabant, ut etiam bullam pueri nobiles usque ad annum 16 exactum, eaque depositâ, virilem togam induebant. *Custos* dicitur, quia illa vestis sacra erat, & qui eâ uterentur, sancti & venerabiles habebantur: itaque dabatur Magistratibus: item pueris, ut eorum pudicitiæ custos esset.

*Pavido.* Vel quia pueri meticulosi sunt, vel quia magistrorum minas ac verbera tunc timent.

*Cessit.* Deposita est, me reliquit.

31. *Bullaque.* Erat corculum quoddam, vel aliud quidpiam ex auro, argento, &c. quod nobilium puerorum collo appendebatur.

*Succinctis.* Lares Dii erant domestici, qui singulis in domibus, & in aliis quibusdam locis publicè colebantur. Habebant vestem, quæ canina pellis erat, instar peregrinantium altè cinctam, & in humerum sinistrum reductam ac obvolutam.

32. *Cùm blandi comites.* Non asperi monitores aderant amplius, quales patruus, aut Pædagogus, qui sumptâ virili togâ removebatur.

33. *Umbo.* Est propriè pars in medio clypeo eminens, & intumescens, interdum præfixa cuspide. Cand dus erat clypeus tyronum, ut in eo res præclarè ab iis gerendæ scribi possent & coloribus adumbrari. Umbo etiam est togæ pars quædam eminens; lautiores enim togam ita compo-

Cúmque iter ambiguum eſt, & vitæ neſcius error
Diducit trepidas ramoſa in compita mentes;
Me tibi ſuppoſui: teneros tu ſuſcipis annos
Socratico, Cornute, ſinu; tunc fallere ſolers
Appoſita intortos oſtendit regula mores;
Et premitur ratione animus, vincique laborat,
Artificemque tuo ducit ſub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini conſumere ſoles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes:
Unum opus, & requiem pariter diſponimus ambo,
Atque verecundâ laxamus ſeria mensâ.

*ſpargere liberiùs potui; eâ, inquam, ætate, quâ ſunt incerti adoleſcentes quodnam vitæ inſtitutum aggrediantur, cùm laborant ignoratione earum rerum, quæ neceſſariæ ſunt ad vitam bene tranſigendam, ac veluti hærent in bivio compito, per duplicem Pythagoricæ litteræ ramum ſignificato: tunc me tibi erudiendum tradidi, tu me Stoïcâ philoſophiâ, cujus auctor præcipuus Socrates fuit, inſtituendum ſuſcepiſti: tunc appoſuiſti mihi regulam, quæ mihi oſtenderet quid eſſet in meis moribus intortum & obliquum, quæ regula ita ſubtilis, ſolers, ac delicata eſt, ut pleroſque fallat lateatque. Tunc animus meus rationi morem gerere cœpit, & ab ea vinci, eique ſubjici, quamvis non ſine labore: tunc novam faciem ab arte & philoſophia accepit, te fingente & velut argillam digitis formante. Memini me tecum totos dies tranſigere ſolitum, & primam noctis partem epulis ſeponere: ambo laboris pariter & quietis tempora partiebamur, & ſeveriores curas hilari & honeſtâ mensâ levabamus. Credas meritò ab occulta ſideris alicujus poteſtate*

nebant, complicabantque, ut certo modo clypei ſpeciem præ ſe ferret: togæ porrò erant vulgò candidæ.

35. *Ramoſa.* Quæ in plures vias ſcinduntur.

36. *Suppoſui.* Metaphora ducitur ab ovis, quæ fovenda gallinæ incubanti ſupponuntur. Quidam legunt *ſepoſui*, id eſt, *ſegregavi.*

37. *Socratico ſinu.* Tuo ſinu, qui diſciplinam & philoſophiam Socratis ſequeris. De Socrate vide ſatiram IV.

*Fallere ſolers.* Solerter & callidè me fallens, vix a me deprehenſa. *Fallo* enim ſæpè ſonat *ignoror.*

40. *Artificem.* Magnâ curâ, & arte elaboratum. Legunt alii, *artificiſque tuo ducit, &c.* ſub tuo pollice, qui es peritus artis philoſophicæ.

42. *Decerpere.* Primam partem noctis ad epulas capere.

Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo
Consentire dies, & ab uno sidere duci.
Nostra vel æquali suspendit tempora Librâ
Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
Dividit in Geminos concordia fata duorum;
Saturnumque gravem nostro Jove frangimus unà:
Nescio quod certè est, quod me tibi temperat astrum.
*Mille hominum species, & rerum discolor usus:*
*Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.*
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper, & pallentis grana cumini;

*fieri, ut vita utriusque nostrûm, occupationes, ac studia sibi congruant, sintque inter se simillima. Aut Parcæ, quæ vera hominum fata condunt, nos sub eodem Libræ sidere nasci voluerunt, aut hora nascendi, nobis fidelibus amicis data, nos sub Geminis editos voluit, & istam concordiam vitæ ac morum ambobus tribuit. Noxios, & malignos Saturni influxus, propitiis Jovis, qui nobis favet, radiis adspectuque retundimus. Certè est aliquod astrum, seu Jovis, seu alterius Numinis (cujus porrò nescio) quod te mihi similem & conjunctissimum facit.* Hominum non unum genus est; eorum studia & exercitationes vitæ admodum discrepant inter se: est sua cuique propensio, nec idem omnes amant optantque. *Hic mercaturam exercet, ac merces Italiæ mutat cum pipere & cumino in India Orientali;*

46. *Sidere.* Ab eodem astro gubernari; quod nobis nascentibus prætulerit.

48. *Tenax veri.* Mentiri nescia.

49. *Geminos.* Gemini, tertium sunt Zodiaci sidus. Poëtæ fingunt illos gemellos esse Castorem & Pollucem, qui fuerint inter sidera collocati; Astrologi verò censent eos qui sub Librâ aut Geminis nascantur amicos esse & invicem consentientes.

50. *Saturnum.* Saturnus dicitur ab Astrologis esse stella gravis, hoc est, noxia & infausta.

*Nostro.* Propitio, favente nobis.

51. *Temperat.* Accommodat, amicum & congruentem facit.

52. *Discolor.* Non unius coloris & generis.

54. *Mutat.* Ante usum æris, per rerum commutationem mercatura fiebat.

*Recenti.* Sol oriens dicitur novus, quia renasci videtur quotidie.

55. *Rugosum.* Piper scabram cutem habet.

*Cumini.* Cuminum olus est, cujus succus pallidos facit.

Hic ſatur irriguo mavult turgeſcere ſomno;
Hic campo indulget; hunc alea decoquit; ille
In venerem putret: ſed cùm lapidoſa chiragra
Fregerit articulos, veteris ramalia fagi,
Tum craſſos tranſiſſe dies, lucemque paluſtrem,
Et ſibi jam ſeri vitam ingemuêre relictam.
At te nocturnis juvat impalleſcere chartis:
Cultor enim juvenum purgatas inſeris aures
Fruge Cleanthea. Petite hinc, juveneſque, ſeneſque,
Finem animo certum, miſeriſque viatica canis.

*hic epulis mavult, ac ſomno pingueſcere, quàm opes labore multo quærere: alius delectatur ludo, & exercitationibus, quibus Romani utuntur in campo Martio: alium ludus aleæ ſpoliat opibus: alii turpes voluptates ſectantur; ſed cùm chiragra eorum digitos, ut veteris fagi ramos, ſiccaverit intorſeritque, tum ingemiſcunt vitam ſibi totam in luto fædarum voluptatum, ac tenebris peractam fuiſſe, & eam ſibi ad morbos & ærumnas relictam, ac in ſenium prorogatam dolent. Tua ſtudia, o Cornute, longè alia ſunt: incumbis, etiam noctu, in libros; juvenum mores excolis, & in eorum aures animumque inſeris philoſophiæ præcepta, ut ſementem bonam, unde virtutum fructus naſcantur. Ex his nimirum ſtudiis, o ſenes & juvenes, ex hâc philoſophia diſcite certum finem, quem animo ſpectare in omni vita debeatis; hinc vobis ſapientiam &*

56. *Turgeſcere.* Pinguis fieri, ſaginari. Irriguum appellat ſomnum, quia calorem nativum maximè temperat, ac veluti rigat corpus, benignos humores excitando.

57. *Campo.* In campo Martio ad Urbem, exercebat ſe juventus Romana, diſco, curſu, ſaltu, & aliis id genus ludis.

58. *Putret.* Diſſolutus eſt, ac marcidus. Legunt alii *putris*, ſubaudiuntque *eſt*.

*Lapidoſa.* In articulis digitorum, calcui & nodi generantur e craſſis humoribus quibus arthritici cruciantur.

60. *Paluſtrem.* Obſcuram, ut eſt in paludibus & popinis ob nidorem & fumum.

64. *Fruge.* Frugem appellamus herbas aut ſementem. Detractis igitur pravis opinionibus, ut herbis noxiis, meliores tu, ac feliciores inſeris, ut bonam ſementem.

*Cleantheâ.* Cleanthes philoſophus fuit auditor Zenonis: quem aiunt interdiu ſtudere ſolitum, noctu aquas e puteis pretio extrahere, unde vitam toleraret.

65. *Canis.* Albis capillis, ſenectuti.

Cras hoc fiet. Idem cras fiet. Quid? quasi magnum,
Nempe diem donas? sed cùm lux altera venit,
Jam cras hesternum consumpsimus; ecce aliud cras
Egerit hos annos, & semper paulum erit ultra:
Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno,
Vertentem sese frustra sectabere canthum;
Cùm rota posterior curras, & in axe secundo.
Libertate opus est, non hac, quam ut quisque
Velina

*virtutem comparate, quæ sunt velutè viaticum, quo instructi senectutem læti percurretis. Cras, inquit aliquis, hoc faciam. Cras hoc facies? cur non hodie? Cur adeo me urges, quasi magnum spatium temporis a te petam? diem unum donas mihi; est hoc exiguum. Sed cùm altera dies venit, jam istud cras hesternum, seu dies illa hesterna, quæ a te pridie cras dicebatur, abiit, & inutilis totæ præteriit; rursumque aliud cras postulabis, & ita totos annos, vitam totam consumes, dicendo te cras incœpturum sapere; & semper aliud cras erit ultra illud quod tibi dari petisti, adeo ut numquam venias ad ultimum aliquod cras, sicut in curru rotarum quatuor posteriores rotæ quamvis juxta priores sint, & in eodem curru, numquam eas tamen currentes assequuntur, quia posteriori sunt in axe, & quantò magis sequuntur alias, tantò illæ magis antecedunt. Liberi esse debemus, non eâ libertate, quam e populo quilibet, Publius* v. g. *Velina ubi semel emeruit.*

66. *Idem, &c.* Potest exponi sic. Idem dices cras, & ut hodie promittis te cras operam virtuti daturum, ita die sequenti dices hoc fiet cras, idemque dicturus es tertiâ pòst die, ac porrò deinceps.

69. *Egerit.* Consumpserit sensim tuos annos, vitam totam peregeris, in vitio traduxeris, dum te cras, & cras bene victurum spondes. Alii ab *egerò* deducunt istud *egerit*, hoc sensu: cras toties postulatum & datum expellit, extrudit, finit hos tuos annos.

71. *Canthum.* Canthus est ferreus ille circulus, quo rota extrema involvitur; hìc verò pro *totâ rotâ* sumitur.

73. *Velinâ.* E tribu Velinâ: hæc una erit ex Italis tribubus 35, fortè sic dicta quòd circa Velinum lacum esset. Porrò servi, cùm donabantur libertate, in aliquam tribum ascribebantur: iidem sumebant prænomen aliquod, vulgò illius a quo erant in libertatem vindicati; hinc iste, Publius dicitur; alter Marcus Dama. Porrò nomen tribus suæ, ut ceteri e plebe, subjungebant suo prænomini,

Publius emeruit, scabiosum tesserulâ far
Possidet. Heu steriles veri, quibus una Quiritem
Vertigo facit! Hic Dama est, non tressis agaso,
Vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax:

*atque adeptus est, possidet frumentum oblatâ tesserulâ frumentariâ. Heu quàm aberratis a vero, qui civem & liberum fieri censetis, si a domino manumissus & in orbem agitatus fuerit! Hic, quem videtis, vocatur Dama, & servus est, ac vilissimæ inter servos conditionis: quippe qui asinos domini agat, homo ne tribus quidem assibus æstimandus, stolidus, lippus, fraudulentus, fallere ac dominum fraudare solitus, vel in ipso pabulo, quod jumentis*

ut Publius Velina, Marcus Æmilia, &c.

74. *Publius.* Aliquis servus, qui prænomen Publii cepit.

*Emeruit.* Servitutem exuit. Emeriti milites dicebantur, qui solvebantur militiâ, quibus vacatio a militia dabatur.

*Scabiosum.* Vile, corruptum. Legunt alii, *scabrosum.*

*Tesserulâ.* Nota quædam erat, signum aliquod & symbolum, quo exhibito, cives gratis frumentum ex horreis publicis accipiebant.

75. *Steriles veri.* Veritate destituti. Græca locutio; metaphora est: propriè steriles bonæ frugis terræ dicuntur.

*Quiritem.* Cives Romani a Quirino, *Quirites* dicti: hîc abusivè nomen hoc usurpatur.

76. *Vertigo.* Cùm dominus servum libertate donare statuerat, ducebat illum ad Prætorem; ibique illum apprehendens in gyrum circumagebat, significans eum jam, quò vellet, ire ad arbitrium posse: mox eumdem Prætor virgâ quæ vindicta dicebatur, quia eos vindicabat in libertatem, percutiens, hæc verba dicebat: *Esto liber.*

*Dama.* Servile nomen. Observat Casaubonus inter nomina servilia quædam fuisse honestiora a quibus liberi non abhorrerent, quamvis magna esset in nominibus apud Romanos ambitio. Hinc est quod magnificè hîc Dama vocatur, & paulò pòst repetitur *Marcus Dama.*

*Tressis.* Qui valet tribus assibus.

*Agaso.* Qui asinos agit ac ducit.

77. *Vappa.* Vinum est, quod aceto est proximum: accipitur pro nebulone, insulso, & perdito.

*Lippus.* Cui oculi stillant ac fluunt; bardus, nequam.

*Farragine.* Farrago, jumentorum pabulum, est farris & variorum leguminum permixtio.

Verterit hunc dominus; momento turbinis exit
Marcus Dama. Papæ! Marco spondente, recusas
Credere tu nummos? Marco sub judice palles?
Marcus dixit; ita est: assigna, Marce, tabellas.
Hæc mera libertas? hanc nobis pilea donant?
*An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam*
*Cui licet, ut voluit?* licet, ut volo vivere: non sum
Liberior Bruto? Mendosè colligis, inquit
Stoïcus hìc, aurem mordaci lotus aceto:

*distribuit: simul ac tamen eum dominus in orbem egitaverit, post illam agitationem, momento evadit civis honestissimus, & vocatur Marcus Dama. Rem miram, Superi! si Marcus iste Dama pro aliquo debitore tuo spondeat, num dubitabis nummos, tam idoneo fide jussore, tuos dare, & esse creditor? si Marcus sit judex tuæ causæ, num trepidabis ne jus non obtineas? si Marcus aliquid affirmaverit: nonne ita esse jurabis? Marce, ades; signum tuum annulo tuo appone tabulis instrumenti publici, aut testamenti. An hæc tandem vera libertas est, quam assequuntur servi vel nequissimi, si pileum sumpserint; Quidni? inquis; etenim* ille liber est, qui arbitratu suo vivit: *at ego, Marcus Dama, si vis, quem tu derides, ego, inquam, potestatem habeo vivendi ut volo; nonne sum igitur Bruto liberior? Malè ratiocinaris, respondebit aliquis Stoïcus, purgatam aurem habens & acre judicium, ut falsa distinguat a veris: admitto & concedo*

79. *Marcus Dama.* Assumpto sui domini prænomine, qui antea dicebatur tantùm *Dama*, jam vocatur *Marcus Dama.*

*Spondente.* Fidem suam pro alio interponente.

81. *Tabellas.* Condere testamentum non poterant servi, neque obsignare aliud instrumentum, testes esse, &c.

82. *Hæc mera libertas.* Non alia sanè est libertas, quàm ea, quâ licet prænomen assumere, pro alio stipulari, magistratum adipisci, testis esse, & fidem habere, quæ omnia sunt negata servis.

*Pilea.* Servi libertate donati conferebant se in templum Deæ Feroniæ; ubi caput radebant, ac sumebant pileum, quod insigne libertatis erat.

85. *Bruto.* M. Junius Brutus, pulsis Româ Regibus, ut Consules crearentur curavit, & libertatem sanxit.

86. *Aceto.* Valet acetum ad sordes abstergendas: pro sagacitate & prudentiâ ponitur.

Hæc reliqua accipio ; *licet, ut volo, vivere*, tolle.
Vindictâ postquam meus a Prætore recessi,
Cur mihi non liceat, jussit quodcumque voluntas,
Excepto, si quid Masurî rubrica vetavit ?
Discе : sed ira cadat naso, rugosaque sanna,
Cùm veteres avias tibi de pulmone revello.
Non prætoris erat stultis dare tenuia rerum
Officia, atque usum rapidæ permittere vitæ :

*ea quæ priore loco dixisti, nempè*, ille est liber, qui vivit ut vult : *at nego hæc alia, quæ subjunxisti*, mihi licet vivere ut volo : *hæc tolle, sunt enim falsa. At, inquis, postquam mei juris effectus sum solitâ Prætoris formulâ, cur non mihi liceat vivere ut volo ? excipio tamen ea, quæ in legibus vetita sunt, & a Masurio notata : fateor enim, non licet ea mihi facere, neque verò libet. At tu, disce quæ sit vera libertas : sed iram tamen pone, neque si quid dicam, irride, dum tibi falsas & aniles opiniones ex animo conor evellere. Non erat Prætoris, qui te liberum, postulante domino tuo, pronuntiavit, munus & facultas, efficere ut tu, qui sapiens non es, sapientiam, in qua vera libertas consistit, quæ virtutum officia, & vitæ degendæ rationem hominibus præscribit, consequereris ; ac*

88. *Vindicta.* Virga est, quâ manumittendi a Prætore in capite pulsantur, ideo dicta, quòd eos vindicat libertati. Titus autem Livius, Lib. II, cap. 5, ita nuncupatam ait a Vindicio servo qui primus libertate simul & civitate donatus ob detectam conjurationem. Hinc verò sancitum, ut quoties servus aliquis manumitteretur, caput ejus baculo tangeretur, in memoriam conservatæ populo Romano per servum libertatis.

90. *Masuri.* Masurius fuit jurisconsultus, Tiberii tempore celeberrimus.

*Rubrica.* Leges ; quia legum tituli & inscriptiones minio & rubricâ notabantur.

91. *Rugosa.* Qui irrident alios frontem & nasum corrugant.

92. *Avias.* Avia est propriè matris mater. Hic aviæ sunt aviarum aniles fabulæ, inveteratæ, & falsæ opiniones.

93. *Non Prætoris erat.* Non est munus : imperfectum pro præsenti.

94. *Officia.* Officia vocantur ea, quæ ex officio, ex virtute, fieri ab hominibus in vitâ communi debent. *Tenuia* dicuntur, *hoc est*, subtilia, accurata, quæ multum prudentiæ postulant, quæ oculos facilè fugiunt & communem prudentiam.

Sambucam citiùs caloni aptaveris alto. 95
Stat contrà ratio, & secretam gannit in aurem.
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo:
Publica lex hominum, naturaque continet hoc fas:
Ut teneat vetitos insciția debilis actus.
Diluis elleborum, certo compescere puncto 100
Nescius examen; vetat hoc natura medendi.
Navim si poscat sibi peronatus arator,
Luciferi rudis; exclamet Melicerta, perisse

*permittere tibi facere quæ velles, & uti vitâ tuo arbitratu. Faciliùs docueris calonem & rusticum aptè ludere fidibus, & organum musicum peritè tractare. Reclamat etiam ipsa ratio, quæ tacitè nos admonet, ne quis id aggrediatur facere, quòd malè agendo veluti contaminaturus sit: hoc omnium gentium & naturæ lege sancitum est, ut qui per insciţiam aliquid efficere nequit, ab ea re se abstineat. Sic ratio ipsa & natura medicæ artis prohibet, ne elleborum temperes ac diluas ægroto dandum, si nescias illum ponderare, & velut in examine ac libra expendere, ut quot puncta, seu grana illius danda sint, noscas. Ita si arator astrorum imperitus, navem sibi gubernandam poscat; Dii maris exclamabunt, & impudentissimè totam rerum*

*Rapida.* Quæ citò effluit, citò transit.

95. *Sambucam.* Instrumentum musicum.

*Caloni.* Calo est militum servus.

*Alto.* Id est, hebeti, ignavo.

96. *Gannit.* Tacitè admonet.

99. *Ut teneat, &c.* Ut insciţiâ debilis abstineat se a vetitis actibus, omittat actus vetitos; ut qui non potest aliquid facere, ob ignorantiam, id non faciat.

100. *Elleborum.* Herba est, quæ ad bilem atram purgandam valet.

*Puncto.* Pondere, mensurâ. Stater est trutinæ species & libræ: caret ea lancibus: sed in oblongo baculo notantur puncta quædam, ex quibus ratio & modus ponderis, quod in extremâ ejusdem baculi parte suspenditur, intelligi potest.

102. *Peronatus.* Perone indutus. Pero est calceamenti rustici genus.

103. *Luciferi.* Lucifer est stella, quæ *Venus dicitur*, quæ circa solem volvitur; pro omnium astrorum cognitione hic ponitur.

*Melicerta.* Filius fuit Athamanthis ex Ino Cadmi filiâ: mutatus est in Deum marinum, & Palæmon vocatus.

Frontem de rebus. Tibi recto vivere talo
Ars dedit, & veri speciem dignoscere calles;
Ne qua subærato mendosum tinniat auro;
Quæque sequenda forent, & quæ vitanda vicissim,
Illa priùs cretâ, mox hæc carbone notasti:
Es modicus voti, presso Lare, dulcis amicis:
Jam nunc adstringas; jam nunc granaria laxes:
Inque luto fixum possis transcendere nummum,
Nec glutto sorbere salivam mercurialem:
Hæc mea sunt, teneo, cùm verè dixeris, esto

*naturam esse perturbatam jure conquerentur. Igitur si philosophia, illa bene vivendi ars, tibi dedit rectè & sapienter vivere; si speciem veri ab ipsa veritate dignoscere potes, ne aurum ære mixtum, quod germani & veri auri tinnitum mendosè imitatur, pro auro vero capias; si albo lapillo notare calles honesta, quæ amanda sunt; turpia verò, quæ sunt fugienda, carbone: si modum tenes in tuis desideriis, si parsimoniam in re domestica servas, si erga tuos amicos humanus es, ita ut frumentum & opes tuas aliquando illis liberaliter impertias; aliquando, cùm scilicet opus non est, occludas & contrahas; si avaritia te non cogit nummum a pueris in luto defixum inter silices, colligere: si tu avidus helluo, ad quamlibet lucri spem non exsilis, eamque suaviter reguslas: cùm verè pronuntiare poteris ea, quæ dixi hactenus, tua esse, te his*

104. *Frontem.* Verecundiam, pudorem, cujus sedes in fronte.

*Recto talo.* Rectâ viâ, congruenter virtuti; ducitur metaphora ab iis qui pedibus rectis, non obtortis ambulant.

105. *Ars.* Philosophia, quæ vitæ magistra, lex, regula, passim vocatur; & rectè agendi præcepta continet.

109. *Presso Lare.* Non magnifica tibi res domestica, non sumptuosa est. Lar est propriè Deus domesticus: pro ipsa domo ponitur.

112. *Glutto.* Glutto, gluttonis, helluo est, homo vorax. Quidam *glutto*, scribunt in auferendi casu. Est autem gluttus pars colli, per quam cibi transmittuntur. Salivam Mercurialem sorbere, est, immodicâ lucri cupiditate teneri. Ducitur metaphora a gulosis, qui dum cibos jucundos vident, salivam in ore versant ac deglutiunt.

113. *Teneo.* Possideo.

Liberque, ac ſapiens, Prætoribus, ac Jove dextro.
Sin tu, cùm fueris noſtræ paulò antè farinæ, 115
Pelliculam veterem retines, & fronte politus
Aſtutam vapido ſervas ſub pectore vulpem;
Quæ dederam ſuprà, repeto, funemque reduco.
Nil tibi conceſſit ratio: digitum exere, peccas:
Et quid tam parvum eſt? ſed nullo thure litabis, 120
Hæreat in ſtultis brevis ut ſemuncia recti.
Hæc miſcere nefas; nec, cùm ſis cetera foſſor,

*virtutibus eſſe præditum; eſto ſane liber cum bona Prætorum omnium, ac Deorum venia. Sin tu cùm unus antea de hominum non optimorum, quales ſumus, grege fueris, neſcio quam virtutis ſpeciem præ te fers, veteresque mores, ut ſerpens vetulus ſuam pellem, & vitia, & vulpinas fraudes intus retines: repeto libertatem, quam tibi paulò antè dederam, teque, ut belluam fune alligatam, rurſum ſervituti mancipo. Si rationis es penitus & ſapientiæ expers, quidquid agas, peccas; vel ſi digitum tantùm moveas; quo quid levius eſſe poteſt? Verùm numquam id evinces, aut obtinebis, ut vel minimâ ſapientiæ particulâ fruantur improbi. Ea duo quippe inter ſe jungi nequeunt, ut non poteſt ruſticus aliquis foſſor, vel tres*

114. *Jove dextro.* Favente, approbante. Prætorum erat ſervos denunciare liberos, ut diximus.

115. *Farinæ.* Metaphora ducitur a panibus, qui ſunt ſimiles inter ſe, & ejuſdem ſaporis, ſi ex eadem farinæ maſſa fiant.

116. *Pelliculam.* Sumitur hoc ab iis, qui cùm ſint facie obſcurâ & nigrâ, fuco & minio pellem oblinunt; vel a ſerpentibus, qui pellem veterem deponunt.

117. *Vapido.* Turbido, obſcuro, caliginoſo. Metaphora a vino corrupto, quod *vappa* dicitur, cujus & vapores tetri & graviores.

118. *Reduco.* Beſtiarii, quamvis belluas interdum liberiùs excurrere patiantur, funem tamen manu retinent; quem retrahunt, ſi longiùs illæ abeant: hinc ſumpta metaphora.

119. *Peccas.* Hoc erat Stoïcorum dogma, quidquid fiat ab improbis, quos ſtultos appellabant, peccatum eſſe.

120. *Litabis.* Litare, eſt, *aliquid, oblato ſacrificio, a Superis obtinere.*

121. *Semuncia.* Dimidia uncia.

122. *Hæc miſcere nefas.* Servire vitiis, ſimul & animi libertate frui, nefas eſt. Sapientiæ & ſtultitiæ conſortium nullum. Stultè facis omnia, ſi non ſapienter. Si ſapis, li-

Tres tantùm ad numeros Satyri moveare Bathylli.
Liber ego. Unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.
Si increpuit; cessas nugator? servitium acre
Te nihil impellit, nec quidquam extrinsecùs intrat,
Quod nervos agitet: sed si intus, & in jecore ægro
Nascuntur domini: quî tu impunitior exis
Atque hic, quem ad strigiles scutica, & metus egit herilis?

*passus, ad numerum peritè moveri, quo movetur modo egregius ille saltator Bathyllus. At, inquis, profectò sum liber. Unde hanc tibi libertatem arrogas, tibi, inquam, tot rerum, ac vitiorum mancipio? An putas nullum alium esse dominum, præter illum, cujus e potestate liberantur, qui feriuntur, ex more, Prætoris virgulâ? Audis priorem dominum tuum qui te, libertate jam donatum, ita increpitet. I, famule, defer strigiles in balnea Crispini: quid moraris cunctator? Equidem ista servitus, hæc imperia non te movent, fateor, quia libertate donatus fuisti, nec tibi est externa vis metuenda, verbi gratiâ, scuticarum & lororum, quibus dominus nervos tibi tunderet: sed si intimo in pectore nascuntur tibi domini, an minus pœnâ cares, quàm mancipium illud, quod ad ferendas in balnea strigiles scuticæ metu impellitur? Dormis manè in*

ber es: si stultus es, eris etiam continuò servus.

*Fossor.* Rusticus terram fodiens & arans.

123. *Tres, &c.* Tres pedum agitationes, factas ex numero & arte.

*Bathylli.* Fuit ille saltator eximius, Neronis tempore: ob velocitatem pedum Satyrus appellatur: Satyri enim sunt Dii agrestes, pedum velocitate præstantes.

125. *Relaxat.* Cujus servitute eximit. Quid sit *Vindicta*, priùs dictum, notâ 88.

126. *Strigiles.* Strigilis est instrumentum quoddam dentatum, quo sudor & sordes e corpore abstergunter, a stringendo, & radendo, dictum: eo utebantur in balneis, ubi sudorem igne, vel aquâ calidâ, provocaverant.

*Crispini.* Fuit hic vel balneator, vel dives quidam, qui suas amicis thermas & balnea commodabat.

127. *Increpuit.* Subaudi, *dominus aliquis:* servum alloquens, I, *puer*, &c.

Manè, piger, ſtertis: Surge, inquit Avaritia, eia,
Surge. Negas; inſtat: Surge, inquit. Non queo: Surge.
En quid agam? Rogitas? en, ſaperdam advehe Ponto,
Caſtoreum, ſtupas, ebenum, thus, lubrica Coa;
Tolle recens primus piper e ſitiente camelo;
Verte aliquid; jura. Sed Juppiter audiet. Eheu,
Baro, reguſtatum digito terebrare ſalinum
Contentus perages, ſi vivere cum Jove tendis.
Jam pueris pellem ſuccinctus, & œnophorum aptas:
Ocyus ad navem: nihil obſtat, quin, trabe vaſtâ

*utramque aurem: inclamat Avaritia: Surge, age, ſurge. Non ſurgis? urget. Surge, inquit. Non poſſum. Surge. Quorſum? Rogas? perge in mare Ponticum; hinc piſciculos advehe, caſtorum pelles, ſtupas, ebenum, thus, vinum ex inſula Co devectum: ante alios mercatores, excipe piper recèns advectum, & e cameli dorſo detrahe: commuta mercem aliquam cum alia: pejera. Sed me Jupiter audiet pejerantem? Næ tu vir bonus es, ſi curas Jovi placere: numquam rem facies, & ad eam inopiam devenies, ut micas ſalis colligens in fundo ſalini pænè vacui, illud, impactis ſæpe digitis, perforaturus videaris. Hac avaritiæ oratione excitatus fugis: jam veſtem altè ſuccingis: jam pelles, quibus nautæ utuntur, jam vini lagenas famulorum humeris imponis; ad navem properas;*

134. *Saperdam.* Vilem piſciculum, qui e ponto Euxino advehebatur.

135. *Caſtoreum.* Pharmaci quoddam genus, e caſtorum ſeu fibrorum inteſtinis confectum.

*Coa.* Vina ex inſula Co, quæ alvum laxam & lubricam præſtant.

136. *Sitiente.* Quia viam longam & æſtuoſam confecit: adde quod camelus diutiſſimè ſitim tolerare dicitur.

138. *Baro.* Baro ſtupidum & ſtolidum ſonat, Barones erant ſervi militum, qui & calones dicebantur.

139. *Perages.* Vitam omnem ages ita inops, ut ne ſalem quidem habeas in ſalino, ſed cogaris micas paucas ſalis, in eo relictas, extremo digito avellere, & ori apponere, tam ſæpe, ut ſalinum digitis tuis perforandum eſſe videatur.

140. *Succinctus.* Veſte altiùs præcinctâ.

Ægeum rapias ; nisi solers Luxuria ante
Seductum moneat : Quò deinde insane ruis ? quo ?
Quid tibi vis ? calido sub pectore mascula bilis
Intumuit, quam non extinxerit urna cicutæ.
Tun' mare transilias ? tibi tortâ cannabe fulto
Cœna sit in transtro, Veïentanumque rubellum
Exhalet vapidâ læsum pice sessilis obba ?
Quid petis ? ut nummi, quos hic quincunce modesto

*nihil te moratur quominus magna in navi Ægeum mare ingrediaris, nisi te astuta Luxuria revocet, & quasi seductum a turba sic alloquatur : Quò pergis demens ? quid agis ? ita æstuas, ut calorem istum, præ trepidatione, & insaniâ collectum, integra cicutæ urna non extinguat. Tune mare transmittas ? tu in transtris navis cœnare poteris, stratus inter duros rudentes ? tu vino uti pessimo, quale Veïentanum est, quod tibi in vili vase appositum, fœtidum odorem afflabit, e pice, quâ vas fuerit obturatum ? Cur optas ut pecunia tua, quam honesto fœnore hic augebas Romæ accipiendo quinos nummos pro centenis mutuo datis, per laborem multum & periculum tibi crescat,*

141. *Ægeum rapias.* Committas te mari Ægeo. Est illud mare inter Græciam & Asiam minorem, refertum insulis.

144. *Mascula bilis.* Bilis vehementior & acrior te ad insaniam redegit. Mascula vocatur, quia fortitudinem & robur solet afferre.

145. *Cicutæ.* Cicuta est herba frigidissima, atque adeo letifera.

146. *Cannabe.* E cannabe rudentes, & nautici funes fiunt. Est autem ordo : An ibi, fulto in cannabino fune, cœna erit in transtris, &c.

147. *Transtro.* Transtra sunt nautarum sedilia lignea.

*Rubellum.* Modicè rubrum, subaudi *vinum*.

148. *Læsum.* Gravè olens ob picem, quæ obbam claudit.

*Obba.* Amphora, poculi lignei genus, cujus fundus est latior, hinc sessilis vocatur, quia facilè in mensa veluti sedet quiescitque.

149. *Quincunce.* Quincunx sunt quinque unciæ, cùm quinque, verbi gratiâ, nummi annui pro centenis mutuò datis petuntur. Usura porrò illa modesta hic dicitur, quia legibus permissa erat. Deunx autem significat uncias undecim : accipere autem fœneris loco undecim pro datis centenis, præter omne jus & modum est : itaque avida usura dicitur, nimia scilicet, ac immoderata.

Nutrieras,

Nutrieras, pergant avidos sudare dounces?
Indulge Genio; carpamus dulcia; nostrum est
Quod vivis; cinis, & Manes, & fabula fies:
Vive memor leti; fugit hora, hoc quod loquor, inde est.
En quid agis? duplici in diversum scinderis hamo:
Hunccine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.
Nec tu, cùm obstiteris semel, instantique negaris
Parere imperio, Rupi jam vincula, dicas.
Nam & luctata canis nodum arripit; ast tamen illi
Cùm fugit, a collo trahitur pars longa catenæ.
Dave, citò, hoc credas jubeo: finire dolores
Præteritos meditor: crudum Chæreſtratus unguem

*ita ut pro centenis accipias undecim nummos quotannis? Genium cura, deliciis indulge: ea demum vitæ pars, quam impendis & conſecras voluptati, vera vita eſt: brevi abibis in cineres, fies inferorum umbra, & nihil de te, præter ſermonem ac fabulam, reſtabit. Mortem cogita inſtantem, fugit tempus: hæc ipſa hora, quâ tecum loquor, jam præteriit, jam in præteriti temporis rationem tranſiit. Quò te vertes, infelix? utram ſequêris, voluptatem an avaritiam? Quaſi piſcis duplici hamo illectus, in hanc, & illam partem traheris: huic, an illi domino obtemperaturus ſis dubitas, modò uni, modò alteri te te ſubjicias oportet. Neque te liberum eſſe, aut catenas fregiſſe dixeris, ſi ſemel illis jubentibus reſiſtas: ſemper aliquid diræ ſervitutis reſtabit. Ita canis, quamvis diu luctata dentibus catenam arripuerit, & fugiat, retinet tamen catenæ partem, collo alligatam, unde revocari poſſit. Chæreſtratus ille, in Menandri comœdia notus adoleſcens, a meretricis amoribus expedire ſe dum meditatur, unguem arrodens, hæc ait ad ſervum: Dave, mihi deliberatum eſt finem curis meis ac doloribus imponere; hoc tibi volo eſſe perſuaſum: Egone ignominiam hanc injuram meis propinquis*

162. *Chæreſtratus.* Adoleſcens quidam, malis amoribus implicatus, ex fabula Menandri, loquens hic inducitur; ut in Terentio, apud quem vocatur idem adoleſcens Phædria.

*Unguem.* Ut irati, aut meditabundi ſolent.

Arrodens ait hæc: An ſiccis dedecus obſtem
Cognatis? an rem patriam, rumore ſiniſtro,
Limen ad obſcœnum frangam, dum Chryſidis udas
Ebrius ante fores, exſtinctâ cum face, canto?
Euge, puer, ſapias; Diis depellentibus agnam
Percute. Sed cenſen' plorabit, Dave, relictâ?
Nugaris; ſoleâ, puer, objurgabere rubrâ,
Ne trepidare velis, atque arctos rodere caſſes:
Nunc ferus, & violens; at ſi vocet, haud mora, dicas:
Quidnam igitur faciam? ne nunc, cùm arceſſat, & ultro
Supplicet, accedam? Si totus & integer illinc
Exieras, nec nunc. Hic, hic, quem quærimus, hic eſt,

*& affinibus ſobriis & temperantibus; an opes patrias abſumam ad meretricis fores; cum ſiniſtro omnium de me rumore, dum ebrius canto ad fores Chryſidis, meis lacrymis humidas, exſtinctâ face. Macte, inquit Davus, perge iſtud facere; gratias Diis, agnâ immolatâ, ſolve, qui te iſto malo expedierint. Sed, o Dave, ſi eam relinquo, nonne id ægrè feret? nonne plorabit? Ah redis ad ingenium: ſi ad illam reverteris, ipſa te crepidis rubro corio tectis percutiet, & indignum in morem tractabit, facietque ne audeas cogitare de excutiendis illis vinculis, & arrodendis laqueis, quibus teneris irretitus: nunc videris adversùs illam ferox & conſtans; ſed ſi te vocet, ſtatim, præſto ſum, inquies. Quid faciam autem? an etiam nunc non redibo ad illam, cùm me revocet ultro, ac roget? Ah, mi here, ſi totus & integer ex illis tuis vinculis exiiſſes, ne nunc quidem eò redires. En qui ſe ita gereret hic, hic ille liber eſt quem quærimus, non ille*

165. *Udas.* Unguentis, & odoribus pretioſis perfuſas: vel meis lacrymis humidas. Accendebant autem faces in honorem & gratiam meretricum; eas verò, cùm ad ipſarum fores veniſſent, exſtinguebant, ne agnoſcerentur, cantilenas interim quaſdam amatorias cantitantes.

167. *Depellentibus.* Qui a te hanc amoris inſaniam depulerunt. Tales præcipuè cenſebantur Caſtor & Pollux: Diique depellentes ſeu averruncantes dicebantur.

170. *Trepidare.* Jactare & agitare ſeſe.

Non in festuca, lictor quam jactat ineptus. 175
Jus habet ille sui, palpo quem ducit hiantem
Cretata ambitio? Vigila, & cicer ingere largè
Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
Aprici meminisse senes; quid pulchrius? At cùm
Herodis venere dies, unctaque fenestrâ 180

*alius, in quem lictor ineptè festucam jactat. Jam verò an ille liber ac sui juris est, quem ore aperto populares auras captantem ambitio splendidè mendax trahit suis illecebris? Heus tu, inquit illa, expergiscere, & ad captandum favorem vulgi, populo de suffragiis distribuendis inter se litiganti fruges, & olera largire affatim in ludis Floralibus: ita ut tuæ liberalitatis fama celebretur a senibus olim longo pòst tempore, dum ad apricum solem confabulabuntur: quid enim præclarius istâ largitione? Quid? an tu, homo superstitiose, es liber, qui, cùm Judæi sua Sabbata colunt, & natalem Herodis sui Regis*

175. *Festucâ.* Cùm servus libertate donabatur, lictor Prætoris festucam in servum conjiciebat; cujus moris quia ratio nulla erat, ineptus dicitur.

176. *Palpo.* Palpus, sive palpum, palpi, significat illecebras, illicium. Palpo etiam, palponis, significat adulatorem, captatorem gratiæ popularis: quo sensu si accipias, ita versum Persii explica: an ille palpo jus habet sui, quem hiantem ducit ambitio, &c.

177. *Cretata.* Fucata, & cretâ oblitum ac gypso vultum habens: vel candidis induta vestibus, quales ferebant candidati, qui non contenti nativo & albo lanæ candore, illum, additâ cretâ, augebant.

*Cicer.* Genus leguminis, quod frictum spargebant candidati, a populo colligendum, non sine rixa & mutuis colligentium verberibus. Ita potest explicari vox illa, *Rixanti populo.*

178. *Floralia.* Erant festi dies, in honorem Floræ instituti. In ejusmodi autem ludis, candidati studebant variis largitionibus populi suffragia captare.

179. *Aprici.* Qui sole gaudent, qui ad solem sedentes garriunt.

180. *Herodis.* Triplex fuit *Herodes*, primus Antipatri filius, Rex Judææ dictus a Romanis, sub quo natus Christus Dominus. Alter fuit *Herodes*, prioris filius, cognomine *Antipas*, sub quo mortuus Christus. Tertius *Herodes* Agrippa, Aristobuli filius, Jacobi Apostoli interfector, vivente Persio adhuc regnabat. Hujusne, an primi mentio sit hoc loco, nec doctissimi decernunt.

Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino;
Labra moves tacitus, recutitaque sabbata palles.
Tunc nigri lemures, ovoque pericula rupto:
Tunc grandes Galli, & cum sistro lusca sacerdos,
Incussere Deos inflantes corpora, si non
Prædictum ter manè caput gustaveris allî.
Dixeris hæc inter varicosos Centuriones,
Continuò crassum ridet Vulfenius ingens,
Et centum Græcos curto centusse licetur.

*diem celebrant, cùm spectantur dispositæ in eorum fenestris lucernæ violis ornatæ, & fumum latè fundentes, cùm instaurant iidem epulas, thynnosque, pisces exquisitos, in ingentibus patinis, & amphoras vino refertas, apponunt; tu, inquam, eo tempore, homo Romanus, instar Judæi circumcisi, tacitas preces fundis, & jejunio, quo celebras eorum sabbata, pallorem contrahis? quid alia referam, quæ superstitiosus metuit? nigros scilicet lemures timet; item, ne quid mali eveniat, si ovum inter sacrificandum ruptum sit: tunc Galli proceri sacerdotes Cybeles, & sacerdos Isidis lusca, sistrum tenens, incutiunt illi metum a Diis, a quibus aiunt in homines immitti morbos inflantes corpora, nisi ter manè allium momorderit. Ea porrò, quæ de vera libertate diximus, si quis inter milites bellicâ gloriâ ferociter elatos, differere voluerit, statim Vulfenius, eorum unus, stolidè irridebit & ut fabulas explodet, negabitque se centum philosophos totidem integris assibus empturum; ita illos, & omnem philosophiam contemnit.*

185. *Lemures.* Larvæ nocturnæ & spectra.

186. *Sistrum.* Est æneum crepitaculum, quo utebantur in sacris Isidis. Juvenal. Sat. XIII, v. 93.

188. *Allî.* Allium, a jejunis manducatum, contra incantationes valere credebatur.

189. *Varicosos.* Varicosus, qui venas, maximè crurum, nimis tumentes sanguine habet.

191. *Græcos.* Philosophi Romæ celeberrimi fermè Græci erant: hinc Græcos pro philosophis ponit.

*Centusse.* Centussis est summa centum assium.

*Licetur.* Liceri, est, in auctione pretium offerre alicujus rei.

# SATIRA SEXTA.

*In avaros invehitur, eos maximè, qui suas opes heredibus dilapidandas servant.*

ADMOVIT jam bruma foco te, Basse, Sabino?
Jamne lyra, & tetrico vivunt tibi pectine chordæ?
Mire opifex numeris veterum primordia rerum,
Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ?
Mox juvenes agitare jocos, & pollice honesto
Egregios lusisse senes. Mihi nunc Ligus ora

*O Basse, jamne te in villa tua Sabina hyems ad ignem compulit? jamne lyram pulsas plectro, eique vocem & quasi vitam tribuis, dum carmina plena dignitatis, gravitatisque condis? tu, qui mira vales arte, ad scribendam vinctâ numeris orationem primorum temporum, & antiquæ Italorum linguæ historiam; ad Latinos versus lyricos, nunc generoso ac virili quodam stylo procudendos, nunc tenero & juvenilem in modum jocante; denique ad res præclarè gestas veterum Heroum nobili carmine celebrandas. Ego, qui nunc sum in ora maritima Liguriæ, temperatâ utor tempestate, dum in mari sævit*

1. *Basse.* Cæsius Bassus, insignis poëta lyricus eâ tempestate fuit.

*Sabino.* Sabini, populi Italiæ sunt inter Umbros & Latinos.

2. *Lyra.* Jamne lyricis carminibus more tuo egregiam navas operam? porro lyræ inventor Mercurius traditur.

*Tetrico.* Tetricus gravem sonat, severum, ac morosum.

3. *Rerum.* Legunt alii, *vocum*, & dicunt esse ipsam Poësim, quippe qui ante prosam a Scriptoribus usurpata fuerit.

4. *Marem.* Animosum, heroicum, vividum.

*Fidis Latinæ.* Lyricæ poëseos Latinæ. Lyrici poëtæ primi & insignes fuere Græci: inter Latinos posteà floruerunt Horatius, & iste, ad quem Persius scribit, Cæsius Bassus. *Fides* autem, hujus *fidis*, significat lyram, seu chordam lyræ.

5. *Juvenes jocos.* Juveniles, liberiores, quales juventutem decent.

*Pollice.* Carmine lyrico: quia lyra digitis pulsatur.

6. *Lusisse.* Ludere aliquid, *est*, versu amœniori scribere.

Intepet, hybernatque meum mare, quà latus ingens
Dant scopuli, & multâ littus se valle receptat.
*Lunaï portum est operæ cognoscere, cives:*
Cor jubet hoc Ennî, postquam destertuit esse
Mæonides quintus, pavône ex Pythagoreo.

*hyems: hic littus tutum ob scopulos quasi latus mari opponentes in vallem amplam sinuatur, portumque præbet insignem, de quo est hic Ennii versus:* Lunaï portum est operæ cognoscere, cives. *Hoc, inquam, dicebat Ennius, postquam desiit somniare se esse Homerum, animamque Pythagoræ, quæ primò in pavonis, deinde Euphorbi, tum Homeri, postea Pythagoræ corpus migraverat, demum quinto loco in suum corpus transisse, per metempsycosim*

*Ligus.* Ligus, omnis generis est. Liguria porrò est Italiæ superioris pars, ad oram maritimam, ubi nunc Genua: porrigitur ab Gallia usque ad Etruriam inter Apenninum & mare.

7. *Meum mare.* Vel mare vicinum, vel mare Etruscum, oriundus enim erat Persius Volaterris, oppido Etruriæ. Maritimæ regiones solent esse per hyemem calidiores, ob vapores maris, quibus frigus acutum mitigatur. Porrò urbem Lunam in Liguria ponit, licet ad Etruriam pertineat, quia est in Liguriæ limite.

9. *Lunaï.* Pro *Lunæ*, ut *aulaï*, pro *aulæ*; Virg. Luna est civitas Italiæ, sic dicta quia in eo loco ubi posita est, littus in Lunæ crescentis formam curvatur. Lunæ verò portus est verius sinus Liguriæ inter portum Veneris & portum Erycis, ambitu viginti millia passuum patens: hodie *Golfo della Spezzia*, sic denominatus ab oppido Spetia, quod situm est in intimo recessu. Est autem hic versiculus ab Ennio sumptus.

*Est operæ.* Subaudi *pretium*, hoc est, *juvat cognoscere.*

10. *Cor jubet, &c.* Est locutio Græca: *id est*, hoc voluit Ennius dicere; jubet nos cognoscere Lunæ portum: vel Ennius, ille vates prudens & cordatus, laudat Lunæ portum, & dignum esse qui cognoscatur, docet.

*Ennî.* Ennius poëta fuit Italus vetustissimus, ingeniosus, & eruditus: Annales populi Romani scripsit, & alia quædam, quorum fragmenta exstant.

*Destertuit.* Desiit stertere, seu somniare. Sic despumo, est spumam effundo & relinquo.

11. *Mæonides.* Homerus: ita dicitur a patre Mæone.

*Quintus.* Vel est nomen numeri & ordinis, ut explicatum est in interpretatione;

Hîc ego ſecurus vulgi; & quid præparet Auſter
Infelix pecori, ſecurus, & angulus ille
Vicini, noſtro quia pinguior: etſi adeò omnes
Diteſcant orti pejoribus, uſque recuſem
Curvus ob id minui ſenio, aut cœnare ſine uncto,
Et ſignum in vapidâ naſo tetigiſſe lagenâ.
Diſcrepet his alius: geminos, horoſcope, varo
Producis genio: ſolis natalibus eſt qui
Tingat olus ſiccum muriâ vafer in calice emptâ,

*Pythagoream. Hic ego vitam vivo ſecuram nihil ſollicitus quis de me ſermo vulgi ſit, quid meridianus ventus, pecori noxius, detrimenti afferre gregibus paret; nihil etiam ſollicitus, quòd vicini mei agellus meo ſit pinguior: & quamvis porro omnes infimo loco nati fiant locupletes, nolim tamen eam ob rem tædio & dolore conſumi, prono in terram vultu incedere, parcè ac duriter vivere, cibiſque lautioribus abſtinere, ac naſo admoto explorare utrum vinum in lagena obſignata ſit corruptum, atque adeo idoneum ut bibatur. Sint alii ſanè, qui mihi non aſſentiantur: nec miror; videmus enim interdum gemellos fratres, licèt eodem utantur horoſcopo, diſſimili tamen eſſe genio & naturâ. Alter nullum alium diem feſtum, præter diem ſuum natalem celebrabit; tumque olera prandebit, nullo pingui condimento adhibito, ſed acri tantùm & acerbâ muriâ, emptâ in vaſculo, homo ſcilicet parcus & frugi;*

vel eſt ipſum prænomen Ennii, quod hic ironicè cum Græco nomine, *Mæonides*, quia Græci ejuſmodi prænomina ignorabant: quaſi diceres, Quintus Homerus, ut Quintus Ennius.

*Pythagoreo.* Quis fuerit Pythagoras, quid docuerit, vide in ſatiris ſuperioribus; præſertim Sat. XV, v. 173.

15. *Pejoribus.* Pejor, maximè apud Græcos, pro ignobiliori ponitur.

16. *Senio.* Senium ſæpè uſurpatur pro triſtitiâ & mœrore.

*Uncto.* Ciho pingui, & exquiſito.

17. *Vapida.* Avari vinum, niſi mutatum & corruptum, non bibunt. Poteſt etiam ſic explicari: explorare, admoto naſo, num lagenæ ſignum & operculum integrum ſit, an a ſervis reſignatum & fractum.

18. *Horoſcope.* Horoſcopus hic ſignificat certam aſtrorum complexionem, quæ in cœlo eſt, dum orimur; aſtrum natale, quod nativitati præſidet.

*Varo.* Varus propriè eſt homo diſtortis pedibus.

20. *Muriâ.* Eſt ſalſugo ſeu

Ipse sacrum irrorans patinæ piper: hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer: utar ego, utar:
Nec rhombos ideò libertis ponere lautus,
Nec tenuem solers turdorum nosse salivam.
Messe tenus propriâ vive, & granaria, fas est,
Emole; quid metuas? occa; en seges altera in herbâ est.
Ast vocat officium: trabe ruptâ, Brutia saxa
Prendit amicus inops; remque omnem, surdaque vota
Condidit Ionio; jacet ipse in littore, & unà

*ac piper in patinam leviter insperget, tamquam si sacrum esset. Alter ingentes opes magnificè absumet ac dissperdet in epulis & luxu. Ego neutrum imitabor; utar meis opibus, nec abutar tamen: non ero ita prodigus, ut meis libertis pisces pretiosos epulandos apponam, aut curam ac solertiam diligentem adhibeam in dignoscendo sapore turdorum. Fac sumptus pro tuarum fortunarum modo, eosque tuâ messe, tuis annuis proventibus metire: frumenta, quæ servas in granariis, molâ contere, panemque inde confice; id æquum est; quid enim times? arva tua sere, & occa; continuò nascetur tibi altera messis in annum sequentem. Hoc verò impensiùs fac & libentiùs, cùm officii ratio id a te postulabit. En amicus tuus, navi fractâ, ad littus Italum conatur evadere, & manu prensare saxa in littore posita: opes ille omnes, ac merces in mari Ionio, immo etiam vota & preces inutiles, quas Superis fecerat, perdidit; ipse in littore jacet: apparent tristes navis reli-*

aqua ex carnibus sale conditis relicta.

23. *Rhombos.* Pisces exquisitos.

*Libertis.* Servis a me libertate donatis.

*Ponere lautus.* Græca locutio; tam lautus, ut apponam.

24. *Salivam.* Pro sapore usurpatur, qui salivam ciet, ac in deglutienda saliva maximè sentitur. Turdi autem aliter alio cibo pasti & loco sapiunt, aliter si domi, aliter si ruri alantur.

25. *Messe tenus.* Usque ad modum & copiam tuarum opum.

26. *Occa.* Occare, est propriè glebas majores, post arationem relictas, frangere & comminuere.

27. *Brutia.* Brutii sunt Italiæ extremæ populi, prope Siciliam.

28. *Surda.* Non exaudita a Superis surdis.

29. *Ionio.* Mare Ionium est in extrema parte maris Adria-

Ingentes de puppe Dei, jamque obvia mergis
Costa ratis laceræ. Nunc & de cespite vivo
Frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret,
Cæruleâ in tabulâ. Sed cœnam funeris heres
Negliget, iratus quod rem curtaverim, & urnæ
Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum,
Seu cerasso peccent casiæ, nescire paratus.

*quiæ, quibus mergi insultant : lacerata puppis ostendit fractas imagines Deorum, qui tamquam navis præsides, in ea picti fuerant ; nunc cum juvare par est, non tantùm pecuniâ, sed aliquâ etiam agri virentis, & fundi parte venditâ, ne cogatur mendicare ostiatim, & circumferre tabulam pictam, in quâ suum naufragium descriptum sit. At, inquis, meus heres, id si fecero, iratus mihi, quòd istâ liberalitate patrimonium imminuerim, dapes in meo funere nullas, aut parum exquisitas, adhibebit ; condet ossa mea in urnam, nullis additis floribus odoratis, aut aromatibus ; nihil curabit scire an unguenta, quibus meum cadaver ungetur, odorem emittant surdum & obtusum, qui vix sentiatur, an casiæ cerasi cortice admixto fuerint vitiatæ. Audire jam mihi videor illum heredem meum, qui me ita increpet : Tune bona tua, cùm es*

tici, inter Siciliam & Græciam.

30. *Dei.* Pingebant in puppe Deos custodes cujusque navis : iis exstructa erat in puppi ara.

*Mergis.* Sunt aves marinæ.

31. *Costa.* Tabulæ fractæ navis, & quasi latera data sunt mergis ludibrio.

*Cespite.* Non tantùm de pane & frumento, sed de agro virenti, & messe, quæ in herba tantùm est, largire. Cespes est gleba cum gramine.

32. *Pictus.* Naufragi, ut hominum commiserationem moverent, solebant circumferre tabulam, in qua mare & ipsorum naufragium depictum erat : unde cærulea vocatur tabula ob maris colorem.

33. *Cœnam funeris.* Solebant in mortuorum funere dapes ponere, quæ cum cadavere cremabantur : interdum illas sepulcris ipsis imponebant, & quasi mortuis epulandas apponebant : vocabatur ea cœna, silicernium.

34. *Rem.* Opes.

*Curtaveris.* Mutilaveris, aliquid ex ea detraxeris.

36. *Cerasso.* Cinnama, casiæ, erant aromata, unde unguenta conficiebantur : ea autem vitiabantur admixto cerasi cortice, seu gummi ex cerasso.

Tune bona incolumis minuas? sed Beſtius urget
Doctores Graïos: Ita fit, poſtquam ſapere Urbi
Cum pipere & palmis venit noſtrum hoc maris expers,
Fœniſecæ craſſo vitiarunt unguine pultes.
Hæc cinere ulterior metuas? At tu, meus heres,
Quiſquis eris, paulùm a turba ſeductior, audi:
O bone, num ignoras? miſſa eſt a Cæſare laurus,
Inſignem ob cladem Germanæ pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis, ac jam poſtibus arma,

*adhuc florenti ætate, & integrâ valetudine, ſic minuas? En Beſtius, homo ſapiens, conqueritur (& meritò) de philoſophis illis Græcis, qui liberalitatem nobis adeo commendant: aitque, ex eo tempore, quo ſapientia, quam priſci olim Romani e remotis & tranſmarinis regionibus non petebant, in Urbem cum peregrinis mercibus advecta eſt, ipſos ruſticos lautiùs cœpiſſe vivere, & ſuas pultes condire craſſo adipe. At, quis tam ineptus ſit ut, obitâ morte, hæc metuat? ut de minis ſuorum heredum ſit ſollicitus? Tu verò, quiſquis meus heres futurus es, a turba paulùm, arbitriſque, mecum te remove, ut hoc audias: Neſcis, o amice, miſſas eſſe ad Senatum ab Imperatore Caligula litteras lauro coronatas, propter inſignem victoriam, ab ipſo de Germanis reportatam: parantur ſacrificia, & cineres frigidi, in aris relicti, excutiuntur:*

37. *Beſtius.* Cornelius Beſtius, inſignis Romæ avarus, in luxum per Philoſophos invectum declamare ſolitus: cujus auctoritate ſe tuetur ille heres, bona olim ad ſe reditura minui queritans.

38. *Ita fit.* Verba ſunt Beſtii: Sic nempe vivitur, ſic in Urbe luxus dominatur.

*Sapere.* Infinitivus, Græco more, pro ſubſtantivo, ſapientia.

38. *Palmis.* Quæ ex Syria deferuntur, & Palæſtinâ.

*Maris expers.* Quod ſapere, quæ noſtra ſapientia non petebatur olim e tranſmarinis regionibus, putà ex Græcia, &c.

40. *Fœniſecæ.* Ruſtici, qui fœnum ſecant.

*Vitiarunt.* Inquinarunt, cùm antea ſimpliciùs victitarent.

41. *Ulterior.* Ultra mortem poſitus defunctus. Cadavera comburebant Romani, & in cineres redigebant.

43. *O bone.* O amice.

44. *Inſignem.* Ironicè. Caligula enim cùm triumphare cuperet, quaſi Germanos magnâ clade affeciſſet, ſcripſit ad Senatum, ut ſibi triumphus decerneretur.

*Pubis.* Juventutis.

Jam chlamidas Regum, jam lutea gausapa captis,
Essedaque, ingentesque locat Cæsonia Rhenos.
Diis igitur, Genioque ducis centum paria, ob res
Egregiè gestas, induco; quis vetat? aude:
Væ, nisi connives: oleum, artocreasque popello
Largior, an prohibes? dic clarè. Non adeò, inquis:
Exossatus ager juxtà est; age, si mihi nulla
Jam reliqua ex amitis, patruelis nulla proneptis,

*jam Cæsonia, uxor Imperatoris, templorum foribus armæ Regum barbarorum, & vestes affigit, in victoriæ monumentum: jam eadem captivis vestes villosas & luteo colore insignes, quibus induti ducantur in triumpho, parat; & currus adornat, in quibus Germanos, Rheni accolas proceros, collocet ad pompam triumphi. Quare ad agendas gratias Diis immortalibus, hujus victoriæ auctoribus, & Caligulæ Genio, ob res præclarè in eo bello gestas, inducere statuo in arenam centum paria gladiatorum: quis me id facere prohibet? tune id audes? miserum te, nisi saltem dolorem tuum dissimulas! Quin etiam largiri volo populo epulum; an tibi hoc displicet? dic apertè. Ego verò, inquis, non prohibeo. Age, est mihi prædium suburbanum, probè cultum, & ab lapidibus repurgatum: si ex meis amitis vivat ac superstit nulla patruelis, nullæ*

46. *Lutea gausapa.* Villosas vestes; lutei, seu crocei coloris.

47. *Essedа.* Currus grandiores & vehicula Gallorum propria.

*Rhenos.* Pro Rheni accolas. Est autem Rhenus ingens fluvius, Gallias ab Germania dividens.

48. *Genio.* Deo tutelari, & custodi Imperatoris.

*Paria.* Dies festos colere solebant, inductis in arenam gladiatoribus, qui se mutuis vulneribus trucidarent. Centum autem paria gladiatorum, sunt ducenti gladiatores, inter se æquales. *Par* enim, cùm substantivum nomen neutrum est, significat res duas æquales.

50. *Artocreas.* Græca vox est: significat carnem & panem, sive cibum ex pane & incoctâ carne compositum.

51. *Non adeo.* Subaudi, *prohibeo*: abest ut vetem.

52. *Exossatus.* Lapides, ossa terræ dicuntur.

53. *Amitis.* Amita patris soror est.

*Patruelis.* Patrueles vocantur, qui orti sunt e duobus fratribus; consobrini, qui e duabus sororibus.

*Proneptis.* Nepotis filia.

Nulla manet, patrui ſterilis matertera vixit,
Deque aviâ nihilum ſuper eſt, accedo Bovillas,
Clivumque ab Virbî: præſto eſt mihi Manius heres.
Progenies Terræ? Quære ex me, quis mihi quartus
Sit pater, haud promptè, dicam tamen: adde etiam unum,
Unum etiam; Terræ eſt jam filius, & mihi ritu
Manius hic generis propè major avunculus exit.
Qui prior es, cur me in decurſu lampada poſcis?

*patrui proneptis; ſi mortua ſit matertera mea ſine prole, & nulli liberi ex aviâ meâ ſuperſint; Bovillas ibo, & ad clivum Virbii: occurret mihi Manius, quem heredem meum inſtituam. At ille, inquis, eſt homo ignobilis & Terræ filius? Pete a me quis abavus meus fuerit: equidem dicam, at ægrè: ſi verò quæres ampliùs quis tritavus, quis tritavi mei pater fuerit, reperies eos, ut eſt ille Manius, Terræ eſſe filios, atque ita Manium iſtum tam mihi eſſe cognatum, & tam nobilem, quàm fuit major meus avunculus, & eodem in cognationis gradu mihi cenſeri propinquum poſſe, quò major meus iſte avunculus fuit. At tu, o meus heres, licèt mihi ſis prior & propinquior quàm iſte Manius, cur a me hereditatem meam tamquam facem petis, dum adhuc vitæ ſtadium decurro?*

54. *Patrui.* Patruus eſt frater patris.

*Matertera.* Soror matris.

55. *Aviâ.* Patris, vel matris mater.

*Bovillas.* Oppidum in via Appia.

56. *Virbî.* Ita dictus eſt iſte clivus ab Hyppolito, qui Virbius appellatus fuit, poſtquam artibus Æſculapii ad vitam revocatus eſt, & prope hunc collem in templo Dianæ colebatur. Idem clivus vallis etiam *Aricina* dicebatur, quia per illam ibatur Arician. In eo clivo multi erant mendici.

57. *Progenies Terræ.* Homines obſcuro, aut incerto patre nati dicebantur filii Terræ, quæ communis eſt omnium parens.

58. *Pater quartus.* Abavus, ſeu proavi pater. Eſt enim hic ordo; pater, avus, proavus, abavus, tritavus.

59. *Ritu generis.* Perinde quaſi hunc locum & ordinem in meo genere & familia obtineret.

60. *Major avunculus.* Eſt avi, aut aviæ avunculus, vel frater, ut quibuſdam placet; nam avunculus propriè eſt matris frater; itaque major avunculus erit aviæ frater.

61. *Lampada.* Athenienſes in quibuſdam Promethei ſacris, lampada tenentes manu,

Sum tibi Mercurius : venio Deus huc ego, ut ille
Pingitur : an renuis ? vin' tu gaudere relictis ?
Deest aliquid summæ ? minui mihi : sed tibi totum est,
Quidquid id est : ubi sit, fuge quærere, quod mihi quondam
Legarat Stadius ; neu dicta repone paterna.
Fœnoris accedat merces, hinc exime sumptus :

*Exspecta dum obierim : illa tibi ut lucrum insperatum & indebitum obveniet ; atque adeo ego instar Mercurii tibi ero (quippe ille lucris inexspectatis præest) & cum marsupio in dextra manu, ut ille pingitur, ad te veniam. An recusas accipere meam hereditatem, quanta quantula illa sit, & a me relictis bonis grato animo frui ? Mussitas, ut video ; deest aliquid summæ, inquis : ego verò, si quid inde abstuli, mihi abstuli, meum hoc commodum aut damnum fuit, non tuum, qui rei meæ dominus non eras : quod reliquum erit, totum erit tuum, quidquid illud sit. Noli quærere, quas in res insumpserim, aut ubi posuerim quod olim Stadius mihi testamento reliquit, nec mecum instar alicujus severi patris age. Tolle de tuarum opum capite & summa tota usuras & nummos quos fœnoris nomine dedisti fœneratoribus : detrahe hinc legitimos*

ita currebant, ut primus postquam currendo defatigatus erat, facem alteri recenti & integro traderet in manum, iste tertio, tertius quarto, &c. posterior autem non porrigebat facem priori, sed prior, seu, qui priori loco stadium erat ingressus, posteriori : sic mortui hereditatem & lampadem veluti tradunt viventibus. Alii hæc verba, *qui prior es*, ita exponunt, qui es senior, qui prior vitæ cursum ingressus es, cur a me, licèt juniore, hereditatem ante tempus, ante meum obitum petis ?

67. *Merces fœnoris.* Id est, fœnus, quod suprà sortem seu caput, ut aiunt pecuniæ, colligitur, estque pecuniæ mutuò datæ fructus, & quasi fœtus. Vulgò dicitur usura.

*Accedat* Ad summam principem a te addatur. Quidam ita explicant : Noli, o heres, instar severi patris, cogere ad augendam fœnore pecuniam, & ad sumptus qui erunt necessarii, sumendos ex illo fœnore, non ex sorte. Alii censent esse Persii verba suum heredem alloquentis : Sic olim, cùm hereditatem meam administrabis, eam augebis usurâ : ex ea usura sumptus facies, non ex sorte, quæ tibi sic remanebit integra. Verùm, inquit heres, quantula hæc erit sors ? quid est relictum a te ? nihil ferè.

Quid reliquum est? reliquum? Nunc, nunc, impensiùs unge,
Unge, puer, caules: mihi festâ luce coquatur
Urtica, & fisâ fumosum sinciput aure?
Vende animam lucro; mercare; atque excute solers
Omne latus mundi, ne sit præstantior alter
Cappadocas rigidâ pingues paviſſe catastâ:
Rem duplica. Feci: jam triplex, jam mihi quartò,
Jam decies redit in rugam: depinge, ubi sistam,
Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.

*sumptus quos feciſti: quid reliquum est? Certè perparum. Tune hoc mihi dicis, mi heres? petisne a me quid reliquum sit? At istud quidquid est reliquum, te invito consumam, & indulgebo genio. Famuli, caules lautiùs condite, dapes exquisitiores ponite. Egone ut festis diebus vescar urticâ in tuam gratiam & tuorum, contentusque sim capitis porcini anteriori parte, quæ per aurem, clavo perforatam, suspensa in camino, & fumo durata fuerit? non faciam. Interim, o avare, quisquis es, servias per me licet heredibus tuis; age, vitam tuam quasi vende, & periculis omnibus expone, ut eâ mercede divitias compares: mercaturam exerce: omnes mundi partes diligenter lustra: nemo te reperiatur solertior, in mancipiis advectis e Cappadocia venalibus exponendis, & saginandis, in lignea machina & cavea: duplica opes. Feci jam, ais; immo ter, quater, decies duplicavi, neque invenio, ubi sistam, aut quem augendæ rei modum faciam. Id me, quæso, doce, o Chrysippe, & fac ut inveniam rationem satiandæ avaritiæ, quæ, instar acervi tui, finem nullum & modum novit.*

73. *Cappadocas.* Servi e Cappadocia, minoris Asiæ regione, multi Romam venales deducebantur.

*Catastâ.* Erat machina quædam, e lignis per intervalla positis, instar ingentis caveæ, in qua saginati & nudi exponebantur servi, ut eos emptores possent inspicere, ne quid lateret vitii.

75. *In rugam.* Metaphora ducitur a pannis, qui rugas contrahunt, cùm duplicantur.

*Depinge.* Legunt alii, *depunge*, id est, punctum aliquod fige, ubi hæream.

76. *Acervi.* Hæc argumentatio, sorites aliâ voce dicitur: In ea multæ coacervantur propositiones, in quibus aliquid doli est, quod in conclusione tandem deprehenditur. Chrysippus, philosophus Stoicus, qui hunc acervum invenit, idem invenit mo-

dum ejus ſolvendi & ſiſtendi in aliqua propoſitione, unde omnis dolus penderet, ac in alias derivaretur. Alii hoc aliter explicant; negantque, Cicerone teſte, poſſe ullum acervo finem ſtatui, neque id umquam a Chryſippo inventum: itaque volunt accipiendum hunc ultimum eſſe ſyllogiſmum, de re quæ fieri non poſſit, hac ſententia: Doce me quis avaritiæ modus eſſe poſſit ac finis: id verò non magis me docebis, o Chryſippe, quàm docuiſti acervum tuum finire; quod præſtare numquam potuiſti. Poteſt etiam ita exponi: doce me ubi ſiſtam, inveniamque modum & rationem finiendæ cupiditatis & avaritiæ, quæ ſimillima eſt acervo tuo, Chryſippe, cujus finis inveniri nullus poteſt.

*Finis Auli Perſii Satirarum.*

# APPENDIX
# *DE DIIS,*
# ET HEROIBUS
# *POETICIS,*

Ad Poëtarum intelligentiam neceſſaria,

*Auctore* JOSEPHO JUVENCIO.

## PARS PRIMA.

### *De majoribus & minoribus Ethnicorum Diis.*

### CAPUT I. *SATURNUS.*

DEORUM antiquiſſimus habebatur Cœlum. Duo ejus filii celebrantur a poëtis, Tempus, ſive Saturnus, & Titanus. Hic, etſi priore loco genitus foret, eique proinde imperium orbis deberetur, jus tamen ſuum remiſit, conceſſitque Saturno, rogante Veſtâ matre, ſed eâ lege tamen, ut Saturnus maſculam prolem educaret nullam. His ita conſtitutis, Saturnus mares ſtatim editos devorabat, invitâ vehementer uxore, quæ uno partu Jovem & Junonem enixa, ſolam Junonem oſtendit Saturno, Jovem occultavit. Senſit dolum Titanus, ac Saturnum acie victum in vincula conjecit. Iis liberatus poſtea fuit per Jovem filium ſuum, a quo Titanes, bellum pro Titano patre redintegrantes, fuêre

profligati. Saturnus vinculis liberatus, cùm in fatis esse cognovisset futurum, ut ab eodem Jove regno spoliaretur, illi struxit insidias, ac bellum etiam indixit. *Ovid. Metamorph. Lib. 1.* Jupiter debellatum patrem cœlo expulit. Saturnus, amisso cœlo, in eam Italiæ partem, ubi Roma condita postmodum est, venit, quæ Latium fuit appellata, quòd ibi latuisset. Extorrem Deum Janus, Latii rex, benignè accepit, ac vicissim a Saturno donatus est insigni prudentiâ, cujus ope meminerat præterita, futura prospiciebat: unde biceps, seu bifrons apellatur. Eo regnante, mores optimi artesque viguerunt, quæ illi ætati nomen Aureæ fecerunt. Saturni festa dicebantur Saturnalia, & Decembri mense celebrata sunt per dies primò tres, deinde quatuor, tum quinque, ac plures. Per eos dies Senatus non habebatur, vacabant scholæ, munera ultro citroque mittebantur ab amicis; de fontibus supplicium sumere, ac bellum indicere, nefas; servis mensæ accumbentibus ministrabant Domini, & servorum vicem implebant, ad refricandam videlicet memoriam pristinæ, quæ florebat, Saturno regnante, libertatis, cùm nemo serviret.

Janus, de quo proximè facta mentio est, pingebatur cum clavi & virgâ. Virgam gerebat, quasi viarum præses; clavim, quia domorum januas, & seras invenisse credebatur. Ab eo Januarius mensis invenit nomen: aræ duodecim eidem ponebantur, pro numero mensium: utque sunt anni tempestates quatuor, ita quatuor ipsi frontes aliquando datæ. In omnibus sacrificiis appellabatur primo loco, quippe qui primus aras & sacrorum ritus instituisset. Ejus templum Romæ claudebatur pace composita, patebat flagrante bello.

## Cap. II. *CYBELE.*

Cybele, Saturni uxor, varia sortitur apud Poëtas nomina. Dyndimene vocatur, Berecynthia, & Idea, a montibus Phrygiæ Dyndimo, Ida, & Berecyntho, ubi præcipuè colebatur: magna Mater, quia Dii plurimi, maximique, ex ea nati: Ops, & Tellus, quia ut Saturnus cœlo, sic illa terræ præerat, opemque mortalibus ferebat: Rhea, quia e terra fluunt omnia, & gi-

gnuntur. Dicta quoque Vesta reperitur : vulgò tamen Vesta Saturni mater, non conjux, ponitur ; itaque duas aliqui Vestas constituunt, unam Cœli conjugem, & matrem Saturni ; alteram juniorem, & Saturni filiam : seniorem eamdem esse cum Cybele, ac Tellure, censent. Pingebatur illa sedens, quia terra stat, suis librata ponderibus ; tympanum gerebat manu, quia terra ventos sinu continet, qui erumpunt inde cum fragore : aderant circùm belluæ : curru vehebatur, quem trahebant leones : caput floribus, plantisque, sæpius coronâ e turribus & murorum pinnis conflatâ, cingebatur. Junior Vesta igni præerat, eique aram Numa Pompilius consecravit, & ignem in ara perpetuum foveri jussit, cujus alendi curam virginibus Vestalibus demandavit. Si casa extingueretur, indicebatur justitium, & publica, privataque negotia intermittebantur, donec prodigium illud infaustum, expiatum fuisset : si Vestalium incuriâ, graviter in eas animadvertebatur. Quotannis renovabatur ignis ille, Kalendis Martiis, petitâ non ab igne alio, sed a Sole, flammâ. Cybeles festa Megalesia vocabantur ; sacerdotes dicebantur Galli, a Gallo, Phrygiæ fluvio, cujus aquâ epotâ in rabiem versi lacerabant se cultris, caput rotabant, & adversis frontibus inter se velut arietabant ; unde illis etiam Corybantes nomen fuit. Tondebant iidem comam in priori capitis parte ; stolâ muliebri erant induti : Jovem in Creta insula aluerant, quas ob causas Curetes pariter dictos volunt. Denique reperiuntur appellati sæpe Dactyli Idæi. Dactyli quidem [quæ vox Græca digitos significat] quia decem [quot in manibus digiti] erant : vel quòd, instar digitorum, quibus manus ambæ utuntur, Divæ præsto essent ad omne sacrorum obsequium. Idæi verò, quia Idam Phrygiæ montem incolebant. Sacra Cybeles celebrabant inconditis clamoribus, fistulis, tibiis, ac tympanis percrepantibus. Romæ a feminis fiebant eadem in templo ac loco secreto, quod Opertum nuncupabant, exclusis viris.

Saturni & Opis, seu Cybeles filia Ceres fuit, Dea frugum, & inventrix frumenti. Quamobrem cum spiceâ coronâ pingitur, & plenis uberibus ; ex quo mammosæ, & almæ nomen est adepta, quòd omnes alat. Facem gestabat, quia filiam Proserpinam a Plutone rap-

tam diu quæsivit, *Metamorph. Lib. 5*; cúmque somnum præ mœrore capere non posset, ei papaver edendum præbuisse Jupiter dicitur, cujus ea vis est, ut somnum conciliet. Hinc papavera manu tenebat. Usa est Triptolemo adjutore ad monstrandam hominibus serendi artem. *Metamorph. Lib. 5.* Erat hic Eleusini regis, apud quem Proserpinam Ceres quærens diverterat, filius. In eodem oppido Eleusi cœpta sunt primùm peragi Cereris sacra, Eleusina dicta: in iis incredibile servabatur silentium, ac summum nefas putabatur ex illis aliquid evulgare. Alia duo Cereris festa memorantur in scriptoribus antiquis: Thesmophoria, quia Ceres Athenienſibus leges descripserat: & Ambarvalia, institura ad fertilitatem & ubertatem impetrandam arvis, quæ tunc ambiebantur a supplicantibus, unde festo nomen. Vinum ab aris Cereris amovebatur: immolabatur illi porcus, quia fruges & sata rostro eruit. Agrorum limitibus præerat Deus Terminus: ejus festa, Terminalia, dicebantur. Cererem in Græcia regnasse D. Augustinus tradit; artemque agros colendi tradidisse, ac per eam factum, ut Græcia suis frugibus uteretur, cùm antea frumento aliunde importato vixisset.

## Cap. III. *JUPITER.*

Jupiter, Saturni & Cybeles filius, postquam patrem egisset in fugam, regnum mundi cum fratribus ita divisit, ut cœlum sibi vindicaret, aquas Neptuno, inferos Plutoni regendos permitteret. Non diu tranquillum regnum habuit. Tellus enim, Titani uxor, dolens filios suos Titanas a Jove interfectos, Gigantes procreavit, mole viribusque spectandos, qui congestis in cumulum montibus, Jovem cœlo detrudere aggressi sunt. *Metamorph. Lib. 1 & 14.* Sed fulminibus dejecti, & suis obtriti montibus, pœnas Jovi dedêre. Vocati ab illo in belli & periculi partem Dii, cùm se imparem unum tot hostibus crederet, sic Gigantum conspectu perterrefacti sunt, ut omnes in Ægyptum fugerint, ibique sub variis animantium formis latuerint. *Metamorph. Lib. 5.* Hinc factum ut belluas Ægyptii colerent pro numinibus. Bacchus tamen specie leonis indu-

tus, rem ſtrenuè aliquantiſper geſſit, hortante Jove, & Evohe, id eſt, *Euge fili*, ingeminante. Jupiter pacatum adeptus regnum, curam ad formandos homines contulit. Eum imitatus Prometheus finxit ſtatuas quaſdam hominum ex argilla, illaſque, rapto e curru Solis igne, animavit. *Metamorph. Lib. 1.* Promethei temeritatem indignè ferens Jupiter negotium Vulcano dedit, ut eum in Caucaſo monte religaret: addidit vulturem, qui laniaret viſcera, in novos cruciatus ſemper renaſcentia. Severitatem Jovis iniquè tulerunt ceteri Dii, ac doluerunt quòd ſibi uni formandorum hominum jus arrogaret. Quare collatis ſtudiis & muneribus, mulierem effinxere, quam Pandoram appellarunt, quaſi ex omnium donis conflatam. Jupiter Superûm arrogantiam ulturus, illi capſulam dedit, infelix munus; in eam quippe congeſta erant omnia naturæ mala. Hanc Pandora cùm detuliſſet ad Epimetheum Promethei fratrem, ille impulſus curioſitate pravâ, ſive, ut alii narrant, ejus uxor, capſulam aperuit; ex eaque peſtes omnis generis in orbem terrarum evolarunt, ſolâ Spe in fundo capſulæ relictâ. Hinc ætas ferrea & ſcelerum colluvies nata eſt. Jovem non unum in Creta regnaſſe doctorum opinio eſt: omnium celeberrimus Abrahamo ſupparem Euſebius facit. Patrem ſpoliavit regno, quod ita cum ſuis fratribus Neptuno & Plutone diviſit, ut ipſi regiones ad ortum ſitæ, Plutoni occidua pars inſulæ, Neptuno maritimi tractus obtigerint. Hinc Jupiter cœli, Neptunus maris, Pluto inferorum rex, nuncupatus eſt. Jovis nomine apud poëtas Aër ut plurimùm ſignificatur, ſive cœlum; ut nomine Junonis, quæ Jovis conjux, terra; quia e cœlo, terraque, omnia gignuntur. Ejuſdem Jovis varia ſunt apud ſcriptores profanos nomina: hæc frequentiora. *Dieſpiter* vocatur, quaſi diei pater: *Feretrius*, vel quòd hoſtes feriret, vel quòd in ejus templum ferrentur opima ſpolia. *Stator* [ita eſt a Romulo dictus] quòd Romanorum contra Sabinos pugnantium fugam ſtiterat: *Xenius*, ſive *Hoſpitalis*, quia gerebat hoſpitum curam. *Vejovis*, & *Vedius* tunc appellabatur, cùm rogabatur ne quid inferret mali; & inter ſiniſtra noxiaque numina cenſebatur: factæ voces iſtæ ſunt ex interjectione

væ, quæ mali ominis ; & duplici genitivo, altero Græco, altero Latino, Jovis, & Diòs.

## Cap. IV. *JUNO.*

Juno, Jovis soror & conjux, matrimoniis præerat, ac partubus feliciter edendis : tumque Pronuba, Lucina, & Illythyia, nominabatur. *Metamorph. Lib. 9.* Ejus filia Hebe, juventutis Dea, nectar Jovi tamdiu miscuit, dum ejus locum Ganimedes, a Jove in aquilam mutato raptus, occupavit. *Metamorph. Lib. 9 & 10.* Edidit etiam Juno Martem, belli armorumque præsidem, cujus soror Bellona, sive Enyo : denique Vulcanum, sed distortum & informem. Horruit partum degenerem Jupiter, & calce in terras dejecit. Vulcanus, crure inter cadendum fracto, claudus remansit. Jupiter ut infortunium hoc solaretur, illum præfecit fabricandis fulminibus. Officinæ Vulcani Lemnos, Lipara, Ætna : adjutores & administri fuêre Cyclopes, ita dicti, quòd unum in fronte media oculum haberent. Ceterùm offensus Jupiter & arrogantiâ Junonis, & postremo partu, eam fastidire atque aliàs amare cœpit. Immo Palladem e fœcundo capite productam, bello pariter præesse litterisque voluit. Vulgò tamen cùm litterarum est præses, Minerva nuncupatur. Olea ipsi dicata erat, pacis insigne : nam & pace gaudent litteræ ; & belli finis præmiumque pax esse debet. *Metamorph. Lib. 6.* Ab Athenienſibus præcipuè culta fuit. Interim Juno maritum in pellicum amores turpiter effusum observans, illi custodem apposuit centum oculis præditum, Argum nomine. Molestum observatorem Jupiter, operâ Mercurii, obtruncavit. *Metamorph. Lib. 1.* Ejus oculos Juno indidit pavonis caudæ. Argum ipsum, ut alii volunt, in pavonem mutavit. Junonis famula & nuntia Iris fuit, quamvis operam aliquando Jovi, ceterisque Diis navaret. De Marte, addò illum Gradivum appellari solitum, quando sæviebat ; gradior enim propriè de militibus in aciem procurrentibus dicitur : Quirinum verò, cùm tranquillus & mitis erat, sumpto nomine a Sabino vocabulo, *Curis*, seu *Quiris*, quod hastam significabat. Id no-

minis Romulo quoque, Martis filio, tributum est. Salii, Martis sacerdotes, urbem obibant saltando, & ancilia [clypeolos sacros] circumferendo.

## Cap. V. *APOLLO.*

Jupiter, spretâ Junone, Latonam adamavit, ex eaque suscepit Apollinem & Dianam. Priusquam in lucem ederentur, Juno terram obsecravit, ut nullum Latonæ, ubi consistere posset ac parere, locum relinqueret. *Metamorph. Lib. 6.* Promisit Terra excludendam omnibus locis Latonam, præterquam ab insula Delo, quæ tunc fluitabat incerto mari, ac fere semper fluctibus erat obruta. Sed Neptunus, Latonam miseratus, Delum stabilem reddidit, ac jussit emergere. Hinc Apollo Delii cognomen est nactus ab insula natali. Ejus filius Æsculapius, cùm artem medicam a patre, & a Chirone Centauro didicisset, tantùm in ea profecit, ut Hyppolytum, Thesei filium, monstris marinis discerptum, ad vitam revocaret. *Metamorph. Lib. 2 & 15.* Quo facto Jupiter auctoritatem suam lædi ratus, Æsculapium fulmine percussit. Apollo vicissim Cyclopes, fulminis fabricatores, quoniam sævire in Jovem ipsum non poterat, interemit. Exarsit iracundiâ gravi Jupiter, & Apollinem cœlo pulsum, divinitate per aliquot annos spoliavit. Redactus in ordinem Apollo, multis incommodis afflictatus est; ac ne periret fame, operam suam locavit Admeto, Thessaliæ regi, cujus greges pascendos accepit. *Metamorph. Lib. 2.* Hinc Deus pastorum habitus fuit, eique immolabatur lupus, ovium pestis. Armenta sic pascentem aliquando vidit Mercurius, eique vaccam dolo surripuit: mox ipsam ejusdem humeris furtim pharetram detraxit. Daphne in laurum ab eo mutata fuit. *Metamorph. Lib. 1.* Hyacinthus, quem disco imprudens colludentem interemerat, in florem cognominem. *Metamorph. Lib. 10.* At Hyacinthi parentes Apollinem, ut pœnas expeterent, insecuti, fugere coëgerunt in Troadem, ubi incidit in Neptunum, cœlo pariter exsulantem, irato Jove, in quem cum Diis aliquot conjuraverat. Ambo ad Laomedontem, qui Trojam tunc ædificabat, confugiunt; ac pacto pretio na-

vant operam conſtruendis Trojæ mœnibus, *Metamorph. Lib. 11.* Cùm promiſſam mercedem negaret Laomedon, conſpirarunt in perjurum regem, ejuſque civitatem Neptunus, immiſſis aquis, evertit magna ex parte; Apollo peſtilentiâ regionem devaſtavit. Tot malis remedium quæſivit Laomedon. Oraculo conſulto, reſponſum eſt placandos Apollinem ac Neptunum objectâ monſtris marinis Trojanâ quotannis virgine: ſors Heſionen, regis ipſius filiam, neci addixerat. Hercules ita ſe liberaturum illam ſpopondit, ſi Laomedon quoſdam inſignes equos ſibi daret. *Metamorph. Lib 11.* Promiſit rex; at liberatâ filiâ, monſtris abactis & interfectis, Herculem indonatum, irriſumque valere juſſit. Hercules juſto furore percitus obſedit urbem, cepit, ac regem interfecit. Intereà mitigatus Jupiter cœlum Apollini ac divinitatem reddidit. Apollo priſtinum decus non modò recuperavit, ſed magnà etiam acceſſione cumulavit. Nam in cœlo lucis Orbi dividendæ munus recepit, quod anteà gerebat, etſi provinciam hanc poëtæ tribuant uni e Titanibus, quem Titanem, & Hyperionem dixerunt. Hunc alii Solis ipſius patrem faciunt. Solem Ægyptii Horum appellabant; Perſæ, Mithram. In terris verò edere cœpit oracula, præſertim Delphis, ubi ſacerdos reſponſa dabat inſidens cortinæ, ſive tripodi tecto pelle ſerpentis Pythonis, olim ab Apolline interfecti. *Metamorph. Lib. 1.* Prætereà invenit artem canendi, & Marſyam ſatyrum, a quo fuerat provocatus, victum cantando, exuit pelle. *Metamorph. Lib. 6.* Eamdem canendi artem & poëſim docuit Muſas, Jovis & Mnemoſynes filias. Novem recenſentur, Calliope, Clio, Erato, Thalia, Polyhymnia, Urania, Melpomene, Terpſichore, Euterpe. Parnaſſum unà cum Apolline incolebant. *Metamorph. Lib. 5.* Inter Apollinis filios celebratur Phaëton, qui paternum currum, temerè expetitum, cùm malè regeret, a Jove percuſſus, & in Eridanum deturbatus eſt. Ejus ſorores Heliades in populos mutatæ. *Metamorph. Lib. 2.* Inter Apollinis liberos nonnulli numerant Auroram. Hæc Tithonum, Laomedontis filium, habuit in matrimonio, eique immortalitatem a Jove impetravit; nec tamen obtinere potuit, ne ſeneſceret. Itaque ſenio

fractus, in cicadam ut mutaretur exoravit. E Tithono genuit Aurora Memnonem, qui Priamo suppetias, in Trojano bello, tulit. Ab Achille interfectus, a matre diuturnis lacrymis, quæ rorem effecere, deploratus est, & ex ejus rogo natæ aves Memnonides. *Metamorph. Lib 13.* Illi statuam Ægyptii posuerant, quæ, Solis orientis primoribus radiis icta, sonum canoræ voci similem edere jactabatur.

## Cap. VI. *DIANA.*

Diana soror Apollinis, eadem in cœlo Luna, in terris Diana, in inferis Hecate, dicebatur. Hinc triformis diva, triceps Hecate, a poëtis nuncupatur. Venationi præsertim addicta, venatoribus præfuit. Eadem virginitatem perpetuò coluit, & Actæonem venatorem, quòd in eum, ubi se cum nymphis lavabat, locum imprudens veniisset, mutavit in cervum. *Metamorph. Lib. 3.* Insigne templum habuit Ephesi, & inter septem orbis miracula numeratum: aram quoque in Taurica Chersoneso, ad Pontum Euxinum, in qua ipsi homines immolabantur, præsertim si qui naufragio ad istas oras ejecti fuissent.

## Cap. VII. *BACCHUS.*

Jupiter e Semele suscepit Bacchum, quem narrant, cùm ante tempus in lucem exiisset, insertum fuisse Jovis femori, donec menses legitimi partûs implerentur. *Metamorph. Lib. 4.* Ætate provectior peragravit orbem terrarum, deque India triumphavit. Inveniisse vinum fertur, eique caper immolabatur, quia vitium gemmas arrodit. Primus etiam aratro boves subjunxisse memoratur: quam ob causam ejus capiti affinguntur cornua, quæ pariter indicant robur & audaciam ebriosis familiarem. Sacra illi quoque hedera, quia vini fumos nativo frigore discutere creditur. Eâ involutum & pampinis jaculum gestabat, quem thyrsum vocabant. Eodem instructæ feminæ, sparsis comis ululantes, sacra Bacchi celebrabant: Trieterica illis nomen, quia tertio quoque anno recurrebant; & Orgia, ob furorem, quo

quo istæ Bacchantes, pellibus tigridum & pantherarum indutæ, nonnumquam armatæ facibus, per invios montes vagabantur, præsertim in Thracia. *Metamorph. Lib. 4 & 11.* Præter illius nomina, quæ expositimus; *Metamorph. Lib. 4*, vocatur etiam Dionysius, sive Dionysus, a Jove, ipsius patre, & ab urbe Nysa, ubi regnavit: vel, a Nysæis nymphis, a quibus educatus est. Apud Latinos vulgò Liber dicebatur, quia ebrio liberius nihil, nihil ab omni cura solutius. Huic nomini respondet Græcum Lyæus. Hinc ejus festa vocabantur apud Græcos Dionysia; apud Latinos verò Liberalia, sive Bacchanalia. Peculiaria quædam celebrabantur in Atticæ pagis, Ascolia nuncupata, a voce Græca, quæ utrem significat. Statuebant itaque utres hircinos in prato, inflatos, & oleo inunctos. Saltabant per hos rustici unico tantùm pede; nam alterum erectum, & in aëre libratum habebant. Qui cadebant [quod proprio vocabulo cernuare dictum est a Romanis, eadem subinde festa imitatis] risu agrestis coronæ, & cachinnis excipiebantur. *Consule Lacerdam, Lib. II Georg. versu 384.* Sunt qui adumbratum in Baccho fuisse velint Nembrodum, qui Hebræâ voce Bar-chus, id est, Chusi filius, appellatur. Sunt qui Moysem in eo expressum pugnent, ac multa proferunt a poëtis attributa Baccho, quæ planè in Moysem quadrant. Plerique omnes Noëmum in eo depictum censent, satorem vitis, ac vini sive monstratorem, sive reparatorem. In eam sententiam explicant quæ poëtæ de Baccho tradunt: nempe a Naiadibus, fontium nymphis præsidibus, educatum fuisse; ut vinum aquâ temperandum docerent. Pingunt eumdem puerili semper vultu; ebrii puerorum simillimi sunt: nudum, quia nullum ebrio arcanum est. Furiosos comites illi addunt, tigres ejus currui subjungunt; quia vinum, excusso rationis imperio, intemperantes irâ & furore incendit, ac belluis simillimos reddit.

## Cap. VIII. *MERCURIUS.*

Mercurius, Maiâ genitus, Atlantis filiâ, Jovis & Deorum interpres fuit ac nuntius. Itaque alas in capite & pedibus habebat, quò expeditior esset ad mandata Superûm perferenda; caduceum verò, in manu. *Metamorph. Lib. 2.* Mercurium narrant incidisse aliquando in duos angues inter se dimicantes, utrumque diremisse interpositâ virgâ, quam tenebat manu: inde factum, ut virgam gemino angue circumfuso insignem gestaret, caduceusque pacis esset ac fœderis symbolum. Quia Deorum minister & nuntius erat Mercurius, inditum illi quoque fuit Camilli nomen, quo nomine pueros, ac sacrificiorum præsertim administros, antiqui vocare consueverant. Mercurii nomen invenit a mercibus, & mercatura, cui præerat. Alterum Mercurii munus erat, animas mortuorum ad inferos deducere, ex iisque, cùm res ferebat, revocare. Tertium, fures adjuvare. Idem palæstræ & eloquentiæ laude florebat: ac sæpe pingebatur cum aureis catenis ex ore defluentibus, quibus audientes vinciebat. Hinc Hermes apud Græcos appellatus est. Ejus statuæ apud Romanos in triviis, & compitis, ut iter ostenderent, locabantur, erantque manibus captæ ac pedibus, & *Hermæ* vocabantur. Iidem Romani solebant Mercurii ac Minervæ statuas jungere, & eidem quasi trunco imponere; *Hermathenas* vocitabant: item Cupidinis ac Mercurii; & *Hermerotes* dicebantur.

## Cap. IX. *VENUS.*

Veneris Mater Dione fuit: filius, Cupido: item Priapus, hortorum; Hymenæus, nuptiarum præses; denique Æneas: filiæ verò, Charites, sive Gratiæ tres, Aglaia, Thalia, Euphrosine. Colebatur præsertim Amathuntæ, Cytheris, Paphi. Astarte, Sidoniorum Dea, non alia fuisse quàm Venus, ab eruditis creditur. Additur aliquando Veneri comes Pytho, sive Suada, eloquentiæ Dea. Currum Veneris trahebant columbæ, cycni, aut passeres. Magistra impudicitiæ ferebatur, ut

ne puderet miſeros mortales volutare ſe in cœno libidinum, qui Deos ad hæc flagitia duces, hortatoreſque ſibi feciſſent.

## Cap. X. *NEPTUNUS.*

Neptunus, Jovis frater, maris imperium ſortitus eſt. Illi pro ſceptro, tridens; pro curru, ingens concha; pro equis, hippocampi, ſive equi marini, bipedes tantùm, poſtremâ corporis parte in piſcium caudam deſinente; pro ſatellitibus, tritones erant. Uxor ejus Amphitrite; filiæ, Harpyiæ. *Metamorph. Lib. 7.* Oceanus, Neptuni filius, pater fluviorum, Thetyn uxorem duxit, ex qua Nereum, & Doridem ſuſcepit. E Nereo & Doride prognatæ ſunt nymphæ, quarum aliæ vocabantur Nereides, quæ mari; Naiades, quæ fontibus & fluviis; Napeæ, Dryades, & Hamadryades, quæ ſilvis, pratiſque præerant. Inter Nereides inſignis fuit Thetis, Pelei conjux. *Metamorph. Lib. 2.* Oceani pariter filius erat Proteus, Neptuni paſtor, qui Phocas ejus regebat; a Latinis dictus Vertumnus, quia in omnes formas ſeſe vertebat. *Metamorph. Lib. 2, 8, & 14.* Inter maris numina cenſebantur etiam Glaucus, Ino, ejuſque filius Melicerta. Glaucus quo pacto Deus evaſerit, explicat Vates, *Metamorph. Lib. 7 & 13.* Ino conjux erat Athamantis Thebarum regis. Hunc irata Juno egit in furias: quibus ille agitatus necem uxori machinatus eſt. Furentem Ino fugiens, in mare ſe dejecit, cum filio Melicerta. Utrumque miſeratus Neptunus Deos maris eſſe juſſit, & Inonem Leucotheam, Melicertam verò Palæmonem dixit. *Metamorph. Lib. 4.* Nec prætereundus inter Deos maris Æolus eſt, ventorum arbiter. Ejus regia & ventorum carcer, prope Siciliam, in Æoliis inſulis collocatur. In anguſto freto quod Siciliam ab Italia ſeparat, monſtra duo marina ponuntur a poëtis, Scylla nempe & Charybdis. In eodem freto Siculo degebant Sirenes, quæ ſuavitate cantûs pellectos vectores in brevia ſyrteſque perducebant. *Metamorph. Lib. 5.*

## Cap. XI. *PLUTO.*

Plutonis conjux Proserpina, Cereris filia, quam rapere coactus est, quia Dearum nullam, quæ tam deformis regni domino vellet nubere, inveniebat. *Metamorph. Lib.* 5. Inferorum fluvii, Acheron, Cocytus, Phlegeton, Palus, Styx. *Metamorph. Lib.* 2. Custos inferorum, Cerberus, canis triceps : portitor Charon, senex inexorabilis : carnifices, furiæ tres, Alecto, Megæra, Tysiphone, flagellis & facibus armatæ. *Metamorph. Lib.* 4. Plutonis administræ, Parcæ tres, Clotho, Lachesis, Atropos. Illæ fatalem tenebant colum, modò nigrâ involutam lanâ, modò albâ, ex eaque filum ducebant, quo recisо, pereundum erat. Mortuorum animæ, operâ Charontis transvectæ, deducebantur a Mercurio ad judices Æacum, Minoem, & Rhadamanthum : qui expensâ singulorum vitâ, probos mittebant in Elysium, sceleratos in Tartarum detrudebant. Eorum pœnas, & insignium facinorosorum nomina describit Vates, *Metamorph. Lib.* 4.

Porrò animæ in Elysios campos missæ, post certum annorum numerum, ex iis educebantur, & in alia migrabant corpora, novam ut vitam instituerent. Sed antequam felicibus exirent campis, hauriebant aquas fluvii Lethes, quarum ea vis erat, ut rerum omnium præteritarum oblivionem afferrent. Mortui, quorum insepulta jacerent cadavera, centum annos in ripa Stygis errabant, quibus exactis, a Charonte transmittebantur. Plutonis nomina tria, quæ præ ceteris erant illustria : Orcus dicebatur, quasi Urgus, vel Uragus, quod omnes urgeret in interitum. Februus, ab antiquo verbo *februo*, quod significat purgo, lustro ; quia in funebribus cæremoniis multæ lustrationes & purgationes adhibebantur : præcipua quædam sacra Plutoni fiebant, dicta ob eamdem causam Februa ; unde etiam fluxit nomen Februarii mensis, quo hæc sacrificia peragebantur. Plutonis vocabulum a Græca voce divitias significante dicitur ; quia aurum & alia metalla in imam tellurem naturæ provida benignitas, ut laterent, retrusit, ipsisque admovit inferis, ac Plutonis arbitrio subjecit, ut finge-

bant poëtæ : qui tamen peculiarem Deum, Plutonis administrum, divitiis præfecerunt, Plutum nomine : claudum faciunt, quia tardè comparantur opes ; cæcum, quia sæpe immeritis contingunt.

## Cap. XII. *PAN, FAUNUS, SATYRI, &c.*

Ut cœli & inferorum, sic terræ propria quædam erant numina. Principem inter agrestes Deos locum obtinebant Pan, & Pales. Pan Mercurii filius, capri caput ac pedes, necnon barbam, & cornua gerebat : illum comitabantur Satyri, non dissimiles : itemque Silvanus, silvarum præses. In Arcadia præcipuè colebatur Pan : ejus in honorem Romani mense Februario celebrabant Lupercalia : quibus in festis, Luperci, Panos sacerdotes, nudi per urbem discurrebant. Pan, ut ipsa vox Græca innuit, ac testatur Servius, symbolum erat universi, in quo homines belluis mixti sunt : itaque supernè hominis, infernè pecudis speciem gerebat. Fistulam gestabat, ad significandum partium mundi, junctarum inter se ordine pulcherrimo, concentum. Narrat Pausanias, cùm Galli, Brenno duce, Græciam percursantes, templum Delphicum pararent spoliare, injectum illis a Pane improvisum terrorem, quo percussi omnes fugam arripuerint : inde natum, ut terror sine causa susceptus, panicus appelletur. Pales invocabatur a Pastoribus : eadem ac Cybele esse putabatur. Ejus festa Palilia celebrabantur Aprili exeunte. Faunus quoque Pici, Latinorum regis, filius, in agrestium Deorum numerum veniebat, quia multa docuerat homines ad agriculturæ usum spectantia.

Pomona fructuum ; Flora, seu Chloris, florum gerebat curam. Ludi ejus in honorem celebrati vocabantur Floralia, & tubâ indicebantur. Præterea suum singulis fontibus, fluviis, domibus, hominibus, Deum assignabant. Domestici Dii Lares, sive Penates appellabantur. Lares vicorum etiam, itinerumque præsides erant : itaque in vicis & compitis colebantur, & ludis in eorum honorem celebratis, Compitalitiis nomen erat. Tunc hominum effigies e lana, tamquam victimæ piaculares, suspendebantur in compitis, rogabanturque Lares, ut in

hæc ſimulacra iram & pœnas effunderent, ſi quas ipſimet homines commeruiſſent. Cùm bullas pueri deponebant, eas Laribus conſecrabant. Canes illis erant dicati, animal domeſticum, & fidele; ipſique caninâ pelle veſtiebantur. Locus Laribus domi ſacer, vocabatur Lararium. Iidem Præſtites nominabantur, quaſi qui multa familiis commoda præſtarent. Proprium cujuſque hominis numen Genium vocabant; eumque ſimul cum uno quoque naſci, & mori arbitrabantur. Duplicem ſtatuebant Genium, alterum candidum & felicem; alterum nigrum & ſiniſtrum, qui ſi albo eſſet fortior, omnibus infortuniis miſerum hominem malè multabat. Feminarum Genios appellabant Junones. Serpens Genio dicatus erat. Rerum humanarum veluti clavum moderabatur Fortuna, Dea cæca, rotæ inſidens volubili, & in ſola inconſtantia conſtans. Huic maximè ſupplicabant, eique varia diverſis nominibus templa poſita reperiuntur. Si quis fortunâ ſecundâ & favente abuteretur, hunc plectebat Nemeſis, & indignos ingratoſque ulciſcebatur. Inditum id illi nomen a voce Græca quæ ſignificat *diſtribuere*, quia pœnas & præmia unicuique veluti dividebat. Dicta quoque legitur Adraſtea; vel ab Adraſto, rege Argivorum, qui primus aram illi condidit, vel quòd nemo illam poſſet effugere, ut vox Græca ſonat. Rhamnunte [pagus Atticæ fuit] præcipuè colebatur. Hinc Rhamnuſia vocatur a poëtis. Alatam exhibebant, ad ſignificandam celeritatem pœnarum, quæ impios non tardo pede conſequuntur: inſidentem rotæ, ut indicarent eam viciſſitudinem quâ delictis pœnæ reſpondent, iiſque ſuccedunt. In Deorum etiam numerum referebantur Nox, & Somnus, ſive Morpheus. Ex utroque genitus Momus ludo jociſque præſidebat.

Poſita quoque templa viſebantur variis ſcelerum monſtris, & morbis; ut Invidiæ, Fraudi, Calumniæ, Diſcordiæ, Furori, Febri, Pavori, Paupertati, Neceſſitati, Tempeſtati. Illud paulò rectiùs, quòd eoſdem honores tribuerent virtutibus, Fidei, Juſtitiæ ſive Aſtrææ, Pietati, Pudicitiæ, Concordiæ, Veritati, Saluti, Libertati, Paci, demum Silentio, cujus præſes apud Ægyptios erat Harpocrates; apud Græcos, Sigalion: uterque pingebatur cum digito indice labris admoto,

quasi silentium indicens. Harpocrati sacra erat arbor Persea, quòd ejus folia, linguæ; fructus autem, cordis speciem præ se ferant. Ab iisdem Ægyptiis Angeronia, silentii Dea præses habebatur, ejusque simulacrum, ore obligato & obsignato prostabat.

# PARS SECUNDA.

## *De Semideis & Heroïbus.*

### Cap. XIII. *ORIGO IDOLOLATRIÆ.*

Cum primùm homines, abrepti cupiditatum æstu, in graviora flagitia prolapsi sunt, tunc originis suæ & Conditoris obliti, nova sibi numina fabricarunt. Ac primò quidem Solem & Lunam adoravere, quia nihil formosius objiciebatur sensibus, quorum judicio ferè omnia metiebantur: deinde hominibus ipsis cultum uni Deo debitum adhibuerunt. Id primus omnium tentasse Ninus fertur, circa mundi annum 1945, qui collocatâ publicè patris sui Beli statuâ, jussit ad eam preces & vota concipi. Exemplum secutæ gentes vicinæ, divinos honores suis principibus, aut heroïbus de genere humano bene meritis, decreverunt. Sic inter Superos relati Saturnus, Jupiter, Neptunus, Hercules, aliique, & pro Numinibus deinde habiti sunt, communi gentium omnium suffragio, præcipuè Græcorum, qui ceteris eruditione ac sapientiâ præstare credebantur.

Ordinem nihilominus aliquem statuebant inter Deos; quosdam enim censebant omni exceptione majores, ut Jovem, Junonem, Neptunum, &c. quosdam minores, ut Panа, Faunos, Satyros, Nymphas, &c. Nonnullos dimidiatos quasi Deos, sive Semideos, appellabant, qui maternum duntaxat, paternumve genus ab aliquo Deo ducerent, ut Æsculapium, Pollucem & similes. Denique heroïbus ob res præclarè gestas, & magna quædam in mortales collata beneficia, cœlum ac Divinita-

tem indulserunt. De duobus primis deorum generibus dictum est parte primâ ; nunc de Semideis & Heroibus differendum.

## Cap. XIV. *PERSEUS.*

Acrisius, Argivorum rex, cùm oraculo didicisset futurum, ut periret a puero, quem Danaë filia sua pareret ; hanc æreâ turri inclusit, appositis custodibus, ne quis ad illam vir aspiraret. Eò tamen penetravit Jupiter in imbrem aureum mutatus, hoc est, auro corruptis puellæ custodibus. Genitum sic furto Perseum Acrisius in arcam abdidit, & in medios fluctus projecit : sed a piscatoribus servatus, cùm ætate processisset, ac ludicro interesset certamini, patrem imprudens interfecit. Res ejus præclarè gestas describit Ovidius, *Metamorph. Lib. 4, ad finem, & initio Lib. 5.* Pegasus de quo meminit idem Ovidius, *Metamorph. Lib. 4*, egregiam Perseo primùm navavit operam, deinde Bellerophonti, Glauci regis Corinthiorum filio. Ille cùm Prœtum Argivorum regem inviseret, ejusque uxori Stenobææ assentiri nollet, ab ea fuit accusatus apud Prœtum, qui ne datam hospiti dextram, fidemque violaret, misit ipsum cum litteris quasi commendatitiis, quarum similes *Bellerophontis Epistolæ* postea sunt appellatæ, ad Iobatem regem Lyciæ, socerum suum. Rogabatur istis litteris Iobates, ut Bellerophontem insidiis & astu perderet. Statim variis periculis fuit objectus ab Iobate, ut periret, præsertim Chimæræ, horribili monstro, in Lycia, quod Pegasi tamen ope domuit. Sed dum equi alati tergo insidens evolare in cœlum conatur, a Jove dejectus & oculis orbatus est. Commodiùs actum fuit cum Perseo & ipso Pegaso ; nam ambo in sidera sunt relati. Stenobæa necem sibi conscivit.

## Cap. XV. *HERCULES.*

Heroum, quos vetustas celebravit, clarissimus extitit Hercules, Alcmenâ genitus, conjuge Amphitryonis, Thebani principis, & Jove. Regnabat per

idem tempus Mycenis in Græcia, Stenelus & regnum Herculi fata deſtinabant. Senſit Juno, effecitque, ut Euryſtheus Steneli filius, prior naſceretur, quàm Hercules, cùm antea impetraſſet a Jove, ut qui amborum prior foret in lucem editus, alteri imperitaret. Imperium inclementer in Herculem Euryſtheus poſtea exercuit. *Metamorph. Lib. 9.* Longum tamen Junoni viſum eſt, dum uterque adoleſceret: Herculem in cunis perdere tentavit, immiſſis anguibus geminis, quos infans, jam doctus vincere, qui vivere vix cœperat, tenellis manibus eliſit. Palladis tamen ope, Juno Herculi conciliata pauliſper eſt, dumque puer labris ubera immulget, decidit aliqua particula candidi liquoris, & in eam cœli partem defluxit, quæ via Lactea poſtmodum eſt appellata. *Metamorph. Lib. 1.* Hæc Junonis benevolentia minimè fuit diuturna. Euryſtheum, Mycenarum ſolio potitum, impulit, ut Herculem variis objiceret laboribus, quibus denique oppreſſis periret. Duodecim vulgò numerantur. Primò juſſus eſt leonem Nemeæ ſilvæ, a quo toti regioni pernicies creabatur, interficere. Adortus feram Hercules in antrum compulit, unde nullum patebat effugium; faucibuſque conſtrictis interemit. *Metamorph. Lib. 9.* Ejus pellem deinceps, primæ ſcilicet victoriæ monumentum, ſemper geſſit. Erat Hydra leone iſto tetrior, ſerpens immanis in Lerna palude, prope Argos, cui ſeptem capita ſic uni collo inſerebantur, ut cùm unum exſcinderetur, alia multa repullularent: omnia ſimul eodem ictu Hercules abſcidit; aut igne, ut alii tradunt, exuſſit. *Metamorph. Lib. 9.* Dirus aper in Erimantho monte vaſtitatem agris afferebat: vivum cepit, Euryſtheoque obtulit. Neque nihil nocebat in Mænalo monte cerva, æreis pedibus, aureiſque cornibus prædita: hanc anno toto inſecutus, denique aſſecutus eſt, jaculiſque confixit. Damni plus afferebant volucres quædam in lacu Stymphalo, inuſitatæ magnitudinis & roboris, ita ut prætereuntes unguibus laniarent: iis fugatis magnam eſt adeptus gloriam: majorem debellatis Amazonibus, ad fluvium Thermodoontem, *Metamorph. Lib. 9*: & tyrannis duobus, Diomede ac Buſiride interfectis, quorum hic in Ægypto peregrinos atque hoſpites immo-

labat Jovi; ille, in Thracia, eosdem ferocibus equis conculcandos, ac devorandos, præbebat.

Illis par immanitate ferebatur Geryon, Hispaniæ rex, tricorpor; quem simili affecit pœna. Magnam quoque industriæ laudem tulit in repurgando Augiæ, regis Elidis, stabulo, in quo collectæ multis ab annis sordes, aërem pestilenti odore inficiebant. *Metamorph. Lib. 9.* Parem adhibuit solertiam tum in domando tauro ferocissimo, quem iratus Neptunus in Græciæ clades creaverat; tum in auferendis aureis Hesperidum pomis, sopiendo pervigili dracone, illorum custode: hoc in labore adjutorem Atlantem habuit; qui dum poma colligebat, Hercules cœlum humeris tulit. Sed maximum omnium periculorum adiit in educendo ab inferis Cerbero, *Metamorph. Lib. 9*, cum quo Theseum amicum suum, ibi vinctum, pariter eduxit.

His laboribus feliciter perfunctus, orbem terrarum, ad levandos mortales variis calamitatibus conflictatos, peragravit. Italiam Caco, Vulcani filio, latrone insigni, liberavit. Prometheum, in Caucaso religatum, vinculis exemit. Antæum, Terræ filium, singulari certamine profligavit. *Metamorph. Lib. 9.* Lycum, qui, Thebis captis, Creontem, earum regem, socerum Herculis, tunc ad inferos profecti, interfecerat, meritâ morte multavit. Oceanum in medias terras induxit aperto freto Gaditano, duobusque montibus, Calpe, & Abila, diductis: quibus, tamquam columnis triumphalibus, elogium illud inscripsit: *Non plus ultra.* Herculis gloriam iniquissimè ferens Juno, tam diro furore illum concussit, ut Megaram uxorem, liberosque occiderit; nec sibi violentas ipse non attulisset manus postquam se ab illo furore collegit, nisi eum amici attinuissent. Victorem tot monstrorum amor imbellis vicit, ac servire turpiter Omphalæ, Lydorum reginæ, coëgit, clavamque colo, leonis exuvias muliebri cultu, mutare. Pro Dejanira quoque pugnavit contra Acheloüm, Thetidis filium. *Metamorph. Lib. 9.* Eo superato, cùm puellam, pugnæ præmium, domum duceret, Centaurum Nessum, Dejaniram abducere tentantem, sagittis interemit. Nessus moriens, & ultionem spirans, vestem suo cruore, quod præsentissimum erat vene-

num, tinctam, Dejanirae dedit, affirmans, si eam Hercules indueret, futurum, ut numquam aliam amaret. *Metamorph. Lib. 9.* Dejanira vestem sacrificanti in Oeta monte Herculi misit. Vix induerat, cùm intestino correptus igne, in pyram se conjecit, eâque conflagravit. *Metamorph. Lib. 9.* Antea tamen sagittas suas, Hydrae Lernaeae sanguine imbutas, sine quibus Trojam capi non posse in fatis erat, donavit Philoctetae, Paeantis filio. Philoctetes illas Trojam attulit, ab Ulysse perductus. *Metamorph. Lib. 13.* Censent eruditi tot res praeclarè gestas nequaquam esse unius Herculis, sed multorum, qui eodem nomine, non eodem loco ac tempore, vixerint: ac duos praesertim statuunt, alterum Libycum, cui adscribunt pugnam cum Antaeo, cum Geryone, cum dracone Hesperio, diductam Africam ab Hispania, immisso freto Gaditano; & si qua sunt alia gesta per Africam & Hispaniam: alterum Thebanum, cui reliqua facinora tribuunt per Arcadiam, Peloponnesum, & Phrygiam, sparsa.

## Cap. XVI. *THESEUS.*

Theseus, Ægei, regis Athenienſium, filius, Herculi propinquus tempore, & consanguinitate fuit. Ejus fortitudo eluxit praesertim in domandis tyrannis, ac dynastis, qui potentiam suam vexandis hominibus, & publicâ infelicitate, metiebantur. *Metamorph. Lib. 7.* Talis erat Sciron, qui praetereuntes in mare praecipitabat; talis Procustes, qui hospites in suo ipsius lecto sternebat, iisque pedum partem, quae modum lecti excederet, amputabat; aut actis in diversa equis, miseros distrahebat. Istis, aliisque id genus, profligatis, ad monstra quoque debellanda curas animumque vertit. Tria praecipuè sustulit: Taurum immanem, qui Marathonium agrum foedâ populatione deformabat: Aprum Calydonium, ab irata Diana immissum in Aetoliam, *Metamorphoſ. Lib. 8*, & Minotaurum, monstrum ex homine tauroque conflatum; cui devorandos mittere quotannis septem pueros sorte lectos, cogebantur Athenienses: hâc eos poenâ victor Minos, rex Cretae, cujus filium Androgeum interfecerant, multaverat. *Metamorph. Lib. 8.*

Inceſſit Theſeum cupido Minotauri occidendi : venit in Cretam, & monſtro perempto, Minois filiam Ariadnen, cujus ope labyrinthi ambages explicuerat, ſecum abſtulit : eam tamen, immemor beneficii, deſeruit in inſula Naxo : deſtitutam Bacchus duxit. *Metamorph. Lib. 8.* Navis, quâ vehebatur in Cretam Theſeus, nigris inſtructa velis erat, mutandis in alba, ſi rem bene geſſiſſet. Mutare non meminit, elatus lætitiâ victoriæ. At Ægeus nigris velis eminùs aſpectis, periiſſe filium ratus, in mare ſe dedit præcipitem ; & Ægeo mari nomen fecit. Pirithoüs, Theſſaliæ in eadem Græcia rex, accenſus invidiâ, ob res præclarè a Theſeo geſtas, ejus regionem infeſtis armis incurſavit, ut ad ſingulare certamen illum eliceret. Nec recuſavit Theſeus. Sed ubi primùm eſt conſpectus, Pirithoüm oris dignitate, comitate indolis, ita devinxit ſibi, ut amor invidiæ locum occupaverit, & animos, atque arma, æterno fœdere ambo junxerint. Nec diu exſpectata fuit occaſio amicitiæ ſanciendæ. Centauri cum vicinis Lapythis invitati ad nuptias Pirithoï, & Hippodamiæ, moverant rixam temulenti, & ingentem Lapitharum cædem ediderant. *Metamorph. Lib. 12.* Erant Centauri equites adeo ſtrenui, ut ſedentes in equo, unum cum eo corpus conflare viderentur. Illorum proterviam ac libidinem Pirithoüs, Theſeo adjuvante, ultus eſt, ut par erat. Ambo deinde annis ante excidium Trojæ quatuor & viginti, Helenam rapuerunt, quæ a Caſtore poſtea & Polluce fuit recuperata. Iidem ad rapiendam Proſerpinam regis Moloſſorum filiam profecti ſunt. Eam canis ferociſſimus cuſtodiebat, quem Cerberum vocabant ; ab eo laceratus eſt Pirithoüs : Theſeus a rege datus in cuſtodiam, Herculis precibus conceſſus eſt. Inde nata de inferis fabula, quos Theſeus, ut narrant poëtæ, adiit cum Pirithoo, ut Proſerpinam abduceret. Pluto, re cognitâ, utrumque comprehendit, & vinculis oneravit : in iis hæſit Pirithoüs, ſive, ut alii narrant, a Cerbero devoratus eſt. Theſeum Hercules, cùm adiret inferos, liberavit : & adjutorem habuit in ſuſcepto contra Amazonas bello, quorum reginam Hippolyten ipſi uxorem dedit. Ex ea Theſeus genuit Hippolytum ;

quem Phædra, Minois filia, secundis nuptiis Theseo juncta, cùm aliter amaret ac par & honestum erat, accusavit, quasi paternum temerare thorum vóluisset. Theseus Hippolytum diris devovit, ac Neptunum filio ultorem invocavit, a quo immissæ Phocæ Hippolytum in maris littore spatiantem curru excusserunt. Mortuum Æsculapius revocavit in vitam; Diana transtulit in Italiam, & Virbium appellavit. *Metamorph. Lib. 2, & 15.* Phædra, crimen confessa, necem sibi attulit.

## Cap. XVII. *CASTOR ET POLLUX.*

Castor, Pollux, Helena & Clytemnestra, Ledam habuere matrem, uxorem Tyndari, Oebaliæ regis in Græcia: sed Pollux & Helena, Jovem; Castor & Clytemnestra Tyndarum, patrem sortiti sunt. Castor tamen & Pollux vulgò Tyndaridæ a Poëtis vocantur; & amborum celebratur amicitia, quæ tanta extitit, ut Pollux, Jove scilicet natus immortalis, suam immortalitatem impertiri fratri non dubitaverit. Annuit Jupiter, ut alternis diebus alter viveret, alter moreretur; immò Castorem adoptavit, in Pollucis gratiam, ita ut ambo appellarentur promiscuè Dioscuri, hoc est, Jovis filii, & inter sidera collocarentur, ubi tertium in Zodiaco locum obtinent, Geminique nuncupantur.

Honorem hunc tamen, nisi magnis in mortales promeritis consecuti non sunt, ac potissimùm depellendis mari prædonibus: quam ob causam vota ipsis facere nautæ consueverant, & agnos immolare candidos, cùm nigras oves Tempestatibus sacrificarent. A Romanis quoque impensiùs culti sunt: apud quos virâ per ædem Pollucis jurabant vulgò; feminæ, per ædem Castoris.

## Cap. XVIII. *JASON ET ARGONAUTÆ.*

Athamas, Thebarum rex, arietem aureo insignem vellere donatum a Superis servabat domi, familiæ Palladium. *Metamorphos. Lib. 6, & 7.* Hunc

Phryxus, Athamantis filius, novercam Nepheïen fugiens, asportavit, & ad Colchos delatum immolavit Jovi: aureum autem vellus dedit Æetæ regi Colchorum, a quo repositum in luco Marti sacro fuit, additis, custodiæ causâ, tauris ignem spirantibus, & pervigili dracone. Hunc thesaurum eripere Colchis Jason decrevit, filius Æsonis Thessaliæ regis, hortante patruo Peliâ, qui, fratris senio confecti loco, regnum administrans, donec ei regendo per ætatem Jason par foret, eum in ista expeditione periturum sperabat. Jason vocatis in periculi, & gloriæ societatem ducibus Græciæ fortissimis, Hercule, Theseo, Castore, Polluce, Orpheo, Lynceo, Typhi, &c. navim Argo fabricavit, trabibus e Pelio monte sumptis, sive, ut alii tradunt, e Dodonæa silva, cujus arbores, voce præditæ, edebant oracula. Typhis clavum regebat: Lynceus, oculis acutissimis valens, brevia, & scopulos detegebat: Orpheus navigationis tædia levabat cantu: ceteri heroës, qui vulgò dicuntur Argonautæ, remos agitabant. Solus Hercules cursum parumper retardabat, tum quia pondere corporis deprimebat navim, tum quia ingentem stomachum nulli satis implebant cibi; cúmque omnem, quæ condita in cadis ferebatur, aquam hausisset, misit Hylam, adolescentem sibi carum, ad petendas e vicino fonte lymphas. Lapsus in fontem Hylas, sive a Nymphis, ut poëtis placet, raptus, (sunt illæ fontium Deæ) cùm non rediret, exscendit Hercules eum quæsiturus, ac socio molesto vectores liberavit.

Navis hoc onere levata, petras Cyaneas, quæ Symplegades vocantur, prætervecta, *Metamorph. Lib. 7, & 15*, & Pontum Euxinum feliciter emensa, Colchidem attigit. Jason aureum vellus abstulit, adjuvante Medeâ, *Metamorph. Lib. 7*, quæ unà cum illo fugiens in Thessaliam, ut patrem Æetam persequentem moraretur, Absyrtum fratrem interfecit, ejusque membra, quà pater instabat, dissipavit; quæ colligens Æeta, illi spatium fugiendi dedit. Ut Medea venit Jasonis domum, Æsonem ejus patrem, annis & morbis gravem, in pristinum robur ac juventutem arte magicâ restituit. *Metamorph. Lib. 7.* At Peliam, deceptis

ejus filiabus, jugulavit. *Metamorph. Lib. 7.* Jason interea, Corinthum profectus ad Creontem regem, ejus filiam Creüsam adamavit. Medea se spretam furens, arculam gemmis incantatis plenam Creüsæ misit, quæ igne concepto, & ipsam, & Creontem absumpserunt. *Metamorph. Lib. 7.* Medea post exprobratam Jasoni perfidiam, susceptos ex eo duos filios, in ipsius conspectu mactavit, alatisque vecta draconibus, Athenas evasit ad Ægeum regem: cui cùm nupsisset, ac Medum filium genuisset, conata est Theseum, Ægei filium, e medio tollere, veneno dato: sed deprehenso scelere, fugit in eam Asiæ partem, quæ ab ejus filio Media est nominata. *Metamorph. Lib. 7.* Argonautarum expeditionem chronologi assignant anno post conditum Ilium sexagesimo quarto: ante ejus axosin, septuagesimo nono.

## Cap. XIX. *CADMUS.*

Jupiter in taurum conversus Europen Agenoris, Phœnicum regis filiam, abduxerat in Cretam. *Metamorphos. Lib. 2.* Agenor ejus investigandæ negotium Cadmo filio dedit, eumque, nisi repertâ sorore, domum redire vetuit. Cadmus pererratis frustra variis orbis terrarum partibus, oraculo Delphico jussus est in eo Græciæ loco consistere, ubi obvium haberet bovem, ibique urbem condere; *Metamorph. Lib. 3.* Regionem, Bœotiam; urbem, Thebas appellavit.

In ea plures regnavit annos, domesticis tamen calamitatibus graviter conflictatus. Ex ejus quippe liberis Semele cùm Jovem, ex quo Bacchum edidit, videre fulminantem exoptasset, ambusta fulmine periit: Ino furentem virum suum Athamantem fugiens, in mare se præcipitem dedit. *Metamorph. Lib. 4.* Agave, Penthei mater, filium discerpsit. *Metamorph. Lib. 3.* Cadmus ipse Thebis pulsus ab Amphione, concessit ad Illyrios, cum conjuge, ubi tædio calamitatum affecti, Diis miserantibus, in serpentes ambo mutati sunt. *Metamorph. Lib. 4.*

Amphion Thebanæ civitatis muros condidit, convenientibus ad sonitum lyræ saxis, septemque in ea portas aperuit. Hanc Alexander delevit, Pindari tamen

familiæ ac domicilio parcitum uni voluit. Alia fuit urbs ejusdem nominis in Ægypto, centum portis patens, a qua regio vicina cognomen Thebaïdis habuit : alia in Cilicia, Andromaches patria, quam Græci Trojanum ad bellum proficiscentes, vastaverunt.

## Cap. XX. *Œdipus.*

Laius, Thebarum rex, cùm audivisset se perituram a filio, Jocastæ uxori præcepit, ut natum infantem jugularet. Aversata facinus mater, occidendum puerum tradidit militi : miles pueruli lacrymis, & liberali formâ motus, eum ex arbore suspendit pedibus, quos fune, seu vimine in calces indito, trajecerat. Suspensum vidit magister armentorum Polybii Corinthiorum regis, & reginæ, liberis carenti, obtulit : quæ puerum aluit pro suo, Œdipumque dixit a pedum tumore, quos inflatos & tumentes retinebat.

Ætate provectus comperit nequaquam Polybii se esse filium ; oraculum consuluit, ab eoque didicit futurum, ut patrem in Phocide reperiret. Illuc profectus Laïum, in seditione populari sedandâ laborantem, imprudens peremit, ac Thebas rediit. Erat non procul ab urbe Sphinx, monstrum ingeniosum, virgineo capite, corpore canino, alis draconis & caudâ, pedibus leonis & unguibus, insigne. Prætereuntibus enigma proponebat, eosque, nisi objectum nodum solverent, devorabat. Hinc regionis vastitas & urbis solitudo, ad quam nemo poterat adspirare. Creon Jocastæ frater, qui, Laïo mortuo, regnum Thebanum occupaverat, præconis voce per universam Græciam edixit fore, ut regnum & Jocastam, Laii uxorem, illi traderet, quicumque propositum enigma posset explicare. *Quodnam animal est*, inquiebat Sphinx, *manè quadrupes, sub meridiem bipes, & vesperi tripes ?* Œdipus, tanto præmio invitatus, respondit animal istud hominem ipsum esse, qui pedibus manibusque reptat in infantia : binis pedibus nititur vir : senex, baculo, quasi tertio pede, fulcitur. *Metamorph. Lib. 7.* Hoc responso victa Sphinx, præcipitem se in mare projecit, & regnum metu liberatum, ac Jocastam, Œdippo reli-

quit. Ex hac Eteoclem & Polynicem ; itemque Antigonem , & Iſmenam tulit ; nec priùs matrem eſſe ſuam cognovit , quàm , ortâ peſtilentiâ , vates pronuntiaſſent immiſſam peſtem a Superis Laii necem vindicantibus , nec deſituram , niſi exularet is , a quo Laïus cæſus fuiſſet. Compertum denique fuit cædis auctorem Œdipum eſſe , eumdemque matrem habere in matrimonio. His attonitus infelix , oculos eruit ſibi , & in voluntarium exilium diſcedens , regnum Eteocli & Polynici adminiſtrandum reliquit.

## Cap. XXI. *ETEOCLES ET POLYNICES.*

Eteocles & Polynices , Œdipi filii , ne paternum regnum dividendo debilitarent , fatiùs duxerunt , illud integrum , ſed alternis annis , poſſidere. Eteocles , ut major natu , primus regnavit anno ſuo : ſed , eo elapſo , fratrem , contra quam convenerat , ſolio excluſit. *Metamorph. Lib. 9.* Hæc belli Thebani , a poëtis , præſertim a Statio , decantati , cauſa. Polynices enim omnem Græciam , in arma excivit , adſcito in fœdus Adraſto , Argivorum rege. Tireſias fauſta omnia promittebat , ſi Mœneceus Creontis filius , ultimus Cadmi poſterorum , ſe pro patria devoveret. Nec dubitavit fortis adoleſcens , invito patre , procurrere in conſpectum hoſtium , & cruore ſuo , voluntaria victima , litare.

Hinc ſecunda omnia Thebanis ceſſerunt. Multi hoſtium duces , & potiſſimum Tydeus , Parthenopæus , Capanæus , Amphiaraüs , maximis jactati periculis periere. Ad extremum ambo fratres , crudeli bello finem imponere ſingulari certamine aggreſſi , alter alterius manu ceciderunt. Nec ipſa mors odium illorum internecinum extinxit. In eumdem quippe rogum conjectis cadaveribus , flamma ſpontè diviſa , vivere in ipſis mortuorum fratrum cineribus inimicitias , demonſtravit. Creon , extinctis Œdipo , ejuſque filiis , regnum , quod ipſis ſponte conceſſerat , recepit. Ereptum rogo Polynicis corpus & inhumatum projecit. Antigonem , fratris oſſa conatam ſepelire , vivam humo juſſit infodi : ſed ipſa ſupplicium , eliſis faucibus antevertit. At He-

mon, Creontis filius, qui Antigonem ſponſam optaverat, enſem ſibi adegit in pectus : Eurydice, Creontis uxor, tantum filii obitu luctum hauſit, ut mortem ſibi conſciverit. Hanc regiæ familiæ cladem Sophocles in ſcenam cùm protuliſſet, tam ſuavi commiſeratione affecit ſpectatores, ut inſulæ Sami præfecturâ donatus fuerit.

## Cap. XXII. *TANTALUS.*

Non levioribus infortuniis familia Tantali, regis Phrygiæ, concidit. Prima calamitatum origo, impietas ipſius Tantali fuit. Jovem, a quo genus ducebat, cum ceteris Diis domi ſuæ acceperat. Eorum Divinitatem ut probaret, Pelopem ſuum filium, in fruſta conciſum & elixum illis appoſuit. *Metamorph. Lib. 6.* Ceres paulò reliquis avidior, humerum Pelopis abſumpſit ; alii ferales epulas deteſtati, Tantalum in tartara detruſerunt, ubi mediis in undis ſitit, & alludentibus ori pomis, fame cruciatur. *Metamorphoſ. Lib. 4.* Pelopem deinde in vitam revocarunt, eductâ ex inferis per Mercurium ejus animâ, & membris ita reparatis, ut humerus eburneus, in ejus locum, qui a Cerere comeſus fuerat, ſubſtitueretur. *Metamorphoſ. Lib. 6.* Niobe, Tantali filia, paternam impietatem imitata, dum Latonam contemnit, numeroſam amiſit ſobolem, telis Apollinis ac Dianæ confixam : & ipſa dolore amens, in ſaxum diriguit. *Metamorphoſ. Lib. 6.* Pelops Phrygiam tot cladibus ſuorum funeſtam deferens, venit in Elidem, & Hippodamiam, Oenomaï regis filiam, uxorem ab ejus patre poſtulavit. Oenomaüs mortem ſibi a genero afferendam admonitus, eam filiæ procis conditionem propoſuerat, ut curuli certamine ſecum decertarent, eâ potituri, ſi vincerent ; perituri, ſi vincerentur.

Accepit conditionem Pelops, & regem vinci aliter quàm dolo, non poſſe intelligens, egit cum Myrtilo, ejus aurigâ, ut ferrum tolleret, quod axi extremo, rotarum modiolis inſerto infigitur, eaſque, ne effluant, continet. Excuſſus hunc in modum curru Oenomaüs, fractis cervicibus, cum vita victoriam & regnum amiſit. Pelops regno dotali potitus, Peloponneſo nomen de-

dit: felix si concordes habere filios, Atreum & Thyestem, potuisset! sed fratrum discordia tantò solet esse gravior, quantò sanctior amicitia esse debet. Thyestes uxorem fratris temeravit: Atreus Thyestæ filios, inscio patre interfectos, eidem epulandos præbuit. Supererat Thyestæ filius nothus, qui perire statim ab ortu jussus, a pastoribus tamen servatus, & lacte caprino nutritus fuerat, unde illi nomen Ægisthus factum. Hic Atreum obtruncavit: Agamemnonem, Atrei filium, e Trojano reversum bello sustulit, conscià & adjuvante, quam sibi malè devinxerat, Clytemnestrâ, conjuge Agamemnonis. Hinc secunda tragœdiarum seges.

## Cap. XXIII. *TROJANI REGES.*

In ea Phrygiæ parte, quæ Bosphorum Thracium respicit, Trojam Dardanus, Jovis & Electræ filius, condidit, e Thuscia fugiens occiso fratre, quicum in hac Italiæ parte regnabat. Rerum in Troade tunc potiebatur Teucer, qui Dardanum generum adscivit, cumque illo Trojæ fundamenta jecit, annis ante natam Romam ferè septingentis. Dardano succesit Erichthonius filius, Erichthonio Tros, qui Trojam de suo appellavit nomine; Troïs filius fuit Ganymedes, a Jove raptus. *Metamorph. Lib. 10.* Item Assaracus, ex quo genitus est Capys, Anchisæ pater: demum Ilus, qui paternum adeptus regnum, Trojam Ilium vocari jussit.

Ilo succesit filius Laomedon, quem Hercules vitâ regnoque spoliavit, abducto ejus filio, *Metamorphos. Lib. 11*, qui a Trojanis redemptus, inde Priami nomen consecutus est, cùm antea Podarces diceretur. Priamus patri suffectus, turribus arcibusque munivit urbem, quæ tunc Pergama vocabantur, unde ipsa Troja nomen quoque sumpsit. Priami uxor, Hecuba: filii præcipui, Hector, Deiphobus, Helenus, & Paris, sive Alexander, funesta patriæ fax. Talem sibi visa fuerat parere mater, ejusque somnio cognito, Priamus necari puerum jusserat. Hecuba clam inter pastores educandum curavit, ubi cùm regias dotes ostenderet in conditionis humilitate, originem probavit, ipsisque

Superis dignus est visus, qui ortam inter Junonem, Palladem, & Venerem, controversiam dirimeret. Intererant epulo geniali, cùm Thetis Peleo nuberet. Discordia in medium jecit fatale pomum, cum hac inscriptione, *Detur pulchriori*. Paris arbiter duræ litis sumptus, eam Veneri adjudicavit, & sibi, suisque Junonis ac Minervæ conflavit odia.

Interim Priamus certamen ludicrum nobilitati Trojanæ proposuit. Adfuit Paris adhuc incognitus, & ceteris, qui congressi fuerant, victis, ipsum Hectorem superavit. Hector, cùm pugilem ignotum ferro persequeretur, ut ignominiam ejus sanguine eluret, agnovit fratrem, conspectis certis insignibus & gemmis, quas Hecuba pastori, ejus educatori, tradiderat. Priamus, fatorum immemor, filium lætus amplectitur, & in regiæ partem accipit.

## Cap. XXIV. *TROJANI BELLI CAUSA.*

Cum Hercules Trojam vastaret, Hesionem Laomedontis filiam, Telamoni, Græco duci, conjugem dederat. *Metamorphos. Lib. 11.* Paris, amitam suam repetiturus, classem instruxit, Priamo non invito, qui opibus & gloriâ pollens, imminebat in omnem injurias a Græcis toties acceptas vindicandi occasionem. Paris rectâ Spartam contendit, ad Menelaüm, Spartæ regem, filium Atrei, & Agamemnonis fratrem. Exceptus humanitate summâ, & domi relictus est a Menelao, cui erat iter in Cretam necessarium.

Helenam, uxorem Menelaï, Venus ita Paridi conciliavit, ut cum eo Trojam profugerit, probante Priamo, qui Hesionem, sororem suam, ita redditum iri facilè sperabat, si cum Helena permutaretur. Contra ac speraverat accidit. Nam Græci Hesionem reddere negarunt, Helenamque junctis viribus & armis repetentes, Trojam per annos decem obsessam, solo demum æquarunt. Quo pacto Ulysses, & Achilles ad hoc bellum perducti fuerint exponit *Ovidius*, *Metamorphos. Lib. 13.*

Idem explicat quemadmodum Græcorum exercitus Aulidem convenerit, ibique ventis adversis tandiu re-

tentus fuerit, dum Agamemnon filiam Iphigeniam Dianæ immolare constitueret. Cervam tamen ejus in locum Diana substituit, eamque in Tauricam Chersonesum deportavit, *Metamorph. Lib. 12 & 13.* Dianâ placatâ, solvit Græcorum classis, mille ducentarum nonaginta navium, sub ducibus quinque & nonaginta, & ad Trojam castra posuit. Diuturnam bello moram attulit Asia ferè universa, ad urbis unius auxilium concurrens: tum Hectoris fortitudo: denique discordia Achillem inter & Agamemnonem coorta. Hic puellam quamdam, sacerdoti Apollinis ereptam, penes se habebat. Apollo a virginis patre oratus, immissâ peste, Græcorum exercitum populabatur; quam ut Achilles averteret, Agamemnonem coëgit puellam parenti reddere. Agamemnon iracundiâ elatus, Brisëidem vicissim Achilli eripuit. Achilles injuriam non ferens, inclusit se tentorio, Græcosque Trojanis profligandos permisit; arma sua duntaxat concessit Patroclo, quibus ille indutus, & Hectorem ausus lacessere, ab illo sternitur; *Metamorph. Lib. 13.* Tum verò Achilles, ulciscendi amici causâ, bellum repetiit, Hectoremque cæsum ter circa muros urbis raptavit.

## Cap. XXV. *TROJÆ EXCIDIUM.*

Hectoris necem clades fortissimorum e Trojanis ducum est consecuta. Priamo & Hecubæ in desperationem actis, promisit Paris necem Achillis, quo uno maximè Græci stabant. Comperit eum Polyxenæ, Priami filiæ, amore captum: adducit in spem conjugii, & pactis paucorum dierum induciis, in templum Apollinis invitat, colloquii uberioris causâ. Venit Achilles, nihil a Paridis perfidiâ metuens, a quo sagittâ percussus interiit. Cæsum in acie canit Ovidius, *Metamorph. Lib. 12:* de illius armis certatum Ajacem inter & Ulyssem, *Metamorph. Lib. 13.* At Græci dolo pariter & proditione ulciscendos proditores arbitrati, reditum in patriam, velut fessi bello, simulant, & equum ingentem fabricantur, quasi donum placandæ Minervæ, cujus numen a se violatum dictitabant, rapto ex arce Trojana Palladio, seu Minervæ sacrâ statuâ, quâ Tro-

jæ fatum & felicitas contineri putabatur. Equum in litore relictum, Græcis ad insulam Tenedum profectis, Trojani in urbem inducunt, dirutâ murorum parte, per quam Græci noctu e vicina insula Tenedo reversi, subierunt, & civitatem somno ac vino sepultam incenderunt. Hanc illis ab Ænea & Antenore proditam fuisse fama est. Pyrrhus, Achillis filius, Priamum ad Jovis aram jugulavit; immolavit Polyxenam ad Achillis qui ejus nuptias ambierat, tumulum. *Metamorphos. Lib. 13.* Andromacham Hectoris conjugem abduxit in Græciam. Paris sagittâ Herculis a Philoctete confixus est. Menelaüs Helenam a Deiphobo, cui post Paridem occisum nupserat, recepit. Ulysses Astyanactem, Hectoris filium, e summa turri dejiciendum curavit. *Metamorphos. Lib. 13.* Ajax Oïlei filius, Cassandrâ, Priami filiâ, temeratâ, Palladis, cujus ad statuam veluti ad asylum illa confugerat, iram in se concitavit: quare facto naufragio, fulmine conflagravit. Classis Græcorum ad Caphareos scopulos, insulæ Eubœæ, allisa, *Metamorph. Lib. 13*, magnam partem periit, Nauplii scelere, qui dolens filium suum Palamedem ab Ulysse falso crimine accusatum, & a Græcis damnatum, ignes nocturnos e cautibus extulit, ad quas classis, portum rata, per tenebras temerè appulit. Contigit Trojæ excidium anno mundi bis millesimo octingentesimo septuagesimo, cùm Aïlon Hebræis jus diceret. Cæsa esse perhibentur in eo bello, Græcorum octingenta octoginta sex millia: Trojanorum verò, ante captam urbem, sexcenta septuaginta sex millia.

## Cap. XXVI. *AGAMEMNON ET ORESTES.*

Agamemnon domum redux, Clitemnestræ & Ægysthi, ejus adulteri, ferro cecidit. Orestes ultus est patris mortem, peremptâ matre: quam cùm obversari sibi semper crederet tædis & serpentibus armatam, oraculum consuluit. Eo jubente, in Tauricam Chersonesum contendit comite Pylade, regis Strophii filio: cujus amicitiam cùm in maximis antea periculis, tum in hoc præcipuè loco est expertus. Mos erat,

ut hospites ac peregrini comprehenderentur, Dianæ, quæ ibi colebatur, immolandi. Capti Pylades & Orestes, adducuntur ad Thoantem, summum sacerdotem. Is novorum hospitum nobilitate permotus, & indole liberali, cùm utrumque servare, salvis patriæ legibus, non posset, alterum, ductâ sorte, incolumem fore pronuntiat. Hic verò celebris orta est inter Pyladen & Orestem contentio, dum alter alterius perire loco certat. Sors Orestem addixit neci. Præerat Dianæ sacris Iphigenia, Orestæ soror, illuc per Dianam ex Aulide translata, cùm cervam in illius mactandæ locum supposuit, ut Ovidius narrat *Metamorph. Lib. 12.* Iphigenia cùm ferrum libraret in fratris caput, eum agnovit. Occiso Thoante, Orestes cum sorore, Pylade, & Dianæ statuâ rediit in Græciam, ubi expiatus, & Furiarum tetro aspectu liberatus, paternum regnum feliciter administravit. Eadem statua Dianæ in Italiam postremò delata est, & in Aricino collocata nemore. Templi ædituus, & sacerdos istius Dianæ Aricinæ, Rex nemorum vocabatur; ac vulgò servus erat fugitivus, qui tamdiu regnum illud obtinebat, cùm ab alio fugitivo, commissâ pugnâ victus, necaretur. *Metamorph. Lib. 15.*

## Cap. XXVII. *ULYSSES.*

Decem annos Ulysses erravit post excisam Trojam, priusquam paternos lares reviseret. Vix ingressus navim, in Thraciam tempestate delatus est. Ibi regnabat Polymnestor, cujus fidei ac tutelæ Priamus filium Polydorum, & regales Thesauros, ne venirent in Græcorum manus, tradiderat custodiendos. Polydorum rex avarus, ut auro potiretur, trucidaverat. Hecuba id cùm resciviſſet (nam Ulyssi in Trojana præda dividenda obvenerat) Polymnestorem adiit, velut ignara; ostentansque spem thesauri alterius, eum seduxit a regio comitatu: mox involans in vultum, oculos illi unguibus eruit. Quo facto lapidibus a populo superveniente appetita, in canem rabidam mutata fuit. *Metamorph. Lib. 13.* Ulysses repetitâ navigatione, abripitur in Africam ad Lotophagos, ita vocatos a loto arbore cujus fructus tam suaves habebat illecebras, ut

advenis oblivionem patriæ afferret, ejusque suavitate captos e sociis suis nonnullos Ulysses amiserit. Alii redintegrato cursu, Siciliam cum eo tenuerunt. Sex eorum Polyphemus, Cyclopum teterrimus, devoravit. *Metamorph. Lib. 14.* Ulysses vino gravem invasit, eique unum, quem in fronte media gerebat, oculum exculpsit. Inde ad Æolum properè fugit, qui ventos adversos utribus inclusos, in ejus navim congessit, ne nocerent. Utres tumidos socii malè curiosi reclusere. Ventis solutis novæ tempestates excitatæ, nova pericula. Iis jactatum Ulyssem, & a Læstrigonibus, Formianum litus incolentibus, atque humanâ carne vesci solitis, penè oppressum, insidiosâ benignitate excepit Circe, famosa venefica. Hæc socios Ulyssis in ferarum varia monstra transformavit: ipse artes magicas elusit, instructus herbâ Moly, sapientiæ symbolo, a Mercurio sibi donatâ. *Metamorph. Lib 14.* Eâdem Circe adjuvante, adiit inferos, ubi a Tiresia vate multa de rebus aliquando sibi eventuris cognovit. Pari felicitate ac prudentiâ Sirenum dolosos cantus, in eodem Tyrrheno litore effugit, sociorum auribus cerâ obturatis, ipse ad malum alligatus. Inde Siciliam rursùm tenuit. Solis boves Phaëtusa nympha pascebat: præceperat enixè sociis Ulysses, ut sacris armentis temperarent; auditus non est. Itaque Sole irato, naves cum sociis amisit, vixque in fractæ ratis tabula enatavit ad Ogygiam insulam, ubi recenti navigio instructus a Nympha Calypso, mari se commisit. Facto iterum naufragio, cujus auctor Neptunus, Polyphemum filium ab Ulysse excæcatum ægrè ferens, evasit ope Leucothoæ in insulam Corcyram; & acceptis ab Alcinio, Phæacum rege, navibus Ithacam attigit. Domum suam, rustici cultu ingressus, cognoscendum se Telemacho filio, & fidis aliquot famulis dedit, quorum operâ procis deletis, fortunas, uxoremque Penelopen, recuperavit. Re bene gestâ lætum tacitus angebat metus, ne a filio interficeretur; id enim Tiresias prædixerat: ac ne tristi vaticinio fidem faceret, cogitabat secedere in aliquam solitudinem, cùm Telegonus, quem e Circe genuerat, audito felici patris in Itacham adventu, accessit gratulaturus. Dum ut ignotus repellitur, nonnihil tumultûs

ctus ortum est ad fores. Procurrit Ulysses, ut rem cognosceret, interque confusos tumultuantium clamores sagittâ vulneratur a Telegono. Fieri medicina plagæ non potuit, quia jaculum veneno infectum erat.

## Cap. XXVIII. *Æneas.*

Æneas, Veneris & Anchisæ filius, Creüsam, Priami natarum unam, duxerat. E patriæ incendio elapsus ope matris, septem annos erravit incerto mari, ob iram Junonis nomini Trojano semper infensæ. His transactis Carthaginem venit, ubi, quemadmodum canunt Virgilius & Ovidius, Dido novam condebat urbem, ab eaque mensibus aliquot retardatus, monente demùm Jove perrexit in Italiam; ac victo Rutulorum rege Turno, Laviniam regis Latini filiam cum dotali regno accepit, ac Romani imperii fundamenta jecit. *Metamorph. Lib. 13 & 14.*

## C. XXIX. *Utilitas e fabulis capienda.*

Cum Poëtæ & doctores profanæ antiquitatis plurima, quæ ad explicandam rerum naturam aut instruendos mores pertinent, simulacris Deorum, & fabulis involverint; dispiciendum est quid veri, bonive, sub istis integumentis lateat. Ita Cœlum finxerunt Saturni, sive Temporis, patrem; quia cœlum diurnâ & annuâ conversione tempus efficit. Cùm verò temporis par vetustati sit velocitas, idemque finem rebus quas produxit afferat, descripsere Saturnum habitu senis alati, & falce armati, qui liberos suos devoraret. Saturnum excepit Janus, Latii rex prudentissimus: qui cùm prospiceret futura, præterita meminisset; eum bifrontem pinxerunt. Rudes & incultos homines Prometheus a ferino victu abductos excoluit, ac mentem veluti corporibus brutis addidit: hæc fuit causa cur homines dictus sit e luto finxisse. Idem usum ignis edocuit, ac reperit quo pacto e solis radiis, puta concavo speculo exceptis, eliceretur. Hinc nata multa vitæ commoda, & e commodis incommoda, nimirum, morbi, febres, &c. Deucalion urbes condidit, invenit artes, vitam mori-

bus ornavit : hinc saxa in homines mutasse prædicatur. Amphion devinctos concordiâ Thebanos ad urbem ædificandam adduxit : lapides lyræ sono movisse narratur. Atlas verò in montem conversus cœlum humeris ferre ; quia, ut astra specularetur, in editiorem ascendebat locum ; & cœlestem excogitavit sphæram, quam ferè semper præ manibus habebat. Alas Dædalo dederunt, ut e labyrintho evolaret ; quia navigandi & utendi velis, artem reperit. Icarum audaci volatu sublimia captantem in mare dejecerunt, ut juvenilem notarent imprudentiam, quæ medium iter ac tutum tenere nescit. In Tantalo avaros ; in Lycaone, crudeles ; in Sirenibus & Circe, amatores voluptatum ; in aliis alia flagitia descripserunt. In Medusa, muliere libidinosâ, indolem impuræ libidinis adumbratam voluere, cujus ea vis, labesque est, ut homines omni rationis, pietatis & humanitatis sensu spoliatos, in saxa transformare videatur. Quis in Narcisso non agnoscit hominem sui amantiorem ? in Marsya, quem Apollo cute spoliat, arrogantem ; in Persei Pegaso, celeritatem rebus gerendis necessariam ; in ejusdem speculo polito, quod instar clypei gestabat, sapientiam non intelligit ? An temerè conjiciet, si altiora spectamus, qui Adamum in Saturno liberos devorante expressum arbitrabitur ? In Iapeto, Japhetum, e Noëmi liberis tertium, & alia ejusdem generis ? Sacrarum arcana litterarum e Judæis cognoscere Phœnices & Ægyptii facilè potuerunt : ab utrisque hauserunt Græci ; & jam adulterata, novis commentis depravarunt : a Græcis Romanus orbis originem sumpsit, ut subtiliter & eruditè differit P. Turneminus Soc. JESU, in egregio specimine prolixioris de tota ratione fabularum commentarii ; cujus conspectus magnam totius operis exspectationem omnibus eruditis fecit †. Multa quoque morum documenta sub fabularum velo latentia detegit P. Michaël Pexenfelderus Soc. JESU, in eleganti ac pia lucubratione, cui nomen fecit *Ethica Symbolica*, &c. edita Monachii, 1680.

† *Mémoires de Trévoux*, 1702. *Décembre*. 1703. *Janvier*.

## XXX. *QUOMODO EXPLICANDÆ FABULÆ.*

ERIT igitur Christiani præceptoris, videre quid lateat sub illo cortice fabuloso, & veritatem istis involutam umbris evolvere. Sic impiæ vetustatis venena vertentur in antidota, & suus virtuti honor, improborum errore ad vitia traductus, jure ac merito restituetur. Quamvis autem hæc una caperetur utilitas ex historia fabulosa, quamvis hæc una legeretur e tot flagitiorum, quibus religio profana sordet, sterquilinio gemma, nimirum commendatio Christianæ religionis, quæ Deum, moresque, tanto veteribus illis dissimiles, tradit, satis magnus pateret ad juventutem non piè solùm, sed festivè ac eleganter instituendam, campus. Documento est P. Carolus de Aquino, Italus, Soc. JESU, quo eloquentiæ magistro frui per annos duodeviginti Romano licuit Collegio, in egregiis quas recens edidit Satiris, ubi totam illam veterum Deorum farraginem ita excutit, exagitatque, ut ingenium cum eruditione certet, majestas heroïci carminis, cum satirica dicacitate; latinitatis exquisitæ sapor, cum insigni priscorum auctorum notitia. Easdem dotes in aliis duobus carminum, quos vulgavit ante paucos annos, tomis, observare est, ac præsertim in ipsius *Anacreonte recantato*; in quo quinquaginta sex odas lepidissimi, at non usquequâque modesti & sobrii vatis, eodem quo scriptæ sunt metro & ordine sic imitatur Latinis versibus, ut eas ad honestiorem sensum accommodet, per totidem Palinodias, non sacra duntaxat argumenta substituendo profanis; sed ingeniosâ varietate fingendo, ludendo, & priscas recentibus historias, ac sententias, utiliter suaviterque intexendo.

*FINIS.*

# INDEX

## *DEORUM ET HEROUM*
*hujus Appendicis.*

### PARS PRIMA.


*Saturnus*, Page 424
*Cybele*, 425
*Jupiter*, 427
*Juno*, 429
*Apollo*, 430
*Diana*, 432
*Bacchus*, ibid.
*Mercurius*, 434
*Venus*, ibid.
*Neptunus*, 435
*Pluto*, 436
*Pan*, *Faunus*, *Satyri*, *&c.* 437


### PARS SECUNDA.


*Origo idololatriæ*, 439
*Perseus*, 440
*Hercules*, ibid.
*Theseus*, 443
*Castor & Pollux*, 445
*Jason & Argonautæ*, ibid.
*Cadmus*, 447
*Œdipus*, 448
*Eteocles & Polinices*, 449
*Tantalus*, 450
*Trojani Reges*, 451
*Trojani belli causa*, 452
*Trojæ excidium*, 453
*Agamemnon & Oreſtes*, 454
*Ulyſſes*, 455
*Æneas*, 457
*Utilitas e fabulis capienda*, ibid.
*Quomodo explicandæ fabulæ*, 459


FINIS.

## *APPROBATIO.*

JUSSU Illuſtriſſimi Galliarum Vice-Cancellarii legi *D. J. Juvenalis Satiras, cum Notis & Interpretatione J. Juvencii;* opuſque prelo dignum cenſui. Pariſiis, die quartâ Aprilis 1768.

MARIN.

## *PRIVILEGE DU ROI.*

LOUIS, par la grâce de Dieu, Roi de France & de Navarre : A nos amés & féaux Conſeillers, les Gens tenant nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand-Conſeil, Prévôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenants Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra ; SALUT. Notre amé Joſeph BARBOU, Libraire à Paris, Nous a fait expoſer qu'il déſireroit faire réimprimer & donner au Public : *P. Virgilii Maronis Opera, cum Interpretatione & Notis Caroli Ruæi. D. J. Juvenalis Satiræ, cum Notis ac perpetuâ Interpretatione J. Juvencii. Q. Horatii Carmina expurgata, cum adnotationibus ac perpetuâ Interpretatione J. Juvencii ;* s'il Nous plaiſoit lui accorder nos Lettres de Privilege pour ce néceſſaires. A CES CAUSES, voulant favorablement traiter l'Expoſant, Nous lui avons permis & permettons par ces Préſentes, de faire réimprimer leſdits livres, autant de fois que bon lui ſemblera, & de les vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume,

pendant le temps de six années consécutives, à compter du jour de la date des Présentes. Faisons défenses à tous Imprimeurs, Libraires, & autres personnes, de quelque qualité & condition qu'elles soient, d'en introduire de réimpression étrangere dans aucun lieu de notre obéissance ; comme aussi de réimprimer ou faire réimprimer, vendre, faire vendre, débiter, ni contrefaire lesdits livres, ni d'en faire aucun Extrait, sous quelque prétexte que ce puisse être, sans la permission expresse & par écrit dudit Exposant, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiscation des Exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenants ; dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Exposant ou à celui qui aura droit de lui, & de tous dépens, dommages & intérêts : A la charge que ces Présentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, dans trois mois de la date d'icelles ; que la réimpression desdits Livres sera faite dans notre Royaume, & non ailleurs, en bon papier & beaux caracteres, conformément aux Réglements de la Librairie, & notamment à celui du 10 Avril 1725, à peine de déchéance du présent Privilege ; qu'avant de les exposer en vente, le manuscrit qui aura servi de copie à la réimpression desdits Ouvrages, sera remis dans le même état où l'Approbation y aura été donnée, ès mains de notre très-cher & féal Chevalier, Chancelier de France, le Sieur DE LAMOIGNON, & qu'il en sera ensuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, un dans celle de notredit sieur DE LAMOIGON, & un dans celle

de notre très-cher & féal Chevalier, Vice-Chancelier & Garde des Sceaux de France, le sieur DE MAUPEOU ; le tout à peine de nullité des Présentes. DU CONTENU desquelles vous mandons & enjoignons de faire jouïr ledit Exposant & ses ayans-cause, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement. VOULONS que la copie des Présentes qui sera imprimée tout au long, au commencement ou à la fin desdits ouvrages, soit tenue pour duement signifiée ; & qu'aux copies collationées par l'un de nos amés & féaux Conseillers, Secrétaires, foi soit ajoutée comme à l'Original. COMMANDONS au premier notre Huissier ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles, tous actes requis & nécessaires, sans demander autre permission, & nonobstant clameur de Haro, Charte Normande & Lettres à ce contraires : Car tel est notre plaisir. DONNÉ à Versailles, le quatrieme jour du mois de Mai, l'an de grace mil sept cent soixante-huit, & de notre Regne le cinquante-troisieme. Par le Roi en son Conseil.

*Signé*, LE BEGUE.

*Registré sur le Registre XVII de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N°. 92. fol. 436. conformément au Réglement de 1723. A Paris, ce 14 Mai 1768.*

GANEAU, *Syndic.*

# CATALOGUE.

*CICERONIS Opera*, 14 vol. in-12. 1768.

*Orationes quæ in Universitate Parisiensi vulgò explicantur cum notis selectis, juxta accuratissimam D. Lallemand editionem*, 3 vol. *in*-12. 1768.

*Opera Philosophica*, in-12.

Oraisons de Cicéron, traduit. par Villefore, 8 vol. *in*-12.

Choisies, latines & françoises, 3 *vol. in* 12.

Les Livres de l'Amitié, de la Vieillesse, les Paradoxes, le Songe de Scipion, trad. par M. Debarrett. lat. & franç. *in*-12. 1768.

Les Offices, traduction nouvelle, *Par le même*, in-12. lat. & franç. 1768.

*Cornelius Tacitus, juxta accuratissimam D. Lallemand editionem*, in-12. 1769.

*Danetii Dictionarium*, in-4.

*Dictionarium lat. gal. Duci Burgundiæ dicatum*, in-4.

Coutumes & Cérémonies observées chez les Romains, pour faciliter l'intelligence des anciens Auteurs, *in*-12. 1770.

Grammaire Françoise, par M. de Wailly, sixieme édition, augmentée de la Prosodie, & dédiée à l'Université de Paris, *in* 12. 1770.

*Horatius, cum interpret. & notis Juvencii*, 2 vol. *in*-12.

Le même, traduit par Sanadon. 3 vol. *in*-12.

*Philosophia ad usum Scholarum accommodata, Auctore D. Seguy, nova Editio*, 5 vol. in-12. 1771.

*Plinii Epistolæ & Panegyricus*, in 12. 1769.

Quintilien, traduit par M. l'Abbé Gédoyn, 4 vol. *in*-12. 1770.

*Sallustius, cum notis*, in 24. 1766.

Le même, latin & franç. traduit par M. Beauzée, *in*-12. 1769.

*Terentius cum notis Juvencii*, in-12.

Le même, trad. par Madame Dacier, 3 vol. *in*-12.

*Titus Livius, cum notis Crevier*, 6 vol. in-12. 1768.

Le même, traduit par M. Guérin, 10 *vol. in*-12.

Remarques sur la Langue Françoise, par M. d'Olivet, *in*-12. *nouvelle édition*. 1771.

BIBLIOTECA PUBLICA





JUVENALI
SATIRÆ

JT 754